Lactantii opera
similia Erasmi.

ZE ZBIORÓW
PIOTRA POKORY
W POZNANIU

L. COELII
LACTANTII FIRMIANI

Diuinarum institutionum Libri VII.
De ira Dei Liber I.
De opificio Dei Liber I.
per D. Erasmum Rot. recognitus,
& scholijs illustratus.
Epitome in libros suos, liber Acephalos.
Phœnix.
Carmen de passione Domini.
Carmen de dominica resurrectione.

Ne interim Lectoris alacritas, Græcorum, quæ passim inspersa sunt, carminum ocursu reprimatur: Latina suo quæq; loco aptantes, nouæ commoditate apposuimus.

Præterea, eorum quæ in toto hoc opere notatu digniora uisa sunt, indicem præposuimus.

Antuerpiæ apud Ioannem Gymnicum,
Anno M. D. XXXIX.
Mense Decembri.

EX HIERONYMO DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Firmianus, qui & Lactantius, Arnobij discipulus, sub Diocletiano principe actus cum Faunio grammatico, cuius de medicinalibus uersu compositi extant libri, Nicomediæ Rhetoricam docuit: ac penuria discipulorum, ob Græcam uidelicet ciuitatem, ad scribendum se cõtulit. Habemus enim Symposium, quod adolescentulus scripsit Africæ, & ὁδοιπορικὸν de Africa usq; Nicomediam hexametris scriptũ uersibus: & alium librũ, qui inscribitur Grammaticus: & pulcherrimum de ira Dei, & Institutionum diuinarum aduersus gentes, libros VII. Epitomen eiusdem operis in libro uno ἀνακεφαλαίωσιν, & ad Asclepiadem libros II. De persecutione librum unum. Ad Probum epistolarũ libros IIII. Ad Seuerum epistolarũ libros II. Ad Demetrianum auditorem suum epistolarum libros II. Ad eundem de Opificio Dei, uel formatione hominis librum unum. Hic in extrema senectute magister Crispi Cæsaris filij Constantini in Gallia fuit, qui postea à patre interfectus est. Sed & in epistola ad Magnũ ita Lactantij meminit. Septem libros aduersus gentes Arnobius ædidit, totidemq; discipulus eius Lactantius: qui de ira quoq;, atq; opificio dei duo uolumina cõdidit, quos si legere uolueris, dialogum Ciceronis in eis excerptũ reperies.

Am. o. 633

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

ZE ZBIORÓW PIOTRA POKORY w POZNANIU

843 p. 2024

Accius Nauius cotem nouacula secat 92
Adam in paradiso positus, laboris expers, immortalis, mandatum dei transgreditur 114. & 115
Adorandus deus creator, non creaturæ 85
Adulterij crimen maxime fugiendum 391
Adulterij cogitatio uitanda 395
Adulterium quomodo non committendum 568
Aegyptiorum et Pharaonis submersio in mari, significat reprobationem damnatorum, quæ futura est in fine mundi 437
Aequitatem Christianam philosophi non habuerunt, nec eam inuenire, nec defendere potuerunt 307
Aequitatem hanc non Rhomani, nec Græci, nec alij nisi Christiani assequi possunt 306
Aequitas iustitiæ pars, non in bene iudicando, sed in cæteris sese æquando consistit 305
Aesculapius quis fuerit 24
Affectuum naturalium stimulos ex homine euelli non posse, sed mitigari Peripatetici uolunt 368
Affectiones mentis quomodo Stoici definiant 369
Affectus non ex sese, sed ex usu & causa mali æstimandi sunt 371
Affectibus male uti, uitium: bene uti, uirtus 371
Affectus tres pessimi sunt 381
Affectuum malorum usus & abusus quis sit 382
Agni legalis immolatio quomodo Christum nobis præfigurauerit 260
Agnoscere deū, caput est religionis & ueritatis, sine quo omnis iustitia & bonitas superuacanea est 202. & 203
Agnitio dei omnia facit facilia 395

Angelorum lapsus 119.&.120
Angeli quare non dicantur uerbum dei 212
Animi magnitudo summa uirtus censetur 302
Animus,quoniam oculis non cernitur, ad uirtutem & religionem aptus est 325
Animæ bona quomodo corporis mala sint,& dissimiliter 415
Anima & corpus inter se pugnant,habentq; suos hostes utrinq; 151
Anima immortalis est 155
Animarum immortalitatem nõnulli sic statuunt, ut ea in uaria corpora migrare mentiantur 171
Animarũ immortalitatẽ infideliter docuerũt philosophi 174
Animas in uaria corpora commeare,uanum est & impossibile 176
Animæ & mentis quæ sit differentia 429
Animarum perpetuitas ostenditur 426
Anima an sit corporis pars 430
Anima mortalis uidetur,quia citius emittitur è corpore 431
Anima an à corpore dissoluatur,an tantum separetur 432
Anima cum immortalis sit,quomodo etiam patibilis 448
Anima ut se ad corpus habeat 493
Anima uirtutibus,corpus uitijs deditum 500
Animam nonnulli sanguinem,alij ignem,tertij uentum esse dixerunt 552
Anima & animus an idem sint 552
Anima unde oriatur 554
Animalia suis sensibus ad naturæ necessitatem utuntur 382
Animalia nociua cur creata sint 410
Animalia propter homines sunt 106
Animalia non de terra uel sponte, sed diuina prouidentia nata sunt 110

Animantibus communia sunt quæ homini uidentur esse propria 147
Animalia etiã pestifera in hominũ utilitatẽ esse possunt 489
Animalia omnia sua arma habent, præter hominem, qui nudus nascitur 517
Animalia bruta quomodo pedibus, pennis, & corpore creatæ sint 526
Animalia ex atomis nata Epicurus stulte asseruit 528
Annum uerum, non lunæ, sed solis cursus facit 116
Anni mille sunt unus dies ante deum 436
Antipodas ideo nonnulli finxerunt, quia mundum rotundum esse opinati sunt 184
Antichristus quomodo interficiet Heliam 442
Antichristus quomodo persequetur Ecclesiam, & quomodo faciet miracula 443
Antichristo qui crediderint, signabuntur tanquàm pecudes: qui uero recusauerint, aut fugient, aut cõprehensi necabũtur 445
Antichristus regnans quomodo præcedentibus signis de cœlo per Christum interficietur 446
Apostolorũ diuisio ad nascẽtis ecclesiæ fundamẽtũ facta 248
Apostolorũ tenuitas à quodam philosopho cõtemnitur 275
Apollo uenereus non deus 24
Aqua nihil habet diuini 87
Aqua præcipue utuntur animalia 106
Ara dei cor mundum est, cui nõ uictimæ animales, sed spiritales imponendæ 397
Argumenta ex falso petita, ineptos exitus habent 87. & 88
Arma naturalia habent omnia uiuentia, solus homo nascitur inermis 517
Arma hominum ratio & ingenium esse debent 519
Ascensionem Christi testantur Prophetæ 221. & 222

Ascensionem domini tractat 248
Astrologiam,& alias reprobas artes quis inuenerit 121
Auaritia præcipua causa falsæ religionis 89
Auaritia sub obtentu religionis colitur 89
Auaritia fons omnium malorum,expulsa quondam iustitia, iniquissimas leges promulgauit 283.& 284
Auaritia frangenda 563
Aurium decor in homine commendatur 533
Auro & gemmis frustra colitur deus 79
Aureum seculum quomodo expulsum fuerit 283
Aureum seculum diuinam religionem significat ibidem
Aureum seculum restituit Christus suo aduentu in electis, id est ueram reformauit religionem 285
Aurũ in tẽplis nihil sunt,q̃ grandes puppæ Veneri donatæ 89
Aurium uoluptas reprehenditur 386
Authores gentilium sacrificiorum apud Rhomanos,aliásque gentes qui fuerint 64.& 65

B

BEnefaciendum proximo sine omni mercedis spe 359
Benedicere maledicenti,boni & iusti uiri est 377
Bonum à uarijs philosophis uariè definitum 139
Bonum summum quid sit uere sapientis 145
Bonum hominis summum in religione positum est 147
Bonum summum nihil eorũ est,quæ mortales appetunt 149
Bonum summum immortalitas 155
Bonum esse & malum putari,satius est,quàm malum esse & hæberi bonum 298
Bonis & iustis cur omnia infelicius accidant 325
Bonum sine malo in hac uita esse non potest 369
Bonus uir,etiam lacessitus nemini nocet,sed patienter fert omnia 377

Bona animi, corporis mala sunt: rursus corporis bona, animi mala sunt 415. & 416
Boni & iusti uiri conditiones describuntur 565
Bonitas omnis mortifera est, cæca, & surda, si non deum bonorum fontem agnoscas 202

C

C. Verres omnem Siciliam compilauit, sublatis deorum simulachris, ornamentisq; fanorum 81
C. Verrem ob sublata simulachra non dij ipsi, sed Ciceronis industria damnauit 82
Captiuorum redemptio ueræ humanitatis officium 362
Capitis decor in homine commendatur 532
Carnalia nihil faciunt ad religionem ueram 320. & 321
Carnis bona, quomodo mala sint animæ 415. & 416
Caro nostra quomodo post resurrectionem immortalis futura sit 450
Carnis suillæ interdictio quid sibi uolucrit 238. & 239
Caro semper impedit spiritum 258
Castor & Pollux mortalium miserrimi, non dij 24
Cæcos illuminat Christus 256
Ceremoniæ ueteris legis carnales non nisi ad exhibendam iustitiam spectant 238
Cæremoniæ externæ nihil, sed pura corda plurimum ad fidem nostram faciunt 321
Charitas erga proximum commendatur 354
Christianos cur deus pauperes & miseros uelit 327
Christus quare dicatur Iesus 211. & 212
Christi incarnationis causa quæ fuerit 218
Christū deū fuisse & hominē scriptura probatur 223. et 224
Christus quas uias docuerit, & quomodo non suum, sed patris honorem quæsierit 227

Christus baptizatus à Ioanne 229
Christi patientiam,silentium,potum fellis prædixerunt scripturæ 242
Christus mortalitatem assumpsit, non tamen natus, ut alij homines 254
Christus quare cũ immunis esset à culpa,spõte subijt pœnã 255
Christus cur infami genere mortis affici uoluerit 259
Christus cæcis,surdis,mutis,claudis,leprosis,mortuis,et omnibus languoribus medetur 256
Christus deus creditur non propter opera, sed quia scriptura in eo omnis completa est 278.&.279
Christi ignominiosam mortem, & crucem nonnulli nobis exprobrant,quibus respondetur 277
Christianorũ prima uirtus est,cruciatus patienter tolerare, & tyrannos nihil metuere 302
Christiani quare inter se dicantur fratres 306
Ciceronem cæteris deterius peccantem taxat 75
Ciceronis industriam taxat 82
Cicero à nullo potest uehemẽtius refutari,q̃ à Cicerone 96
Ciceronem taxat nimium philosophiæ tribuentem 157
Circuncisio ueteris legis,quomodo circuncisionẽ cordis in noua lege præfiguraucrit 238
Cogi non potest fides aut religio: ergo & tormentis opus non est 319.&.320
Coitus licitus & illicitus quis sit 391
Colenda uirtus,non uirtutis imago 54
Colenda uirtus non sacrificio,aut thure,aut precatione solenni, sed uoluntate & proposito 55
Colitur deus in aduersis,in prosperitate contemnitur 70
Colere plures deos,contra naturam est 203.&.204
Colendus deus uirtutibus,non corruptibilibus donis 287

Constantini laus 5
Conceptionẽ et partũ uirginis prædixerũt prophetæ 219.220
Conscientia peccati religiosorem facit pœnitentem 301
Constantia & magnitudo animi summa uirtus censetur 303
Cõtraria sibijpsi philosophia est, scriptura sacra nõ itẽ 276
Continentiæ quis fructus 385
Contendendi studio ueritas elabitur 418
Conscientia semper nosipsos sequitur 396
Conceptionis ratio describitur 545
Corporis & animæ pugna 151
Corona Christi quid significet 258
Cor ipsum est quod peccat, & in hoc omne delictum 385
Cor hominis mundum, ara dei est 397
Corporalia nihil faciunt ad fidem nostram, sed ea quæ sunt animi 325
Corpus ut se ad animam habeat 400
Corpus uitijs, animus uirtutibus deditus 501
Corpora humana & membra, quanta sint Dei prouidentia compacta 531
Corporis humani multa sunt, quorũ ratio sciri nõ potest 545
Credere ueritati cur nonnulli difficulter possint 402
Creata omnia ex nihilo, multis ostenditur 94. & 95
Creditur Christus deus non propter opera, sed quia omnis scriptura in eo completa est 278
Crucis mortẽ cur potissimũ Christus subierit, & nõ aliã 259
Crucis signi potẽtia, & quantæ efficaciæ sit inuocatio nominis crucifixi 260. & 261
Crucis signum quantum timeatur à dæmonibus 262
Crucis dominicæ rationem reddit 256
Cultus dei uerus quis sit 55
Culturã templorũ & imaginũ reprehendit 80. 89. & 90

Cultura plurium deorum tanquàm impudica meretrix est, habens multos fornicatores 204.
Cultores alienorum deorum insani sunt, nec audent responsionibus contendere cum fidelibus 117
Cultus ueræ & falsæ religionis quantum & in quibus differant 319
Cultum gentilium deorum non modo Christiani, sed etiam philosophi destruunt 322
Cultus dei innocentia est, non sacrificia carnalia 330
Cultus dei præcipuus est, homines ad ueritatem & iustitiam erudire 339
Cupiditatem philosophi in uitio ponunt, cum tamen uirtus esse possit 372
Cupiditatis malum, quia opes desyderet 381
Cupiditatis usus & abusus quis sit ibidem
Cyrus quo tempore dominatus fuerit 207
Cyprianus ab oratoria professionis arte commendatur 273

D.

Damnare uel personam uel causam antequàm de merito cognoscas, iniquum & impium est 270
Dandum egenti largiter & sponte 364.
Dæmonum duo genera 118
Defunctorum corpora frustra odoribus condiuntur 80
Dei unius, non plurium prouidentia mundus regitur & constat 6. & 484
Deos multos colere causa est omnium malorum 288
Deus unus & perfectus 7
Deum unum prophetæ omnes testantur 9
Deum unum poëtæ adserunt 11
Deum unum esse C. Cottæ pontificis, Trismegisti, philosophorũ, Sibyllarũ, Apollinis, aliorumq; testimonijs probatur 14. et 15

Deus est sine corpore, nec sexu eget ad procreandum 20
Deorum infelicium aerumnæ & turpitudines 47
Deos ex hominibus, uel ex corporis, uel fortunæ bonis emen-
titos 49
Deos uanos, & deum uerum nemo potest simul colere 51
Deus creator omnium solus colendus 85
Deum credimus amare quod nos concupiscimus, scilicet aurum,
gemmas 89
Deum terrenis cupiditatibus subiectum arbitramur 90
Deum omnia creasse ex nihilo, diffuse ostenditur 95. & 96
Deus cur patiatur per malos spiritus hominibus illudi 124
Deus unus est, qui & pater est & dominus 205
Deus unus est, qui ingratū abdicat filium, & fugitiuum seruum
punit 204
Deus creator omnium coomnipotentem genuit filium, & per
eum creauit uniuersa 208
Deus nec sitit, nec esurit, nec in tenebris ambulat 331
Deus medetur uniuersis morbis nostris 396
Deus an irasci possit, toto uno libro tractatur 465
Deum affectibus subiectum esse Epicurus uoluit 492
Deus mundi curam habet, & hominum actus regit, ideoq; &
irascitur 495
Diabolus quomodo omnia quæ illicere possunt, pro laqueis
habeat 513
Diabolus quomodo nobis insidietur 556
Diabolus fortunæ opinionem immisit his, qui deum nesciebant,
aut contemnebant 194
Diabolus quomodo uarios uarijs cupiditatibus inflāmet 339
Dij gentium corporalibus & terrenis sacrificijs indigent, quia
& ipsi terreni sunt 332. & 335
Dij gentium non dij, sed dæmones 262

Dij gentiles qua ratione nominari cœperint, scilicet ob uirtutis miraculum, in adulationem præsentis potentiæ, ob poëtarum præconia, & ob græcam dicendi copiam 40. & 41
Dij esse non possunt quos sexus discernit. Et quòd in naturam dei non cadit sexus, aut officium generandi 44
Diligere proximum, post Dei agnitionem præcipuum iustitiæ officium 354
Diluuium diuinæ prouidentiæ nutu acciderat 109
Dionysio Syracusano impune fuit auratos deos palam spoliare quia didicerat deos illos nihil esse 80
Dissimilitudo uitæ criminosæ sanguinē sitit innocentum 289
Diuisa imperia facile desolantur 7
Diuites difficulter credunt ueritati 402
Diuites uerè qui sint 307
Docenda fides per patientiam & rationem potius, quàm sæuitia, ferro, & igne 319
Docere & non facere, damnabile: Christus enim primo fecit, postea docuit 250
Docere honesta & non facere, mendacium est 164
Docentes recte & male uiuentes, non utilitatem, sed inanem percipiunt delectationem 164
Doctorem cœlestem perfectum esse oportet 251. & 252
Doctorum defectu temerarijs hominibus audacia ueritatem impugnandi datur 274
Doctorē quendam egregiū, sed turpem factorem taxat 274
Dualis numerus ex membrorum officijs commendatur 537

E

Ecclesia catholica sola est ueritatis fons, & fidei domicilium 267
Ecclesia christiana nullis malis deijcitur, imò semper fortius exurgit & crescit 301

Elementa & sydera nihil habent diuini, nec sua, sed Dei uoluntate mouentur, igitur non colenda 84.&.85
Eleemosynæ & largitionis officium docetur 357.&.358
Eleemosynæ peccata purgant 366
Eloquentia humana nihil ad ueritatem opus 130
Eloquentia seruit seculo, non sacris literis 272
Eloquentia nihil facit ad religionem, quia ueritas per simplices loquitur 319
Eloquentia quemuis facile decipit 557
Eloquentia aduersus ueritatem nihil potest 557
Epicuri doctrina quæ fuerit, et moribus omnium appositissima loquebatur 169.&.170
Error unius seculi in omnem ætatem transfusus 199
Erroris uia speciem habet sapientiæ ac uirtutis 347
Exempla uoluntariæ & stultæ mortis 172.&.173
Exhortatio, ut omnes properēt ad susapiendā cū religione sapientiā, per quas ad perpetuæ uitæ beatitudinē peruenitur 369
Exponere infantes quàm impium sit 384.&.385

F

FAcere re ipsa quod didicisti, non perpetuo discere, commendabile 163.&.164
Factum quicquid est, hominum utilitati factum est 487
Fel & acetum, quo potatus est Christus, quid significet 258
Fides credat, intelligentia non requirat 94
Fides, quam reponit pœnitentia, firmissima est 301
Fides & religio uera augetur, quanto magis premitur 318
Fides patientia & ratione potius, quàm sæuitia, ferro, & igne docenda 320
Fides cogi non potest 318
Fides etiam morte testanda est 320
Fidei ueræ & falsæ religio, quantū & in quibus differat. Ibidē.

Fides magna iustitiæ pars 568
Fideles quare uideantur deserti, & subiecti malis, & multis hostibus 324
Figuræ legis Iudaicæ spiritaliū rerū exemplo sunt 237.et.238
Filium dei testantur etiam Sibyllæ, Trismegistus, & oracula consona prophetis & Salomoni 209
Filij dei nomen & angelis & hominibus ignotum 210
Filius dei bis natus, æternaliter de patre, tēporaliter de uirgine matre, ineffabili natiuitate 211.&.212
Filius dei quare dicatur uerbū, et quid ab angelis differat 212
Fortunæ nomen unde natum 192.& .196
Fortuna nihil est, quam philosophi non deam, sed deum mentiuntur 194
Fratres quomodo se Christiani appellent 306
Furiæ tres infernales à tribus pessimis affectibus ortæ 381

G

Gentium origo quis fuerit 116
Gentilitas stulta suos hostes adorat 322
Genitalibus mēbris per uoluptatē abuti q̄ turpe 545.et.546
Gratia dei uerius quàm natura bonos facit 202
Gratuito & sine omni spe remunerationis benefaciendū 359
Gratia dei, nullo naturæ beneficio adsequimur ueram sapientiam 405
Gratiam, sed non iram in deo esse Stoici falso putauerūt 470
Gratiæ, miserationis, & iræ in deo quæ materia sit 495

H

Hæreses nō modo Christus, sed & prophetæ prædixerūt emersuras esse & uitandas 267
Hæresum tres causæ, auaritia, ignoratio, & pseudoprophetarū societas 268
Herculem inter diuos non esse numerandum, dcq; ortu & morte

morte eius 22
Helias magnus propheta iudicium extremum præcedet, & quomodo interficietur ab Antichristo 442
Homines non è terra nascuntur 111
Hominis uita temporalis, sed tamen longa 115
Homo ad quid natus sit, Anaxagoras uitiose definiuit 145
Homo colendi dei gratia natus 147
Hominis multa propria, cæteris etiã animãtibus cõmunia 147
Homo corpore & anima constat 151
Hostes corporis & animæ ibidem
Hominis conditio in sola dei agnitione nititur 191
Hominis spiritus quare dissolubilis 213
Homo non hominis genitor, sed generationis minister 316
Hospitalitas ad cõmodum non referenda 361
Homo quare à deo creatus sit 412
Homo ex duabus rebus constat, corpore & anima 414
Homini duæ uiæ attributæ sunt, tẽporalis & sempiterna ibidẽ
Homo primum natus quadrupedibus comparatur, postea erigitur, & tandem utitur rationis exercitio 415
Homo quare ex contrarijs illis constet, scilicet ex corpore & anima 414
Homo, et ante illũ mũdus quare creatus sit, breui signatur 416
Homines ab alijs animalibus maxime religione differũt 473
Homini propria est iustitia & religio 474
Homini religio propria est 486
Homo iustitiæ & religionis, denique agnoscendi Dei gratia natus 491
Homo ad iustitiam genitus cur peccatis subiectus sit 54
Homo quomodo ex duabus rebus constet, corpore scilicet & anima 54
Homo ex corpore uitia, ex anima uirtutes habet 500

Homo inter cætera animalia solus nascitur inermis 519
Homines male de natura sua conqueruntur 518
Homines non absre morti immaturæ,& uarijs morbis subiecti contra Epicureorum querelam 522
Hominis corpus & membra quanta dei prouidentia compacta sint 530
Hominis forma & totius corporis habitudo,aurium in primis & oculorum,commendatur 532.&.535
Humanis sensibus non potest diuina ueritas comprehendi 1
Humana authoritas non quicquam ualet 318
Humanitas in homines præcipue exercenda 366
Humanam naturam ingenitis affectibus spoliare uelle, insania est 375
Humanæ naturæ beneficio non adsequimur diuinam sapientiam 405
Humilitas cum angelis suscipit peccatorem 569

I

IEsus quare dicatur Christus 211
Igne præcipue utuntur homines 106
Ignorantia immortalitatis,multorum errorum causa est,& mortem meretur æternam 315.&.316
Ignis gehennalis,& ignis cõmunis differentia 449.et.450
Ignis gehẽnalis quid in electis,et quid in reprobis operetur 450
Imagines fictas & cultas taxat 57
Imagines fingere & timere amentia est 72
Imagines dei superuacuas esse ostendit, cum illius spiritus ubiq; diffusus,nusquam abesse possit 72
Imagines mortuorum sunt,igitur & cultores mortui 218
Imago dei uiuentis uiua & sensibilis esse debet 73
Imaginum factores potius quàm ipsæ uenerentur 73
Imaginum cultores creaturæ plus tribuunt q̃ creatori 73

Imagi-

Imaginibus nec hominis quiddam, nedum dei ineſt 74.
Imago dei uera, homo eſt 74
Imaginum cultores non plus uident mente, quàm corpore, & omnino inane officium eſt imaginum 76
Imagines nihil maieſtatis habent, nec reuerentiæ 78
Imaginum cultores non bis pueri, ſed ſemper 80
Imagines diuorum ex templis, non è cœlo ſuſtulit C. Verres 81
Imagines diuorum feliciter ſpoliarunt Dionyſius Syracuſanus, & C. Verres 81. & 82
Imagines colere, falſæ religionis eſt 124
Imaginum & ſimulachrorum nulla poteſt eſſe religio 126
Immortalitas & beatitudo ſummum bonum ſunt 155
Immortalitatis ignoratio multorũ errorũ cauſa eſt 314. et 315
Immortalitas non naturæ, ſed uirtutis merces eſt 416
Immortalitatem animæ quibus argumentis Plato conatus ſit adſtruere 420
Immortalitas animarum probatur contra Lucretium 428
Immortalitas animarum probatur contra Epicurum 432
Immortalitas animarum, non ſolum prophetarum, ſed etiam aliorum teſtimonijs multorum probatur 435
Immortalitatem qui proprijs meritis quærunt, in his nulla eſt iuſtitia, nec uirtus 434
Impij iuſtitiã, quã ſibi abeſſe ſentiũt, omnibus abeſſe putãt 289
Impij quomodo & quare in iuſtos, & ueritatis amatores atrocius ſæuiant 289
Impij ſitiunt ſanguinem innocentum propter uitæ criminoſæ diſſimilitudinem 290
Impij ſæpe uocantur ab ijs, qui ipſi impijſſimi ſunt 291
Impia impietas multorum eſt qui deum neſciunt 295
Imperiti ueritatis, ſunt capaciores eloquentibus 319
Incarnationis Chriſti cauſa quæ fuerit 217

Incarnationis diuinæ fidem quibus argumentis nonnulli euacuent 249
Inimicitiæ non sunt secundum hominis rationem 232
Iniuriam tam iniustum est referre quàm inferre 379
Innocentia est uerus cultus dei, quam homo corpori deditus nõ potest intelligere 330
Inuidia malorum omnium fons 95
Intestina & uiscera commendat usq; ad genitalia 540
Innocentiæ leges conscribuntur 567
Iosue quot annis rexerit populum Israëliticum 207
Iræ malum, quia ultionem desyderat 381
Iræ usus & abusus quis sit 382
Irasci an posit deus, toto uno libro tractatur 465
Irasci deum, & non moueri gratia, nemo unq̃ asseruit 468
Irasci deum non posse, nec gratia moueri Epicurus falso putauit ibidem
Iram non esse in deo, sed tantum gratiam, Stoici falso adserunt 472
Irasci deum, & gratia moueri, tuenda sententia est ibidem
Iræ, misericordiæ, & gratiæ in deo quæ materia sit 493
Iræ quæ sit ratio, philosophis fuit incognitum 497
Iram quomodo philosophi uarie definierint 497
Iræ quæ sit uera definitio 498. & 499
Iræ cohibitio in peccatis uitiosa est 498
Irasci etiam ministri legum & pœnarum possunt 499
Ira iusta est, quæ in corrigendis peccatis accidit ibidem
Iræ magnitudo non donare pœnam, sed differre debet ibidem
Irascitur deus, cum homines uult esse bonos 500
Irascitur deus, & tamen hominem prohibet irasci 505
Ira mortalium debet esse mortalis ibidem

Ira dei probatur Sibyllarum testimonio 505
Iram deo tribuere, est imperium illius firmare 507
Ira cohibenda 564
Israël quomodo per Moysen ab Aegypto eductus 216
Iudicare de seipso nemo recte potest 154
Iudices quot annis præfuerint populo Israëlitico 206. et. 207
Iudicium filij hominis extremum testantur prophetæ 222
Iudicio dei transacto, aureum seculum, id est felicissimus status futurus est 404
Iudicio dei finito, electi dei regnabũt in terra annis mille 456
Iudicium extremum multa signa præcedent, & abundabit omnis iniquitas 438 & 439
Iudicium extremum præcedet Antichristus 440
Iudicij extremi tempore descendet Christus nocte ad interimendum Antichristum 446
Iudicij tempore quomodo cultores alienorum deorum incendio dabuntur, & quomodo aperientur inferi 447
Iudicij extremi tempore, qui iudicandi sint, & qui non 448
Iudicio transacto per mille annos regnabit dei filius in terra cũ electis in sancta ciuitate 455
Iudicio transacto diabolus uincietur mille annis, & omnis creatura seruiet homini, omniaq; futura sunt pacatissima 456
Iudices an puniendo irasci possint 498
Iudicij extremi tempore crebrescent omnia uitiorum genera 574
Iudæi quare scripturam de Christo loquentem non intelligant 225
Iudæi male exprimunt oracula prophetarum ad filium Naue, et ad filium Iosedech 228
Iudæorum cæca inuidia in Christum 235
Iudæi Christum quasi legis destructorem calumniantur 236

Iura pro utilitate sancita,& pro moribus & tempore sæpe mutata 308
Iupiter quibus parentibus,& qua uita fuerit 26
Iouem nõ nisi hominẽ fuisse,& in terra regnasse ostẽditur 27
Iouis nomen deo attribuere uanum est 31
Iupiter quomodo mortuus & sepultus fuerit ibidem
Iustitiã non modo philosophi,sed etiã poëtæ quæsierunt 281
Iustitia uere terras incoluit regnante Saturno ibidem
Iustitia,regnante Ioue,fugata est 303
Iustitiæ officia quæ sint 284
Iustitia quæ in propatulo est,quare ab hominibus non uideatur 287
Iustitia suapte natura speciem stultitiæ habet 304
Iustitia in duabus præcipue uirtutibus constat,pietate scilicet & æquitate ibidem
Iustitia ciuilis sapientiam quidem habet,sed iniustam 308
Iustitia naturalis iusta est utiq;,sed sapientiam omnino non habet ibidem
Iustis & innocentibus deus semper prouidet 311
Iustitia omnis sine dei agnitione similis est humano corpori caput non habenti 202
Iustus uir nemini insidiatur,abstinet prorsus alieno,maledicẽti benedicit,contemptum benigniter fert,nocet nemini 377
Iustum & bonum uirum cur uelit deus contemni 380
Iustitiæ duo officia,primum est deum: alterum,proximum uelut fratrem agnoscere 561
Iusti & boni uiri conditiones describuntur 565.&.567

L

LEges diuersæ quare à gentibus institutæ 202
Legis Iudaicæ præcepta ad iustitiam exhibendam spectant 238

Leges

Leges scelera cõprimere,conscientiã munire nõ possunt 562
Lex dei est quæ ueritatis uiam aperit, non humana sapientia 349
Leprosos mundat Christus 257
Liberum arbitrium ab initio homini datum 95
Liberalitas debet esse gratuita 358
Libidinis malum,quia uoluptates desyderat 381
Libidinis usus & abusus quis sit ibidem
Libido extra legitimum torum non euagetur 564
Liberatio filiorum Israël de seruitute Aegypti, præfigurauit liberationem electorum in die iudicij 437
Lingua animi interpres 538
Logica nihil facit ad diuinas traditiones 155
Lucri cupiditas,peccandi & fallendi causa 10
Ludos florales quis ædiderit 55
Luminibus cereus non indiget deus, sed aliud à nobis exigit,scilicet lumen mentis 332
Lupa Romuli nutrix diuinis honoribus affecta 52

M

MAiorum authoritatem non quærendam,sed rationibus agendum esse,doctißime ostenditur 90
Maiorum authoritas ueritati non præiudicare debet ibidem
Maiorum authoritatem pulchro argumento attenuat, ostendẽs qui fuerint maiores 91
Maiorum inuenta absq; iudicio probans, sapientiam sibijpsi adimit ibidem
Maiorum nomine posito,quomodo decipiamur ibidem
Maiores ipsi nobis quærendæ ueritatis exemplo sunt 92
Maiorum authoritati adhærere, est seipsum abdicare sensu, & alienis erroribus credere 317
Malorum prima causa,multorum deorum cultura 288

Mali iustitiam quam sibi abesse sentiunt, omnibus abesse putãt, & in eos qui iusti sunt, atrociter sæuiunt 289. & 290
Malum putari & esse bonum, expetibilius est, quàm malum esse, & haberi bonum 298. & 299
Malis & iniustis cur omnia felicius accidant 325
Mala quæ uidentur in mundo, si tollas, etiam sapientiam tollæ necesse est 491
Malorum felicitas iræ dei non contradicit 500
Manus hominis, rationis & sapientiæ ministræ 539
Mars homicida, non deus 24
Mariæ uirginis partum & conceptionem prædixerunt prophetæ 21
Martyres quare & quibus tormentis adfecti fuerint 297
Martyres grati carnificibus, quia inimicos diligunt 298
Martyrum patientia solidissimum Christianæ religionis fundamentum 301
Matrimonij fides quanta esse debeat 392
Matrimonium qua ratione institutum ibidem
Membrorum conceptionis & ipsius conceptus physica ratio describitur 543
Membra hominis superiora describuntur 532
Membra hominis subdita describuntur 546
Mẽtis humanæ sedes quo loco, aut cuiusmodi sit, nescitur 548
Mens humana qua ratione corpori coniungatur 550
Mendaciorum natura est, ut cohærere sibi non possit, exemplo philosophiæ 277
Mentis & animæ quæ sit differentia 424
Mercurius sur ac nebulo, non deus 24
Mercedem non exigit uirtus, quia per se expetenda 357
Meridionalis mundi pars quid significet 103
Militare iusto uiro non licet 312

Miracula ad confirmationem falsæ religionis plurimum ualent 92
Miracula multa signantur, quæ olim uim deorum ostendisse uisa sunt 95
Miracula et uirtutes, quas Christus fecerit ante passionē 230
Miracula passionis domini, sepultura, & resurrectio, prophetarum fide roborantur 244
Misereri & succurrere proximo præcipuum humanitatis officium est 358
Misericordiæ officia pro utilitate metiri, impium est ibidem
Misericordiæ & ueræ humanitatis officia quæ sint 360
Misericordiæ, gratiæ, & iræ dei quæ materia sit 494
Misericordia erga proximum commendatur 373
Mors intrauit per inuidiam diaboli 94. & 95
Mors duplex, prima scilicet & secunda, id est corporis, & animæ 115
Mors animæ per lapsum Adæ 115
Mortuorum nomine uiuentibus plagas tendere 124
Mortuis supplicare falsæ religionis est 125
Mortē uoluntariā persuadere, inaniter philosophari est 174
Mors bona uel mala ex anteacta uita & dei gratia ponderanda ibidem
Mortuos suscitat Christus 256
Morti etiam immaturæ non absre homines subiectos esse 523
Mors duplex est, sicut & uita duplex 426
Moyses quo tempore prophetaucrit 207
Mulier quare sola inter omnia animantia post conceptum patiens sit uiri 392
Mundus ab uno, non pluribus dijs conditus est 8
Mundum deum esse quàm stultis rationibus probauerint Stoici 87

Mundi quatuor partes quid significent 103.&.104
Mundum æternum esse falso putauit Aristoteles 109
Mundi ratio non potest ab homine comprehendi 404
Mundi rationem quomodo Stoici falso adsecuti sint 405
Mundum & omnia quæ in eo sunt, sola dei prouidentia gubernari, contra Epicureos, alios q; multos 406
Mundus quare creatus, & deinde homo breui circunscriptione signatur 416.&.417
Mundi finis non aderit nisi Rhoma destructa 459
Mũdi rerum q; omniũ innouatio, quibus annis futura sit 460
Mundi status quomodo post sex ætates mutabitur 435
Mundi opificium & gubernatio cuiusmodi sit, uarijs opinionibus enumeratur 476.&.477
Mundum non nisi dei prouidentia factum esse & gubernari, contra multorum stultas opiniones certis argumentis probatur 477.&.478
Mundus unius, non plurium deorum prouidentia regitur & constat 484.&.485
Mundus cũ omnibus suis, hominis causa constructus sit 487
Mundus & diabolus quomodo sensim irretiri soleat, etiam nobis non intelligentibus 513
Mutos illuminat Christus 256
Mutuum gratuito & sine spe mercedis dandum 358

N

NAtura nihil aliud quàm deus 97
Naturalia ab homine sciri non possunt 132
Naturalium rerũ & cœlestiũ rationes sciri nõ possunt 137
Naturalium & cœlestium rerum causas scrutari, est ingenium temere consumere & tempus 177
Naturæ nomen unde natum 191.&.192

Naturæ aduersum est colere plures deos 203
Natiuitas Christi duplex, æterna & temporalis 212
Natiuitatem Christi secundam prophetæ prædixerunt 215
Naturales affectus ex homine non euelli, sed mitigari posse Peripatetici uolunt 369
Nasus in homine commendatur 537
Nasci an bonum sit, an non nasci 175. & 176
Nocturnæ uigiliæ Christianorum quare institutæ 446
Nocentes non sunt qui nocentes puniunt 496
Noë uini inuentor 116
Nomen filij dei & angelis & hominibus ignotum 210

O

Obliuio rationis & ignorantia sui, facit homines ingratos deo 69
Occidens, conturbatæ prauæq; menti adsimilatur 103
Oculorum oblectatio quàm sit uitiosa 385
Oculorum decor in homine commendatur 533
Oculorum sensus nonnulli falsos esse uoluerunt 538
Offerre in templis uinum, panem, lumina, inane est 331
Offerre fidem rectam & ucram innocentiam oportet deo uero, id quod gentes nequeunt 333
Olfactus & gustus uoluptatem, uir prudens ut laqueos mortis euitet 388
Opinatio sola est philosophia 132. & 133
Opinationē nō esse in philosophia nonnulli uoluerūt 134. 135
Opera & passiones Christi, quæ ipse fecit aut pertulit in præsenti, quid significauerint in futurum 256
Opera nostra bona cum malis ponderabuntur 450
Oriens deo adsimilatur 103
Orationis formam & fructum docet 398
Oris species in homine quàm utilis 538

P

PArcas tres nonnulli finxerunt 109
Parsimonia & uirtus & uitium esse potest 389
Passionem Christi testantur prophetæ 221
Passio Christi Iudæis est scandalo, & Gentibus stultitiæ 233
Passio Christi summam uirtutem, & ueram singularemq; sapientiam continet, & ueritatem ibidem
Passionis dominicæ quæ causa, & quis ordo fuerit 239
Passio dominica quibus sit prænunciata oraculis 240
Passiones Christi quid significent 258
Patrum & maiorum authoritas nulla est, sed ueritas inquirenda 90
Patrũ mensurã implẽt, qui Christi seruos persequuntur 289
Patientia martyrum solidissimum Christianæ religionis fundamentum 301
Patientia Christianorum, uirtutem philosophorum longe præcellit 302
Patientia sola efficit, ut nihil mali fiat 378
Pauperes uiua imago dei sunt 366
Peccatum pabulum mortis est 255
Peccatum omnes sumus, & triplici ratione peccati dominio subiacemus 366
Peccata præterita nihil nocent pœnitenti, sicut nec probitas beneactæ uitæ prodest peccanti 394
Peccata sine ira non corriguntur 498
Peccatis cur subiectus sit homo, qui tamen ad iustitiam genitus est 492
Peripatetici quid de affectibus senserint 368
Persequutionem patiuntur iusti, & ueraces ab iniustis & mendacibus 289
Persequutores Christianorum non modo bestiæ fuerunt, sed his ipsis

ipsis brutiores 296
Persequutionem pati non stulti hominis 298
Personarum acceptio nulla est, ubi iustitia est 306
Persequutionis in Christianos quæ causa sit 324
Persequuntur Christiani permissu dei, idq; ex iustis causis 325
Philosophis tunc maxime credendum, cum suam ignorantiam profitentur 131
Philosophiæ nomine conuincitur, quàm inanis sit gentiliter philosophantium occupatio 130
Philosophia, non scientia, sed sola opinatione constat 132
Philosophi ideo plus audent, quia errores eorum nemo arguit nisi deus 133
Philosophiam nonnulli totam è medio tollunt, quæ suis confecta sit armis 134
Philosophia moralis, physica longe utilior 139
Philosophorum sententiæ de summo bono recensentur 140
Philosophi oculis carnalibus omnia metiuntur, nihil ad mentẽ referentes 147
Philosophia nimium commendatur à Ciceron 158
Philosophiam non esse regulam uitæ, secundum Senecam 161
Philosophia Aristippi in sinu meretricis nata 162. & 165
Philosophia plus habet ociosæ oblectationis, quàm negotiosæ utilitatis 164
Philosophiam difficulter obtineri, quòd ad eam multæ artes necessariæ sint 187
Philosophi sæpe recte præcipiunt, & interdum uident uerum 189. & 190
Philosophi quomodo longe à ueritate abfuerint 193
Philosophi gentiles quid de deo senserint 214
Philosophi nescierunt quid esset bonum aut malum 345
Philosophi caruerunt humanitate, qui eam inter morbos animi

posuerunt 367
Philosophi quæ uitia putant, uirtutes sunt, si modo ad debitum finem referantur, id est ad deum 372
Philosophiæ omnis secta à ueritate aliena 405
Philosophica instituta plurimũ dissidẽt à præceptis dei 377
Philosophi particulatim comprehenderunt ueritatem, sed defendere non potuerunt 118
Philosophi ad ueritatẽ perturbandã pernicioſi & graues 557
Pietas quædam impia est eorum, qui deum nesciunt 290
Pietas uera quid & ubi sit 289
Pietatem ueram, deorum cultores ex multis causis adsequi non possunt 295
Pietas iustitiæ pars, nihil est quàm dei cognitio, quam non nisi Christiani adsequi possunt 115
Plato à Socrate didicit, quæ si obtineret, humani generis periret societas 179
Platonis dogmata sunt criminis fons, & uirtutum omnium exterminium 180
Pœnitentia omnia peccata tollit 394
Pœnitentia semper fidem reponit firmissime 301
Pœnitentia non minimum bonum inter uirtutes habetur 569
Poëtarum testimonia unum deum esse 10
Poëtarum figmenta quomodo Stoici ad philosophicam rationem transferant 34. & 35
Potestatum publicarum ordo quis fuerit usque ad Christi passionem 213
Pœna non est donanda propter iræ magnitudinem, sed differenda 499
Poëtæ quomodo uenerint ad notitiam resurrectionis 451
Poëtæ quibus ex causis corruperint ueritatẽ, & quare lethæum amnem, & alia phantastica induxerint 452

Præmia iustitiæ & iniustitiæ quæ sint 526
Præceptoris morum uacillat authoritas, si non facit ipse quod docet, sicut in philosophis patet 250
Præcepta dei quomodo à philosophiãs institutis dissideãt 376
Prodigalitas & uirtus & uitium esse potest 389
Prophetæ multi unum deum prædicant 9
Prophetæ dei spiritu pleni, non furiosi, nec mendaces, nec lucri cupidi ibidem
Prophetarum oracula solicite inspicienda, quos diuinitus esse locutos, rerũ multo ante prædictarũ conuincit euentus 208
Prophetas missos occiderunt Iudæi ingrati dei beneficijs 217
Prophetarũ uaticinia nõ nisi ad Christũ referri possunt 225
Prophetarum oracula post Christi passionem intelligi cœperunt 233. & 234
Prouidentia, propria deo est 468
Prouidẽtia sine deo, nec deus sine prouidẽtia esse potest 477
Prouidentia an sit in humanis rebus 5
Prouidentia dei sola mundus factus est, & gubernatur 477
Proximum diligere præcipitur 567
Punire potest deus pro merito & homines & angelos 449
Puniri peccata non possunt citra iram 598
Pupillos, uiduas, & egenos tueri, ueræ humanitatis officiũ 363

R

Rapina & spolia dijs consecrantur 89
Rationis obliuio, facit homines deo ingratos 69
Rationibus, non longo usu, & ueterum authoritate agendum 91. & 92
Ratio ipsa est quæ armat hominẽ, alioqui inermem natũ 520
Recipiendi omnis spes abesse debet à charitatis & beneficentiæ officio 358
Reges quot annis regnauerint super populũ Israëliticũ 206

Religio uera glorioſior omni humana ſapientia 2
Religiones nefariæ Rhomanorum 52.&.53
Religio & uenceratio nulla alia quàm unius dei 55
Religio falſa toto primo libro deſcribitur 1
Religio falſa & erronea imaginum cultura 77
Religio hodie nihil aliud eſt,quàm quod cupiditas humana miratur 90
Religionis ueritas,non maiorum authoritas quærenda ibidem
Religionis falſæ tres præcipuæ cauſæ ibidem
Religionis falſæ tres cauſæ 124
Religionis errores habes toto ſecundo libro 69
Religio ſine ſapientia non poteſt eſſe 149
Religio & uera ſapientia docetur toto quarto libro 199
Religio uera & ſingularis quæ ſit, & unde religionis nomen deductum 265
Religio eſt,& homini propria eſt 486.&.487
Reſurrectionẽ & paſſionẽ Chriſti teſtantur prophetæ 221
Reſurrectio corporum mortuorum probatur 428
Res omnis ad aliquem uſum facta eſt,etiam ſi ipſa omnino mala uideatur 409
Rhomani uitia religioſa habuerunt 54
Rhoma niſi deſtructa fuerit,non finietur mundus 459

S

Sacerdotes ad inſenſibilia colenda conſtituti 55
Sacrificia deorũ gentilium,corumq; myſteria inania,inepta & commentitia ſunt 57
Sacrificiorum ſuperſtitiones quo tempore,quibúsue authoribus cœperint 65
Sacramenta eccleſiæ quàm ſint efficacia 189
Sacerdotiũ Chriſti æternũ eſſe prophetæ uaticinati ſint 226
Sacramentis diuinæ detrahentes, argumentis reuincendi ſunt

sunt 249
Sacrificia animi,non externarum rerum expetit uerus Dei cultus 330
Sacrificijs carnalibus dij gentium egent, quia & ipsi carnales sunt 332
Sacrificia uini,ciborum,luminum &c. damnantur ibidem
Sacrificium deo cor mundum & spiritale,non animale & corporale 397. & 398
Sacrificia corporalia quare præter rationem sint 417
Sapientiæ diuinæ laus 2
Sapientes uiri,quemadmodum Cicero,alijq; cæteris deterius peccauerunt 75
Sapientiam dedit omnibus deus pro uirili portione 91
Sapere est ueritatem inquirere ibidem
Sapientes plus quàm oportet,reprehenduntur 102
Sapientia perfecta est deum cognouisse 103
Sapientia hominum falsa,toto libro tertio describitur 128
Sapientes huius mundi quare non adsequantur ueritatẽ 129
Sapientia quomodo in medio errantium fuerit 136
Sapientia sine religione esse non potest 149. 201. & 202
Sapientia non inuenta ab homine, sed à deo creatore data hominibus 158
Sapientia una est simplex,sicut deus unus,& ueritas una 161
Sapientia seipsam semper exercet in bonis actibus 164.
Sapientiam nonnulli non communem uulgo,scilicet fœminis & seruis,sed quibusdam raris peculiarem esse dixerũt 197
Sapientiam ueram non nisi cœlestis doctrina largitur 188
Sapientiæ humanæ uanitas relinquenda,& ad cognitionem uerbi dei aspirandum 197
Sapientia hominis una est,ut deũ cognoscat & colat ibidem
Sapientia quærenda,ubi gentibus est stultitiæ titulus 201

Sapientia spectat ad filios, religio ad seruos, & utriusq; fons deus unus solus & uerus 204
Sapientiæ fundamentum in prophetis est 207
Sapientia quare religioni iungenda 271
Sapientia mundi non capit simplicem sermonem sacrarum literarum 272
Sapiens non potest esse iniustus, nec stultus iustus 310.&.311
Sapientia est intelligentia ad bonum rectumq; faciendũ 314
Sapientiam ueram quare deus uoluerit sub specie stultitiæ occultari 316
Sapiẽtes mũdi, ueritatis uiam quærũt, sed nõ inueniunt 348
Sapientes mundi quamuis boni sint natura, nihil tamen sciunt, nec sapiunt, quia sine capite sunt 202
Sapiẽtia hominis imperfecta, et diuinarũ rerũ incapax 404
Sapientia humana omnino nihil est 466
Sapientia humana quare plerunq; fallatur & erret 475
Saturnum cœli, Iouem temporis filium dici non posse 35.&.36
Saturnus homo non nisi in terra regnauit, idq; poëtarum testimonio 36.&.37
Scientia non est homini propria, sed deo 132
Scire multa, & natura rerum, & uitæ necessitas cogit 135
Scientiam non esse summum bonum 142.&.143
Scire & discere multa non satis est, sed re ipsa quæ scias facere, & quæ didiceris exercere, commendabile 163.&.164
Scientia non est uirtus, nec quicq̃ prodest si uirtus deficiat 195
Scriptura sacra cur absit ab eloquentia 129.&.130
Scriptura diuina non eget logica 155
Scripturæ arcana reuelauit Christus discipulis post resurrectionem 246
Scriptura ante Christi passionẽ nõ potuit intelligi 233.246
Scriptura sacra magis ueritate, quàm ornatu æstimanda 272

Scripturæ ſacræ nulla repugnantia 276
Scriptura & ratione, nõ ui & iniuria docẽda fides 317.318
Scripturæ diuinæ ſimplicitas quid ſibi uelit, quæ omnibus uerborum pompis præferenda ſit 386.&.387
Senſuum quinq; uoluptates reprehenduntur 382
Senſuum uoluptates coërcendæ 564
Septentrionalis mundi pars quid ſignificet 104
Sepulturam Chriſti prophetarum fides teſtatur 244
Sepelire peregrinos et pauperes, uere humanitatis officiũ 363
Sibyllæ decem citantur 16
Signa multa præcedent diem iudicij 437
Signa cœli & terræ uidebuntur aduenìente iudicio, teſtantibus prophetis & Sibyllis 440
Signa quæ præceſſura ſint Chriſtum, ad Antichriſti interitum, è cœlo deſcendentem 446
Socrates cæteris philoſophis una re prudentior, in multis tamẽ deſipuit 177
Societatis humanæ cauſas nonnulli falſo cõmentiti ſunt 354
Somniandi ratio à deo tributa 553
Spectacula & ludos reprehendit 387
Spectacula potentia ſunt ad corrumpendos animos 564
Spiritus familiares nonnulli philoſophorum habuerunt 118
Spiritus his nocent à quibus timentur, fideles autem ab omnibus incurſionibus tuti ſunt 120
Spiritus ſubiecti ſanctis, eis tanquàm ſerui obediunt ibidem
Spiritus mali cum primis per miracula falſam religionem perſuaſerunt 122
Spiritibus credere, falſæ religionis eſt 125
Spiritus maligni inſtigant cultores ſuos in perſecutionem fidelium 323.&.324
Spiritus maligni nihil poſſunt in fideles, ideo publicos hoſtes

commouent 324
Spiritalia ad religionem nostram, nihil carnalia faciunt 321
Stellas Stoici deorum loco habuerunt 84
Stoici fidem historiarum, & poëtarum figmẽta, inani physica ratione peruertunt 46
Stoici stellas & mundum adorauerunt 84
Stoici quomodo affectiones definiant 369
Stoici quantum de ratione mundi aberrent, & de authore omnium deo 405
Stulti uidentur, qui cum supplicia uitare possint, cruciari tamen & mori malunt 299
Stulti quare putantur qui uere sapientes sunt 304
Stultus non potest esse iustus, nec sapiens iniustus 310
Stultitia est, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ 312
Superstitiones gentilium sacrificiorum q̃ sint uanæ 58
Superstitionum gentilium sacrificiorum origo 65
Superstitionis nomen unde deductum 265
Supercilia commendantur in homine 536
Surdorum aures patefecit Christus 257
Sydera quomodo non sua, sed dei uoluntate, & qua ratione mouentur 85

T

TActus uoluptas quare in homine uehementior sit, & quantas per eum diabolus turpitudines ingerat 389
Templorum structuras cum sumptuosis imaginibus reprehendit 55
Templum uerum hoc est humanum pectus, ueris uirtutibus ornandum ibidem
Templa frustra ornantur auro & gemmis &c. 80
Tẽpla quo ornatiora, eo plus maiestatis habere creduntur 90
Templum dei uerum, ecclesia est, non templum Salomonis manu factum

factum 226
Templum dei,templum immortale 126.&.127
Templum dei homo est,non aurum,lapides 287
Templum dei in pectoribus hominum est 398
Tentatio dei est rogari à paupere 366
Tentatorem spiritum cur deus dederit 555
Terra nihil habet diuini 186
Terreni quærunt terrena,nec facile ueritatis uiam inueniunt 349
Tertulianus literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, minus comptus 275
Testamentum uetus quare sic dicatur 246
Testamentum nouum ueteris adimpletio est ibidem
Timiditas in sapiente esse non debet 76
Timorem philosophi in uitio ponunt, & tamen uirtus esse potest 372.&.373
Timor dei,hominum societatem custodit 487

V

VEneris obscœnitas 47
Verbum dei solum,sapientiam largitur 188
Verbum dei quare dicatur filius dei,& quid de illo testentur Dauid,Salomon,& Ioannes Baptista 212
Verbū dei uerius à Græcis λόγος q̄ à Latinis uerbum 214
Veritatis cognitio quanti sit,& semper fuerit 1
Veritatis patrocinium citra timorem suscipiendum 76
Veritatem cognouisse nihil prodest,nisi defensuro, aut sequuturo ibidem
Veritati non præiudicare debet maiorum authoritas 90
Veritatem inquirere est sapere 91
Veritas pulchre commendatur,& præfertur omni eloquentiæ 128

Veritas acerba res est 258
Veritas ubiq; sibiipsi similis est, exẽplo scripturæ sacræ 277
Veritas quare semper inuisa sit 290
Veritas & res ipsa etiã per imperitos, & rudes loquitur 319
Veritas odium parit 322
Veritatis uia & sapientiæ simplex est, angusta, ardua, & deum habet ducem 347
Veritatis uia non à terrenis, sed ab electis inuenitur per legem dei 348
Veritas non nisi ab eo sciri potest. qui doctus est à deo 419
Veritatis cognoscendæ qui gradus sint, & qui de ipsis gradibus deijciantur 466
Veritas propria ui aduersus fallacem facundiam ualet 557
Virtutem non esse summum bonum 144
Virtutis tota uis est in perferendis malis 151. & 152
Virtus nõ propter se, sed propter uitã æternã appetenda ibidẽ
Vita beata quam philosophi quærunt, nulla est 154
Vita æterna summum bonum est ibidem
Vi, iniuria, carcere & tormentis agere, carnificina est, non pietas 318. & 319
Vias duas per literam Pythagoricam designatas, easq; fidelius à Christianis, quàm philosophis tractatas ostendit 334
Viam uirtutis, quæ ad Elysios campos: & uitiorum, quæ ad tartara ducit, explicat 337
Vita temporalis laboriosa est, ut sequatur æterna 338
Virtus nulla est, sublata hominum concordia 345
Virtutis officia falso descripsit Lucilius 546
Via erroris & ueritatis cuiusmodi sit 347
Via duplex homini proponitur, quarum alteram ministrat natura, alteram largitur gratia 414
Viæ humanæ uitæ duæ sunt 560 & 561

Virtutis tres gradus sunt 366
Virtutem falso nonnulli philosophorum definierunt 340
Virtutis uera definitio est, uitium fugere, & non peccare 341
Virtus semel adepta perpetuatur, & amitti non potest 425
Visus uoluptas reprehenditur 382
Vita æterna, laborum uirtutumq; finis est 425
Voluptatem non esse summum bonum 141. & 142
Voluptates reprehendit, & ad iustitiam hortatur 509
Vox quid sit, & de obscura illius ratione 548
Vtilitate beneficentiam metiri quàm inhumanum sit, pulchris rationibus ostenditur 358. 359. & 360
Vulgo simplex atq; incorruptum iudicium est 319
Vulgo sacrarum rerum cognitio, à callidis hominibus prohibita est 319. & 320

FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM Institutionum, aduersus genteis, de falsa Religione libri primi Præfatio, ad Constantinum Imperatorem.

Quãti sit, & fuerit semper cognitio veritatis: & quòd nec sine religione sapiẽtia, nec sine sapientia sit probanda Religio. Cap. I.



AGNO ET EXCELLENti ingenio uiri, cum se doctrinæ penitus dedidissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis, & priuatis actionibus, ad inquirendæ ueritatis studium contulerunt: existimãtes multò esse præclarius, humanarũ diuinarumq; rerũ inuestigare, ac scire rationem, quàm aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæq; sunt, & ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo iustior fieri potest. Erant quidem illi ueritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupierunt: atq; ita, ut eam rebus omnibus anteponerẽt. Nam & abiecisse quosdam res familiares suas, & renunciasse uniuersis uoluptatibus, cõstat, ut solam nudamq; uirtutem, nudi expeditiq; sequerentur: tantum apud eos uirtutis nomen atq; authoritas ualuit, ut in ea omne summi boni præmium prædicarent. Sed neque adepti sunt id, quod uolebant, & operam simul atq; industriã

perdidcrũt: quia ueritas, id est arcanum summi dei, qui fecit omnia, ingenio ac proprijs non potest sensibus cõprehẽdi: alioquin nihil inter Deum hominemq; distaret, si consilia & dispositiones illius maiestatis æternæ cogitatio assequeretur humana. Quod quia fieri nõ potuit, ut homini per seipsum ratio diuina innotesceret, non est passus hominem deus lumen sapientiæ requirentem diutius oberrare, ac sine ullo laboris effectu uagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos eius aliquando, & notionem ueritatis munus suũ fecit: ut & humanam sapientiã nullam esse monstraret, & erranti ac uago uiam consequendæ immortalitatis ostenderet. Verum quoniam pauci utuntur hoc cœlesti beneficio ac munere, quod obuoluta in obscura ueritas latet, eaq; uel contemptui doctis est, quia idoneis assertionibus. Aliter assertoribus eget: uel odio indoctis, ob insitam sibi austeritatem, quã natura hominũ procliuis in uitia pati non potest (nam quia uirtutibus amaritudo permista est, uitia uero uoluptate condita sunt: illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps: ac bonorum specie falsi mala pro bonis amplectuntur) succurrendum esse his erroribus credidi, ut & docti ad ueram sapientiã dirigantur, & indocti ad ueram religionẽ. Quæ professio multo melior, utilior, glorioſior putãda est, quàm illa oratoria, in qua diu uersati, non ad uirtutem, sed plane ad argutam malitiam iuuenes erudiebamus. Multò quippe nunc rectius de præceptis cœlestibus disſeremus, quibus ad cultum ueræ maiestatis mẽtes hominum instruere poſsimus: nec tam de rebus humanis benè meretur, qui scientiam benedicẽdi affert, quàm qui piè, atq; innocenter docet uiuere. Idcirco maiori in gloria philoſophi, q̃ oratores fuerunt apud Græcos. Illi enim rectè uiuendi doctores sunt existimati, quod est longè præstabilius, quoniã benedicere ad paucos pertinet, bene autem uiuere ad omnes. Multum tamẽ nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc maiori copia, &

copia, & facultate dicendi causam ueritatis peroremus: quæ licet possit sine eloquentia defendi, ut est á multis sæpe defensa, tamen claritate, ac nitore sermonis illustranda, & quodãmodo disserenda est, ut potẽtius in animos influat, & ui sua instructa & luce orationis ornata. De religione itaq; nobis, rebusq; diuinis instituitur disputatio. Nam si quidam maximi oratores, professionis suæ quasi ueterani decursis operibus actionum suarum, postremo se philosophiæ tradiderũt: eamq; sibi requiẽ laborum iustissimam putauerunt, si animos suos in earum rerũ, quæ inueniri non poterant, inquisitione torquerent, ut nõ tam ocium sibi, quàm negotium quæsisse uideãtur, & quidem multò molestius, quàm in quo fuerant ante uersati: quanto iustius ego me ad illam piam, ueram, diuinam sapientiam, quasi ad portum aliquem tutissimum conferam, in qua omnia dictu prona sunt, auditu suauia, facilia intellectu, honesta susceptu? Et si quidam prudentes, & arbitri æquitatis, institutiones ciuilis iuris compositas ædiderunt, quibus ciuium dissidentium lites, contentionesq; sopirent: quanto melius nos, & rectius diuinas institutiones literis prosequemur, in quibus non de stillicidijs, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda: sed de spe, de uita, de salute, de immortalitate, de deo loquemur, ut superstitiones mortiferas, erroresq; turpissimos sopiamus? Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus Constantine Imperator maxime. Qui primus romanorum principum, repudiatis erroribus, maiestatem dei singularis ac ueri & cognouisti, & honorasti. Nam quum ille dies fœlicissimus orbi terrarũ illuxisset, quo te deus summus ad beatum imperij culmen euexit, salutarem uniuersis, & optabilem principatum præclaro initio auspicatus es, cum euersam sublatamq; iustitiam reducens teterrimum aliorum facinus expiasti. Pro quo facto dabit tibi Deus fœlicitatẽ, uirtutem, diuturnitatem: ut eadem iustitia, qua iuuenis exorsus es, guberna-

culum Reip.etiam senex teneas tuisq; liberis,ut ipse à patre acepisti,tutelam Romani nominis tradas. Nam malis,qui adhuc aduersus iustos in alijs terrarũ partibus sæuiunt,quanto serius, tanto uehementius idem omnipotẽs mercedem sceleris exoluet: quia ut est erga pios indulgẽtissimus pater,sic aduersus impios rectissimus iudex. Cuius religionem,cultumq; diuinum cupiens defendere,quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum per quem rebus humanis iustitia,ac sapientia restituta est? Omissis ergo huiusce terrenæ philosophiæ authoribus, nihil certi asserentibus,aggrediamur uiam rectam: quos equidem si putarem satis idoneos ad bene uiuendum duces esse, & ipse sequerer,& alios ut sequerentur,hortarer. Sed cum inter se magna concertatione dissideant,secũq; ipsi plerunq; discordent,apparet eorũ iter nequaquàm esse directum: siquidem sibi quiq;,ut est libitũ, proprias uias impresserunt, confusionemq; magnam quærentibus,ueritatem reliquerunt. Nobis autem,qui sacramẽtum ueræ religionis accepimus, quum sit ueritas reuelata diuinitus,cum doctorem sapientiæ, ducemq; ueritatis deum sequamur,uniuersos sine ullo discrimine uel sexus, uel ætatis ad cœleste pabulũ cõuocamus. Nullus enim suauior animo cibus est,quàm cognitio ueritatis.=Cuius=Aliter cui asserendæ atq; illustrandæ, septẽ uolumina destinauimus:quamuis ea res infiniti pene sit operis, & immensi:ut si quis hæc dilatare,atq; excequi plenissimè uelit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modum,nec finem reperiat oratio. Sed nos ideirco breuiter omnia colligemus, quod ea quæ allaturi sumus,tam clara sunt & lucida,ut magis mirum esse uideatur, tam obscuram uideri hominibus ueritatẽ: & ijs precipue,qui sapiẽtes uulgo putantur, uel quod tantummodo instruẽdi nobis homines crũt, hoc est ab errore quo sunt impliciti, ad rectiorem uiam reuocandi. Quod si fuerimus(ut spero)assecuti,mittemus eos ad ipsum doctrinæ huberrimum ac

plenissimũ

pleniſſimum fontem, cuius hauſtu atq; potu conceptã uiſceribus ſitim ſedent: ardoremq; reſtinguant. Eruntq; illis omnia facilia, prona, manifeſta: modo ne pigeat ad percipiendam ſapientiæ diſciplinam legendi uel audiẽdi patientiam commodare. Multi enim uanis ſuperſtitionibus pertinaciter inhærentes, obdurant ſe contra manifeſtam ueritatem, non tam de ſuis religionibus, quas praue adſerunt, benemeriti, quàm de ſe male: qui quum habeant iter rectum, deuios ſequuntur anfractus: planum deſerũt, ut per præcipitiũ labãtur: lucem relinquunt, ut in tenebris cæcã ac debiles iaceant. His conſulendum eſt, ne contra ſe pugnent, uelintq; ſe tandem ab inueteratis erroribus liberari: quod utiq; facient, ſi quare ſint nati, aliquando peruiderint. Hæc enim prauitatis eſt cauſa, ignoratio ſui: quã ſi quis cognita ueritate diſcuſſerit, ſãat quo referẽda, & quẽadmodũ ſibi uita degẽda ſcit. Cuius ſciẽtiæ breuiter ſummã circũſcribo, ut neq; religio ulla ſine ſapiẽtia ſuſcipiẽda ſit, nec ulla ſine religione probanda ſapientia.

Quod prouidentia ſit in rebus humanis. Cap. II.

SVſcepto igitur illuſtrandæ ueritatis officio, nõ putaui adeo neceſſarium ab illa quæſtione principium ſumere, quæ uidetur prima eſſe: natura ſit ne prouidẽtia, quæ rebus omnibus cõſulat, an fortuitu uel facta ſint omnia uel regantur? Cuius ſententiæ author eſt Democritus, cõfirmator Epicurus: ſed & anteà Protagoras, qui deos in dubium uocauit: & poſteà Diagoras qui excluſit: & alij nonnulli, qui non putauerunt deos eſſe: quid aliud effecerunt, niſi ut nulla eſſe prouidentia putaretur? quos tamen cæteri philoſophi, ac maxime Stoici acerrime retuderunt dicẽtes, nec fieri mundum ſine diuina ratione potuiſſe nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quãuis academicæ diſciplinæ defenſor eſſet, de prouidentia gu-

bernatrice rerum, & multa sæpe disseruit, Stoicorum argumenta confirmans, & noua ipse afferēs plurima: quod facit, tum in omnibus suæ philosophiæ libris, tum maxime in ijs, qui sunt de natura deorum. Nec difficile sane fuit paucorum hominū praue sentientium redarguere mendatia, testimonio philosophorum, atq; gentium in hac una re non dissidentiū. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cuius dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, cōstantia, utilitate, pulchritudine, tēperatione. Nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum. Et nobis utiq; facillimū est exequi hanc partē quamlibet copiose. Sed quia multū inter philosophos agitata res est, & prouidentiam tollentibus satis responsum uidetur ab hominibus argutis, & eloquētibus, & de solertia diuinæ prouidētiæ per totū hoc opus, quod susæpimus, sparsim dicere nos necesse est: omittamus hanc in præsenti quæstionem, quæ cū cæteris sic cohæret, ut nihil à nobis dissèri posse uideatur, ut non simul de prouidentia dissèratur.

An potestate vnius dei mūdus regatur, an multorum. Cap. III.

SIt igitur nostri operis exordiū quæstio illa consequēs, ac secunda: Vtrū potestate unius dei mūdus regatur, an multorū? Nemo est quidē, qui sapiat, rationemq; secū putet qui non unū deū esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, uirtute moderetur. Quid enim multis opus est ad mūdi regimen sustinendū? nisi forte arbitremur si plures sint, minus habere singulos neruorū atq; uiriū? Quod quidē faciūt ij, qui esse multos uolūt, quia necesse est imbecilles esse, siquidē singuli sine auxilio reliquorū tantæ molis gubernaculū sustinere nō posset.

Deus

Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utiq; parte perfectæ cõsummataeq; uirtutis est. Quod si uerũ est, unus sit necesse est. Potestas enim, uel uirtus absoluta, retinet suã propriã firmitatẽ. Id autem solidũ existimandũ est, cui nihil decedere: id perfectũ, cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimũ esse regem, qui totius orbis habeat imperium? neq; immerito, cũ illius sint, quæ ubiq; sunt omnia: cũ ad eum solũ omnes undiq; copiæ congerãtur. At si plures partiãtur orbẽ, minus certe opũ, minus uiriũ singuli habebũt: cũ intra præscriptã portionẽ se quisq; cõtineat. Eodẽ etiam modo dij, si plures sint minus ualebunt, alijs tantundem in se habẽtibus. Virtutis autem perfecta natura non potest esse nisi in eo, in quo totũ est, non in eo in quo pars exigua de toto est. Deus uero, si perfectus est (nam perfectus est) ut esse debet, nõ potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur uirtutes ac potestates infirmiores sint, necesse est: quia tantum singulis decerit, quantum in cæteris fuerit: ita quanto plures, tanto minores erunt. Quid; quod illa summa rerũ potestas ac diuina uis ne semel quidẽ diuidi potest? Quicquid enim capit diuisionem, & interitũ capiat necesse est. Si autem interitus procul est à deo, quia incoruptibilis est & æternus: cõsequens est, ut diuidi potestas æterna nõ possit. Deus ergo unus est, si nihil aliud esse potest, quod tantundẽ capiat potestatis, & ij tamen, qui multos esse arbitrantur, officia inter se dicũt esse partitos: de quibus omnibus suo loco disputabimus. Illud interim, quod ad præsentẽ locũ pertinet, teneo. Si partiti sunt inter se officia, eodẽ reuoluitur res, ut ex ijs quilibet suffiere omnibus nequeat. Perfectus igitur iam nõ erit qui cessantibus cæteris, nõ potest omnia gubernare. Ita fit, ut ad regendũ mundũ unius perfecta uirtute magis opus sit, quàm imbecillitate multorum. Qui autem putat hanc tantã magnitudinem non posse ab uno regi, fallitur. Nec enim quanta uis potestasq; sit diuinæ maiestatis intelligit, si existimat

singularem Deũ qui facere mundum potuit, eundem regere nõ posse quem fecit. At si concipiat animo, quanta sit diuini huius operis immensitas, cũ antea nihil esset, tamẽ uirtute atq; cõsilio Dei ex nihilo esse conflatam: quod opus nisi ab uno inchoari perficiq; non potuit: iam intelliget, multo facilius ab uno regi, quod est ab uno constitutũ. Dicat fortasse aliquis, ne fabricari quidẽ tã immensum opus mũdi, nisi à pluribus potuisse: quamlibet multos, quamlibet magnos faciat, quicquid in multis magnitudinis, potestatis, uirtutis, maiestatisq; posuerit, id totũ in unum cõfero & in uno esse dico: ut tantũ in eo sit istarũ rerũ, quantum nec excogitari, nec dici potest. Qua in re, quoniã & sensu deficimus, & uerbis: quia neq; tãtæ intelligentiæ lucẽ pectus humanum, neq; explanationem tantarũ rerũ capit lingua mortalis, idipsum intelligere nos oportet, ac dicere. Video rursus quid econtrario dici possit. Tales esse illos plures, qualẽ nos uolumus unum. At hoc fieri nullo pacto potest, quod singulorũ potestas progredi longius nõ ualebit, occurrentibus sibi potestatibus cæterorum. Necesse est enim, ut suos quisq; limites aut transgredi nequeat, aut si transgressus fuerit, suis alterum finibus pellat. Non uident qui deos multos esse credunt, fieri posse ut aliquid diuersum uelint, ex qua re disceptatio inter eos & certamen oriatur. Sicut Homerus bellantes inter se deos finxit, cum alij Troiã capi uellẽt, alij repugnarẽt. Vnius igitur arbitrio mundũ regi necesse est. Nisi enim singularũ partiũ potestas ad unam prouidentiã referatur, nõ poterit summa ipsa cõstare potestas uno quoq; nihil curãte amplius, quàm quod ad eũ proprie pertineat. Sic ut ne res quidẽ militaris, nisi unũ habeat ducẽ, atq; rectorẽ. Quid si in uno exercitu tot fuerint imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ, primũ nec instrui poterit acies, unoquoq; periculũ recusante, nec regi facile aut tẽperari: quod suis proprijs cõsilijs utãtur omnes, quorũ diuersitates

sitates plus noceant quàm prosint? Sic in hoc rerũ naturæ imperio, nisi unus fuerit, ad quẽ totius summa cura referatur, uniuersa soluẽtur, & corruent. Dicere autem multorũ arbitrio regi mundũ, tale est, quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mẽtes: quoniã multa & uaria sunt ministeria membrorũ ut singulos corporis sensus singulæ mẽtes regere credãtur. Itẽ multi affectus, quibus commoueri solemus uel ad irã, uel ad cupiditatem, uel ad læticiam, uel ad metum, uel ad miserationem: ut in his omnibus totidem mentes putentur operari.

Quod vnus vere sit deus à prophetis etiam prænunciatus. Cap. IIII.

QVod si quis profecto dicat, ne ipsam quidẽ, quæ una est, habere uideatur: quod si in uno corpore tantarũ rerũ gubernationẽ mens humana posideat, & uniuersis simul intenta est, cur aliquis existimet mundũ non posse ab uno regi, à pluribus posse? Quod quia intelligũt isti adsertores Deorũ, ita eos præesse singulis rebus ac partibus, dicũt ut tãtũ unus sit rector eximius. Iam ergo cæteri Dij nõ erunt, sed satellites ac ministri, quos ille unus maximus, & potẽs omniũ officijs his præfecerit, ut ipsi eius imperio, ac nutibus seruiant. Si uniuersi pares non sunt, nõ igitur Dij omnes sunt. Nec enim potest hoc idem esse, quod seruit & quod dominatur. Nam si Deus est nomẽ summæ potestatis, incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis, nulli rei subiectus. Ergo Dij non sunt, quos parere uni maximo deo necessitas cogit. Sed quia nõ frustra falluntur ij, qui hoc ita putant, causam huius erroris paulò post aperiemus. Nunc unitatẽ diuinæ potestatis testimonijs cõprobemus. Prophetæ, qui fuerũt admodũ multi, unũ deum prædicãt, unũ loquuntur: quippe qui unius diei spiritu pleni, quæ futura essent pari & cõsona uoce prædixerunt. At enim ueritatis expertes, non putant his esse credendũ.

credendũ. Illa enim non diuinas, sed humanas uoces fuisse aiunt, uidelicet quia de uno deo præconiũ faciunt, aut insani, aut mendaces fuerunt. Atqui impleta esse in plerisq; quotidie illorũ uaticinia uidemus, & in unam sententiã congrues diuinatio docet non fuisse furiosos. Quis enim mentis emotæ, non modo futura præcinere, sed etiã cohærentia loqui posit? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebãtur? Quid ab his tam longe alienum fuit quàm ratio fallendi, cũ cæteros ab omni fraude cohiberẽt? Idcirco enim à deo mittebãtur, ut & præcones essent maiestatis eius & correctores prauitatis humanæ. Præterea uoluntas fingẽdi, ac mentiendi eorũ est, qui opes appetunt, lucra desiderant: quæres procul dubio ab illis sanctis uiris abfuit. Ita enim delegato sibi offitio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelã uitæ necessarijs, non modo in futurũ, sed ne in diẽ quidẽ laborent, contẽti extemporali cibo quẽ deus subministrasset: & hi nõ modo quæstũ nullum habuerunt, sed etiam cruciatus & mortẽ. Amara sunt enim uitiosis, ac male uiuentibus præcepta iustitiæ. Itaq; ij, quorũ peccata & arguebãtur, & prohibebãtur, exercuãtos eos acerbissime necauerũt. Ergo à quibus abfuit studiũ lucri, abfuit etiam uoluntas peccãdi & causa fallẽdi. Quid, quod aliqui eorũ principes aut etiam reges fuerũt, in quos cadere nõ posset suspitio cupiditatis ac fraudis? & tamen præconium dei singularis eadem qua cæteri diuinatione fecerunt.

De testimoniis Poetarum. Cap. V.

Sed omittamus sane testimonia prophetarũ, ne minus idonea probatio uideatur esse, quibus ab his omnino non creditur. Veniamus ad authores, & eos ipsos ad ueri probationem testes ducemus, quibus contra nos uti solent: poetas dico, ac philosophos, ex his unum deum probemus necesse est. Non quod illi habuerint cognitam ueritatem, sed quod ueritatis ipsius tanta uis est, ut nemo possit esse tam cæcus, qui non uideat ingerentem

rentem se oculis diuinam claritatem. Poëtæ igitur, quamuis deos carminibus ornauerint, & eorũ res gestas amplificauerint summis laudibus, sæpissimè tamẽ confitentur spiritu, uel mente una contineri, regiq; omnia. Orpheus, qui & uetustissimus Poëtarũ, & æqualis ipsorũ deorum (siquidem traditur inter argonautas cũ Tyndaridis & Herale nauigasse) deum uerum & magnum πρωτόγονον, id est primogenitũ appellat, quod ante ipsum nihil sit genitũ, sed ab ipso sint cũcta generata. Eũdẽ etiã φάνητα id est apparẽtem nominat: quod, cũ adhuc nihil esset primus ex infinito apparuerit, et extiterit. Cuius originẽ atq; naturã, quia concipere animo non poterat, ex aëre immẽso natũ esse dixit.

πρωτόγονος Φαέθων πτερομήκεος ἠέρος υἱός.

Id est: Principio genitus Phaeton longo aëre natus.

Aliud enim amplius, quod diceret, nõ habebat. Hũc ait esse omniũ deorũ parentẽ, quorũ causa cœlũ cõdiderit, liberisq; prospexerit, ut haberẽt habitaculũ, sedẽq; communẽ, ἑκάστεμ θεοῖσ δόμον ἄφθιτον Id est: Cõdidit immortalibus domũ incorruptibilẽ. Natura igitur et ratione ducẽte intellexit esse præstantissimã potentiam cœli ac terræ conditricem. Non poterat enim Iouem dicere esse principem rerum qui erat Saturno genitus: neq; Saturnum ipsum, qui cœlo natus ferebatur. Cœlum autem tanquam deum primum constituere non audebat, quod uidebat esse elementum mundi, quod ipsum egucrit author. Hæc eum ratio perduxit ad illum deum primogenitum, cui assignat & tribuit principatum. Homerus nihil nobis dare potuit quod pertineat ad ueritatem, qui humana potius quàm diuina conscripsit. Potuit Hesiodus, qui deorum generationem unius libri opere complexus est. Sed tamen nihil dedit, non à deo conditore sumens exordium, sed à Chao, quod est rudis, inordinataq; materiæ confusa congeries. cum explanare ante debucrit Chaos ipsum, unde, quando, quomodo esse, aut constare

cœpisset.

cœpisset. Nimirum sicut ab aliquo artifice dispositа, ordenata, effecta sunt omnia, sic ipsam materiã fictam esse ab aliquo necesse est. Quis igitur hãc, nisi deus fecerit? cuius potestati subiacẽt omnia. Sed refugit hoc ille, dũ horret incognitum ueritatem. Nõ enim Musarũ instinctu, siue uideri uolebat, in Helicone carmen illud effudit, sed meditatus uenerat, & paratus. Nostrorum primus Maro non longe fuit à ueritate, cuius de summo Deo, quem spiritum, ac mentem nominauit, hæc uerba sunt:

Principio cœlum, ac terras camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, titaniaq; astra,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

At ne quis forte ignoret, quis nam esset ille spiritus, qui tantum haberet potestatis, declarauit alio loco dicens:

Deum namq; ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum,
Quemq; sibi tenuis nascentem arcessere uitas.

Ouidius quoq; in principio præclari operis, sine ulla nominis dissimulatione à deo, quẽ fabricatorẽ mundi, quem rerũ opificẽ uocat, mundũ fatetur instructũ. Quod si uel Orpheus, uel hi nostri, quæ natura ducente senserunt, in perpetuũ defendissent, eandem, quã nos sequimur, doctrinã comprehẽsa ueritate tenuissent. Sed hactenus de poẽtis, ad philosophos ueniamus, quorum grauior est authoritas, certiusq; iuditiũ, quia nõ rebus commenticijs, sed inuestigandæ ueritati studuisse creditur. Thales Milesius, qui unus è numero septẽ Sapientũ fuit, qui primus omniũ quæsisse de causis naturalibus traditur, aquam esse dixit, à qua nata sunt omnia. Deũ autem esse mentẽ, qui ex aqua cuncta formauerit. Ita materiam omnium rerum posuit in humore, principiũ causamq; nascendi posuit in Deo. Pythagoras ita definiuit quid esset deus: animus,

animum, qui per uniuersas mũdi partes, omnẽq; naturã commeãs, atq; diffusus: ex quo omnia, quæ nascũtur, animalia uitã capiũt. Anaxagoras Deũ esse dixit infinitã mentẽ, quæ per seipsum mouetur. Antisthenes multos quidẽ esse populares Deos, unũ tamẽ naturalẽ summæ totius artificẽ. Cleãthes & Anaximenes æthera dicunt esse summum Deum: cui opinioni poëta noster assensit.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno permistus corpore fœtus.

Chrysippus naturalẽ uim diuina ratione præditam, interdũ diuinam necessitatẽ Deum prædicat. Item Zenon diuinam naturalẽq; legem. Horũ enim omnium sententia, quamuis sit incerta, eòdem tamen spectat, ut prouidentiam unam esse consentiant: siue enim natura, siue ratio, siue mens, siue fatalis necessitas, siue diuina lex, siue quid aliud dixeris, idem est, quod à nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationũ diuersitas, cum ipsa significatione ad unum omnia reuoluantur. Aristoteles, quamuis ipse secum dissideat, ac repugnantia sibi & dicat, & sentiat, in summũ tamen unã mentem mundo præesse testatur. Plato, qui omnũ sapientissimus iudicatur, monarchiã plane apertéq; defendit: nec æthera, aut rationem, aut naturã, sed, ut est deũ nominat: ab eo mundũ hunc perfectum, atq; mirabilem esse fabricatũ. Quem Cicero secutus, atq; imitatus in plurimis, deũ frequenter confitetur, ac supremũ uocat in ijs libris, quos de legibus scripsit: ab eoq; regi mundũ argumentatur cum disputat de natura deorum, hoc modo: Nihil est præstãtius Deo, ab eo igitur mundũ regi necesse est. Nulli igitur est naturæ obediens, aut subiectus deus: omnẽ ergo regit ipse naturã. Quid autem sit deus in consolatione definit. Nec uero deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni cõcretione mortali, omnia sentiens, & omnia mouens. Annæus quoq; Seneca,

qui ex

qui ex romanis uel acerrimus Stoicus fuit, q̃ sæpe summũ deum merita laude prosequitur. Nã quũ de immatura morte dissereret, nõ intelligis inquit, authoritatẽ ac maiestatẽ iudicis tui, rectoris orbis terrarũ, cœliq;, et deorũ omniũ dei, à quo ista numina quæ singula adoramus & colimus, suspẽsa sunt? Itẽ in exhortationibus. Hic, cũ prima fundamẽta molis pulcherrime iaceret, et hoc ordiretur, quo nec̃q; maius quicq̃ nouit natura, nec melius, ut omnia sub duabus suis irẽt, quãuis ipse per totũ se corpus intẽderat tamẽ ministros regni sui deos genuit. Et quàm multa alia de deo nostris similia locutus est: quæ nũc differo, quod alijs locis opportuniora sunt. Nũc satis est demõstrare summo ingenio uiros attigisse ueritatem, ac pene tenuisse: nisi eos retrorsum fuata prauis opinionibus cõsuetudo rapuisset, qua & deos alios esse opinabãtur: & ea, quæ in usum hominis deus fecit, tanquàm sensu prædita essent, pro dijs habenda, & colenda credebant.

De testimoniis prophetarũ & philosophorũ: & de testimoniis Cottæ põtificis, Trismegisti, & de decẽ Sibyllis. Cap. VI.

Nũc ad diuina testimonia trãseamus, sed prius unũ profera, quod est simile diuino, & ob nimiã uetustatẽ et quod is, quẽ nominabo, ex hominibus inter deos relatus est. Apud Ciceronẽ C. Cotta põtifex disputãs cõtra Stoicos de religionibus, et de uarietate opinionũ, quæ solẽt esse de dijs: ut more Academicorũ oĩa facerẽt incerta, quinq̃; fuisse Mercurios ait: & enumeratis per ordinẽ quatuor, quintũ fuisse eum, à quo Argus occisus sit: ob eãq̃; causam in Aegyptũ profugisse: atq̃; Aegyptijs leges ac literas tradidisse. Hũc Aegyptij Thoth appellãt: à quo apud eos primus anni sui mẽsis, id est Septẽber nomẽ accepit. Idẽ oppidũ cõdidit quod etiã nũc Græce uocatur ἑρμόπολις: et Saitæ seruant,

seruãt, & colũt eũ religiosè. Qui tametsi homo fuerit antiquissimus, tamẽ & instructissimus omni genere doctrinæ, adeò, ut ei multarũ rerũ & artiũ scientia Trismegisto cognomẽ imponerct. Hic scripsit libros, et quidẽ multos, ad cognitionẽ diuinarũ rerũ pertinentes, in quibus maiestatẽ summi ac singularis dei adscrit: ijsdẽq; nominibus appellat, quibus nos deũ & patrẽ, ac ne quis nomẽ eius requireret, ἀνώνυμον, id est sine nomine esse dixit, cò q; nominis proprietate nõ egeat, ob ipsã scilicet unitatẽ. Ipsius hæc uerba sũt: ὁ δὲ θεὸς εἷς ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἐστὶ γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος, id est: Deus aũt unus, unus aũt noie nõ eget: est enim qui est sine nomine. Deo igitur nomẽ nõ est, quia solus est: nec opus est proprio uocabulo, nisi cũ discrimẽ exigit multitudo, ut unãquãq; personã sua nota & appellatione designes. Deo aũt quia semper unus est, propriũ nomẽ est Deus. Superest de responsis carminibusq; sacris, testimonia quæ sunt multo certiora proferre. Nã fortasse ij, cõtra quos agimus, nec poëtis putãt esse credẽdũ, tanq; uana fingẽtibus: nec philosophis, qui errare potuerũt, quia & hi homines fuerũt. M. Varro quo nemo unq; doctior, ne apud Græcos quidẽ, neq; apud latinos uixit, in libris rerũ diuinarũ, quos ad C. Cæsarẽ scripsit põtificẽ maximũ, cũ de quindecim uiris loquceretur, Sibyllinos libros ait nõ fuisse unius Sibyllæ: sed appellari uno nomine Sibyllinos, q. omnes fœminæ uates Sibyllæ sunt à ueteribus nũcupatæ, uel ab unius Delphidis nomine, uel à cõsilijs deorũ deuũciãdis: σοὶ γὰρ enim deos, nõ θεοὺς: & cõsiliũ nõ θουλὴν, sed θυλὴν appellabãt Acolico genere sermonis. Itaq; Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. Cæterũ Sibyllas decem numero fuisse easq; omnes enumerauit sub authoribus, qui de singulis scriptitarũt. Primã fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundã Libycam, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua

Chrysippus

Chrysippus loquitur in eo libro, quem de diuinatione cõposuit. Quartam Cumeam in Italia, quã Næuius in libris belli Punici Piso in annalibus nominat. Quintã Erythream, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse auẽ. Eamq; Graijs Ilium petentibus uaticinatam, & periturã esse Troiam, & Homerum mendacia scripturũ. Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorũ reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amalthæam, quæ ab alijs Demophile, uel Herophile nominatur: eamq; nouem libros attulisse ad regẽ Tarquiniũ Priscum, ac pro eis trecentos philippeos postulasse: Regemq; aspernatũ pretij magnitudinem, & derisisse mulieris insaniam: illã in conspectu Regis tres cõbussisse, ac pro reliquis idem preaũ postulasse. Tarquiniũ multo magis mulierem insanire putasse: quæ denuo tribus alijs exustis, quum in eodem preacio perseueraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse: quorũ postea numerus sit auctus, capitolio refecto, quod ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis, præcipue Erythræis coacti allatiq; sunt Rhomã, cuiuscunq; Sibyllæ nomine fuerunt. Octauam Hellespontică in agro Troiano natam, uico Marpesso, arca oppidum Gergithium, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuisse tẽporibus. Nonam Phrygiam, quæ uaticinata sit Ancyræ. Decimã Tiburtem, nomine Albuneã, quæ Tiburi colitur ut dea iuxta ripas Anienis: cuius in gurgite, simulachrum eius inuentũ esse dicitur, tenẽs in manu librũ, cuius sacra senatus in capitoliũ transtulerit. Harũ omnium Sibyllarũ carmina & feruntur, & habentur præterquàm Cumeæ: cuius libri à Rhomanis occuluntur, nec eos ab ullo, nisi à quindecim uiris inspicj fas est. Et sunt singularũ singuli libri: qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntq; confusi, nec discerni, ac suum cuiq; assignari potest, præter Erithreæ, quæ & nomen suũ carmini uerum inscruit, & Erythræam se nominatũ

iri præloquta

ùri prælocuta est, cum esset orta Babyloniæ: sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sic ubi testimonijs earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ unum Deum prædicant, maxime tamẽ Erythræa, quæ ælebrior inter cæteras ac nobilior habetur: siquidem Feneſtella diligentiſsimus ſcriptor de. XV. uiris dicens ait: reſtituto capitolio retuliſſe, ad ſenatum C. Curionẽ Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Rhomã deportarent. Itaq; miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valeriũ: qui deſcriptos à priuatis uerſus ærea mille Rhomã deportarũt: idẽ ſupra oſtendimus dixiſſe Varonẽ. In ijs ergo uerſibus: quos legati Rhomã attulerunt, de uno deo hæc ſunt teſtimonia:

εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστι, μ ὑπερμεγέθης ἀγένητος.

Quod ſic ſonat: Vnus deus, qui ſolus eſt excedens omnem magnitudinem, increatus. Hunc eſſe ſolum Deum ſummum, quẽ cœlum fecerit, luminibuſq; diſtinxerit.

ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς παντυπέρτατος, ὃς πεποίηκεμ
οὐρανὸμ ἠέλιόμ τε καὶ ἀστέρας, ἠδ᾽ σελήνημ

Καρποφόρομ γαῖαμ τε, καὶ ὕδατος οἶδματα, πόντου

Quæ omnia ſic latinis ſonant auribus: Sed deus ſolus unus eminentiſsimus, qui fecit cœlum, ſolemq;, & ſtellas, & lunam, fructiferamq; terram, & aquæ maris fluctus. Qui quoniam ſolus ſit ædificator mundi, & artifex rerum, uel quæ in eo ſunt, ſolum coli oportere teſtatur.

αὐτὸμ τὸμ μόνομ ὄντα σέβεσθαι ἡγητορα κόσμου.
ὃς μόνος ἐστὶ καὶ αἰῶνα, καὶ ἐξ αἰῶνος ἔτυχεμ.

Id eſt: Ipſum, qui ſolus eſt, colite principem mũdi: Qui ſolus eſt in ſeculum, atq; à ſeculo fuit. Item alia Sibylla, quæcunq; eſt, cũ perferre ſe ad homines dei uocem diceret, ſic ait:

εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ εἰσὶ θεὸς ἄλλος.

Id eſt: Solus enim deus ſum, & non eſt deus alius.

Exequerer nunc teſtimonia cæterarũ, niſi & hæc ſufficerẽt, &

illa opportunioribus locis reseruare. Sed cũ defendamus causam ueritatis apud eos, qui aberrantes à ueritate, falsis religionibus seruiunt: quod genus probationis aduersus eos magis adhibere debemus, quàm ut eos deorum suorum testimonijs reuincamus?

De testimoniis Apollinis & Deorum. Cap. VII.

APollo enim, quem præter cæteros diuinum, maximeq; fatidicum existimant, Colophonæ respondens (quod Delphis credo emigrauerat, amœnitate ductus Asiæ) quærenti cuidam quis esset, aut quid esset omnino Deus, respondit uiginti et uno uersibus: Quorum hoc principium est:

αὐτοφυὴς, ἄδμητος, ἀμήτωρ, ἀσυφέλικτος
ὀνόμα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων.
τοῦτ' ἐστὶ θεός, μικρὰ δ' ἐστὶ θεοῦ μερίς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Id est: Ex se ortus, non edoctus, sine matre, inconcussus,
Nomen ne uerbo quidem capiendum, in igne habitans,
Hoc deus est: modica autem dei portio angeli nos.

Nunquid potest suspicari de Ioue esse dictũ, qui matrem habuit & nomen? Quid quod Mercurius ille ter maximus, cuius supra mentionem feci, non modo ἀμήτωρ, ut Apollo, sed ἀπάτωρ quoq; appellat Deum, quod origo illi non sit aliunde. Nec enim potest ab ullo generari, qui ipse uniuersa generauit. Satis (ut opinor) & argumentis docui, & testibus confirmaui, quod per se satis clarum est, unum esse regem mũdi, unum patrem, unũ Deũ. Sed fortasse quærat aliquis à nobis idem illud, quod apud Ciceronem quærit Hortensius: Si Deus unus est, quæ esse beata solitudo queat? tanquam nos, qui unum esse dicimus, desertũ ac solitarium esse dicamus? Habet enim ministros, quos uocamus nuncios. Et est illud uerum, quod dixisse in exhortationibus Senecam supra retuli genuisse regni sui ministros Deum. Verum hi neq;

hi neq; dij sunt, neq; deos se uocari, aut coli nolunt: quippe qui nihil præter iussum, ac uoluntatem dei faciant. Nec tamen illi sunt, qui uulgo coluntur: quorum & exiguus, & certus est numerus Quod si cultores deorum ipsos eos se colere putant, quos summi dei ministros appellamus: nihil est, quod nobis faciant inuidiã, qui unũ dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat, non duodecim dicimus aut trecentos sexaginta quinq; (ut Orpheus) sed innumerabiles esse arguimus eorum errores in diuersum qui tam paucos putant. Sciant tamen quo nomine appellari debeant, ne deum uerum uiolent, cuius nomen exponũt, dum pluribus tribuunt. Credant Apollini suo, qui eodem illo responso, ut Ioui principatum, sic etiam cæteris dijs abstulit nomẽ. Tertius enim uersus ostendit Dei ministros, non deos, uerum angelos appellari oportere. De se quidem ille mentitus est, qui cũ sit è numero dæmonũ, angelis se Dei aggregauit: deniq; in alijs responsis dæmonem se esse confessus est. Nam cum interrogaretur, quomodo sibi supplicari uellet, ita respondit:

πάνσοφε, παντοδίδακτ', ἐνολοίστροφε μὲν κλύθι δαῖμον.

Id est: Omnia sapiens, omnia docte, qui per cuncta uersaris, exaudi dæmon. Item rursus cum preces in Apollinem Smyntheũ rogatus expromeret, ab hoc uersu exorsus est.

ἁρμονίη κόσμοιο φαεσφόρε καὶ σοφὲ δαῖμον.

Id est: Concentus mundi, lucifer, & sapiens dæmõ. Quid ergo superest, nisi ut sua confessione uerberibus ueri Dei, ac pœnæ subiaceat sempiternæ? Nam in alio responso ita dixit:

δαίμονες οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον
ἀκάματοι, δάμυανται ὑπαὶ μάστιγι θεοῖο.

Id est: Dæmones qui uentitant circa terram & circa pontum. Indefessi domantur sub flagello dei.

De utrisq; generibus in. 2. lib. disseremus. Interim nobis sat est, quod dum se honorare uult, & in cœlo collocare confessus est,

id quod res se habet quomodo sint appellãdi, qui Deo ãssistunt. Retrahant ergo se homines ab erroribus: & abiectis religionibus prauis, parentem suum, dominumq; cognoscant: cuius nec uirtus existimari potest, nec magnitudo perspici, nec principiũ comprehendi: cum ad illum mentis humanæ intentio & acumẽ & memoria peruenerit, quasi subactis, & consummatis omnibus uijs subsistit, hæret, deficit: nec est aliquid ulterius, quò progredi possit. Verum quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse coeperit, consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus: ideoq; ab Apolline αὐτοφυὴς, id est: ex se ortus: à Sibylla αὐτογενὴς, id est: ex se genitus, et ἀγένητος, id est: ingenitus, & ἀπόιητος, id est: nõfactus nominatur: quod Seneca uir acutus in exhortationibus uidit. Nos inquit aliunde pendemus. Itaq; ad aliquẽ perspicimus cui quod est optimũ in nobis, debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit.

Quod Deus sine corpore sit, nec sexu ad procreandũ egeat. Cap. VIII.

His igitur tot & tantis testibus comprobatur, unius dei potestate, ac prouidentia mundum gubernari, cuius uim maiestatemq; tantam esse dicit in Timæo Plato, ut eam neq; mente conc pere, neq; uerbis enarrare quisquàm possit, ob nimiã eius & inæstimabilẽ potestatem Dubitet ergo aliquis, an quicquàm difficile, aut impossibile sit Deo: qui tanta, tamq; mirifica opera prouidentia excogitauit, uirtute constituit, ratione perfecit: nũc autem spiritu sustentet, potestate moderetur: inexcogitabilis, ineffabilis, & nulli alij satis notus quàm sibi. Vnde mihi de tanta †potestate† Aliter maiestate sæpius cogitanti qui deos colunt, interdum uideri solent tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum à mutis animalibus differentes, qui credãt eos, qui

eos, qui geniti sunt maris ac fœminæ coitu, aliquid maiestatis diuinæq; uirtutis habere potuisse: cum Sibylla Erythræa dicat:

οὐ δύνατ' ἀνδρὸς.
ἐκ μητρῶν μήτρας τε θεὸς τετυγμένος εἶναι.

Id est: Nō potest ex uiri semine, & matrice deus formatus esse. Quod si est uerum, sicuti est, apparet, Herculem, Apollinem, Liberum, Mercurium, Iouemq; ipsum cum cæteris homines fuisse, quando sunt ex duobus sexibus nati. Quid est autem tam remotum à Deo, quàm id opus, quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit, & quod sine substantia corporali nullum potest esse? Dy ergo si sunt immortales, & æterni, quid opus est altero sexu? nimirum ut generētur, ipsa progenie quid opus est, cum successione non egeant qui futuri sunt semper? nā profecto in hominibus, cæterisq; animantibus, diuersitas sexus & coitio, & generatio nullam habet aliā rationem, nisi ut omnia genera uiuentium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutuā possint successione seruari. Deo autem, qui est sempiternus, neq; alter sexus, neq; successio necessaria est. Dicet aliquis, ut habeat uel ministros, uel in quos ipse possit dominari. Quid igitur opus est sexu fœmineo, cū Deus qui est omnipotens, ut uocatur, sine usu & opera fœminæ possit filios procreare? Nam si quibusdam minutis animalibus id præstitit, ut sibi e foliis natos, è suauibus herbis ore legant: cur existimet aliquis ipsum Deum nisi ex permistione sexus alterius non posse generare? Illos igitur, quos imperiti & insipientes tanquàm Deos & nuncupant & adorant, nemo est tam incōsideratus, qui nō intelligat fuisse mortales. Quomodo ergo inquiet aliquis, Dij crediti sunt? Nimirum quia reges maximi, ac potentissimi fuerunt, ob merita suarū uirtutum, aut munerum, aut artium repertarum, cū chari fuissent ijs, quibus imperitauerāt, in memoriam sunt cōsecrati. Quod si quis dubitet, res eorum gestas, & facta cōsyderet, quæ

uniuersa tam poëtæ, quàm historici ueteres prodiderunt.

De Hercule, & gestis eius, atq; ortu eius ex Ioue, & Alcmena, & morte eius. Cap. IX.

HErcules, qui ob uirtutem clarissimus & quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terræ, quem peragrasse ac expurgasse narratur, stupris, libidinibus, adulterijs inquinauit? Nec mirum, cũ esset adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandem potuit in eo esse diuini, qui suis ipse uitijs mancipatus, & mares, & fœminas contra omnes leges, infamia, dedecore, flagitio affecit? Sed ne illa quidem quæ magna & mirabilia gessit, talia iudicanda sunt, ut uirtutibus diuinis tribuenda uideantur. Quid enim tam magnificũ, si leonem, aprũq; superauit, si aues sagittis deiecit, si regium stabulum eggessit, si uirginem uicit, angulumq; detraxit, si equos feroces cũ domino interemit? Opera sunt ista fortis uiri, hominis tamen. Illa enim quæ uicit, fragilia & mortalia fuerunt. Nulla enim est (ut ait orator) tanta uis, quæ non ferro ac uiribus debilitari, frãgiq; possit. At animum uincere, iracundiam cohiberi, fortissimi est: quæ ille nec fecit unquàm, nec potuit. Hæc qui faciat, non modo ego cum summis uiris comparo, sed simillimum Deo iudico. Vellem adiecisset de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia, ut uirtutẽ eius impleret, quem similem deo iudicabat. Non enim fortior iudicandus est, qui leonem, quàm qui uiolentiam, et in seipso inclusam feram superat iracundiam: aut qui rapacissimas uolucres deijcit, quàm qui cupiditates auidissimas coërcet: aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidinem uincit pudoris, ac famæ debellatricem: aut qui simũ de stabulo, quàm qui uitia de corde suo eggerit quæ magis sunt perniciosa: quia domestica, & propria mala sunt, quàm illa, quæ & uitari poterant, & caueri. Ex quo fit, ut ille

ut ille solus uir fortis debeat iudicari, qui temperans est, & moderatus, & iustus. Quod si cogitet aliquis quæ sint dei opera, iã hæc omnia, quæ mirantur homines ineptissimi, ridicula iudicabit. Illa enim diuinis uirtutibus quas ignorant, sed infirmitate suarum uirium metiuntur. Nam illud quidem nemo negauit. Herculem non tantum Euristhco seruisse regi, quod aliquatenus honestum uideri potest, sed etiam impudicæ mulieri Omphale, quæ illum uestibus suis indutum sedere ad pedes suos iubebat pensa facientem: detestabilis turpitudo, sed tanti erat uoluptas. Quid tu, inquiet aliquis, poëtis ne credendũ putas? Quid ni putem? Non enim ista Lucilius narrat, aut Lucianus, qui diis & hominibus non pepercit, sed potissimum qui deorum laudes canebant, quibus igitur credemus, si fidem laudantibus non habemus? Qui hos mentiri putat, proferat alios quibus credamus autores, qui nos doceant, qui sint isti Dij, quomodo, unde orti. Quæ sit uis eorum, Qui numerus, Quæ potestas, Quid in his admirabile, Quid cultu dignum, Quid denique certius, uerius mysterium nullus dabit. Credamus igitur istis, qui non ut reprehenderent, sunt locuti, sed ut prædicarent. Nauigauit ergo cum Argonautis, expugnauitq; Troiam iratus Laomedonti ob negatam sibi pro filiæ salute mercedem. Vnde quo tempore fuerit apparet. Idem furore atq; insania perçitus, uxorem suam cum liberis interemit: hunc homines Deum putant. Sed Philoctetes eius hæres non putauit, quia facem suppositi arsuro, qui artus suos, et neruos cremari ac dissolui uidit, qui ossa eius ac cineres in Oëta monte sepeliuit, pro quo munere sagittas eius acepit.

De Aesculapio, Apolline, Neptuno ac Marte, & Castore, Polluce, atq; Mercurio. Cap. X.

AEsculapius & ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, nisi quod sanauit Hippolitum? mortem sane habuit clariorem, quia à Deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius de illustribus uiris disserens ait, incertis parentibus natum, expositum, & à uenatoribus inuentum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didicisse medicinam: fuisse autem Messenium: sed Epidauri moratũ: Tullius etiam Cynosuris urbe Arcadiæ ait sepultũ. Quid Apollo pater eius? nonne ob amorem, quo flagrabat turpißime gregem pauit alienum, & muros Laomedonti extruxit? cum Neptuno mercede conductus, quæ illi negari potuit impune, ab eoq; primo Rex perfidus quicquid cum dijs pepigisset, didicit abnegare. Idem formosum puerum & dum amat, uiolauit, & dum ludit, occidit. Homicida Mars, & per gratiam cædis crimine ab Atheniensibus liberatus, ne uideretur nimis ferus & immanis, adulterium cum Venere commisit. Castor & Pollux, dũ alienas sponsas rapiunt, esse gemini desierunt: nam liuore iniuriæ concitatus Idas, alterum gladio transuerberauit: & eosdem poëtæ alternis uiuere, alternis mori narrant: ut iam sint non deorum tantum, sed omnium mortalium miserrimi, quibus semel mori non licet. Hos tamen Homerus ambos simpliciter (non ut poëtæ solent) mortuos esse testatur. Nam cũ faceret in muris aßidentem Priamo Helenã cunctos Græciæ principes recognoscere, solos autẽ se fratres suos requirere, subiecit orationi huiusmodi uersum:

ὣς φάτο, τοὺς δ' ἤδη κατέσχεν φησίζοος αἶα,

Id est: Hæc ait, ast illos retinebat terra sepultos.

Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum? Cœlo dignus, quia palæstram docuit, & lyram primus inuenit. Liberum patrem in senatu deorum summæ authoritatis, primæq; esse sentẽtiæ necesse est: quia præter Iouem solus omniũ triumphauit, exercitum duxit, Indos debellauit:

bellauit: sed inuictus ille imperator inclutus maximus ob amorẽ ac libidinem turpißime uictus est. Delatus enim Diam cum semiuiro comitatu, nactus est impudicam mulierem in littore, ac fiducia uictoriæ inclytæ uir esse noluit, nc nimium mollis esse uideretur: atq; illã patris proditricẽ, fratris interemptricẽ ab alio relictam, & repudiatam in coniugium sibi uẽdicauit, & liberã fecit, & cum ea pariter ascendit in cœlum. Quid omnium horũ pater Iuppiter, qui in solenni precatione Optimus Maximus nominatur? Nonne à prima sua pueritia impius, ac penè paricida deprehenditur? quum patrem regno expulit, ac fugauit, nec expectauit mortem decrepiti senis, cupiditate regnandi. Et cum paternum solium per uim, per arma cepisset, bello est à Titanibus lacessitus, quod humano generi principium fuit malorũ: quibus uictis & pace in perpetuum comparata, reliquam suam uitam in stupris, adulterijsq; consumpsit. Omitto uirgines, quas imminuit: id enim iudicari solet tolerabile. Amphitryonẽ ac Tyndarum præterire non possum, quorum domos dedecore atq; infamia plenißimas reddidit: illud uero summæ impietatis ac scelcris, quod regium puerum rapuit ad stuprum. Parum enim uidebatur, si in expugnanda fœminarum pudicitia maculosus, ac turpis esset, nisi etiam sexui suo iniuriam faceret: hoc est uerum adulterium quod fit contra naturam. Hæc qui fecit, uiderimus an maximus, certe optimus nõ est: quod nomen à corruptoribus ab adulteris, ab incestis abest: nisi forte nos erramus homines, qui talia facientes sceleratos uocamus ac perditos, omnibusq; pœnis dignißimos iudicantes. Stultus autem M. Tullius qui C. Verri adulteria obiecit. Eadem enim Iuppiter, quem colebat, admisit. Qui P. Clodio sororis incestum. At illi Optimo Maximo eadem fuit & soror & coniunx.

De ipsius Iouis parẽtibus,& ortu,& vita eius flagitiosissima, morte, & sepultura. Cap. XI.

QVis est igitur tam excors,qui hunc in cœlo regnare putet,qui ne in terra quidem debuit? Non insulse quidam Poeta triumphum Cupidinis scripsit:quo in libro nõ modo potentissimum deorum Cupidinem,sed etiam uictorem facit. Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis,ditionẽq; uenissent, instruit pompam,in qua Iupiter cũ cæteris dijs ante currũ triumphantis dicitur catenatus. Eleganter id quidem dicitur à Poëta figuratum,sed tamen non multum distat à uero. Qui enim uirtutis est expers,qui cupiditatibus ac libidinibus malis uincitur, nõ Cupidini(ut ille finxit)sed morti subiectus est sempiternæ. Sed omittamus de moribus dicere,rem cõsyderemus,ut intelligant homines, in quibus miseri uersentur erroribus. Regnare in cœlo Iouẽ uulgus existimat:id doctis pariter & indoctis persuasum est. Quod & religio ipsa,& precationes,& hymni,& delubra,& simulachra demõstrant. Eundem tamen Saturno & Rhea genitum confitentur. Quomodo potest deus uideri,aut(ut ait Poëta)hominum rerumq; repertor ante cuius ortum infinita hominum millia fuerunt? Eorum scilicet,qui Saturno regnãte uixerũt,ac priores luce quàm Iupiter potiti. Video alium Deum regem fuisse primis temporibus,aliũ consequentibus. Potest ergo fieri,ut alius sit posteà futurus. Sì enim regnũ prius mutatũ est,cur desperemus & posterius posse mutari? nisi forte Saturnus generare potuit fortiorem,Iupiter non potuit. Atqui diuinum imperium, aut semper immutabile est:aut,si est mutabile,quod fieri non potest,semper utiq; mutabile est. Potuit enim Iupiter regnũ amittere,sicut & pater eius amisit. Ita plane:nam cum idem neq; uirginibus,neq; maritatis

unquàm

unquàm pepercisset, & abstinuit se tantum una Thetide: quod responsum fuit maiorem patre suo futurum, quisquis ex illa natus esset: et primum in eo † prudentia † Aliter prouidentia, non Dei, cui nisi Themis futura dixisset, ipse nescieret. Si autem diuinus non sit, ne Deus quidem sit, unde ipsa diuinitas nominatur, ut ab homine humanitas. Deinde conscientia imbecillitatis, timuit utiq; maiorem. Quod qui fecit, scit utiq; profecto non esse se maximum, quandoquidem potest aliquid maius existere. Idē per stygiam paludem sanctissime iurat:

Vna superstitio superis quæ reddita diuis.

Quæ est ista superstitio? aut à quo reddita est? Ergo aliqua potestas maxima est, quæ peierātes deos puniat: quæ tāta formido est paludis infernæ, si sunt immortales? quid metuunt eam, quā uisuri non sunt, nisi quos mori necesse est? Quid igitur homines oculos suos in cœlum tollūt? quid per superos deierāt, cum ipsi superi ad inferos deuoluantur, ibiq; habeant quod uenerentur & adorent? Illud uero quale est, esse fata, quibus dij omnes & ipse Iupiter pareat, si Parcarū tāta uis est, ut plus possint, quàm cœlestes uniuersi, quamquè ipse rector, ac dominus, cur non illæ potius regnare dicātur, quarū legibus ac statutis parere omnes deos necessitas cogit? Nunc cui dubiū est, quin is, qui alicui rei obsequitur, maximus nō sit? nā si sit, nō accipiat fata, sed faciat. Nūc ad illud, quod omiserā redeo. In una utiq; sola fuit cōtinentior, cū eā deperiret, & non uirtute aliqua, sed metu suæ sororis. Quæ fortitudo utiq; eius est, qui sit mortalis, & imbecillis, & nihili? quippe qui potuit & tūc cū nasceretur, extingui, sicut frater eius ante genitus extinctus est: qui si uiuere potuisset, nūq; minori cōcessisset imperiū. Ipse aūt furto seruatus, furtimq; nutritus, Ζεὺς siue Ζήν appellatus est, non ut isti putant, à feruore cœlestis ignis: uel quod uitæ sit dator, uel quod animantibus inspiret animas: quæ uirtus solius Dei est (quam enim possit

inspirare

inſpirare animam, qui ipſe accipit aliunde?) ſed quod primus ex liberis Saturni maribus uixerit. Potuerunt igitur homines aliũ Deum habere rectorem, ſi Saturnus nõ fuiſſet ab uxore deluſus? At enim poëtæ iſta finxerũt. Errat quiſquis hoc putat. Illi enim de hominibus loquebantur: ſed ut eos ornarent: quorum memoriam laudibus celebrabant, deos eſſe dixerunt. Itaq; illa potius ficta ſunt, quæ tanquàm de dijs, non illa, quæ tanquàm de hominibus locuti ſunt, quod clarum fiet exemplo, quod inferemus. Danaën uiolaturus Iuppiter, aureos nummos largiter in ſinum eius infudit. Hæc ſtupri merces fuit. At poëtæ, qui quaſi de Deo loquebantur ne authoritatem creditæ maieſtatis infringerent, finxerunt ipſum in aureo imbre delapſum: eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, cum multitudinem telorum ſagittarumq; deſcribunt. Rapuiſſe dicitur in aquila Catamithum: poëticus color eſt, ſed aut per religionem rapuit, cuius inſigne aquila eſt aut nauis, in qua eſt impoſitus, tutelã habuit in aquila figuratã: ſicut taurum figuratum, cum rapuit & tranſuexit Europam. Eodem modo conuertiſſe in boucm traditur Io Inachi filiam: quæ ut iram Iunonis effugeret, ut erat tam ſetis obſita, iam bos tranaſſe dicitur mare, in Aegyptumq; ueniſſe, atq; ibi recepta priſtina forma dea facta, quæ nunc Iſis uocatur. Quo igitur argumento probari poteſt, nec Europam in tauro ſediſſe, nec Io factam boucm? quod certus dies habetur in faſtis, quod Iſidis nauigium celebratur: quæ res docet non tranaſſe illam, ſed nauigaſſe. Igitur qui ſapere ſibi uidentur, quia intelligunt uiuum, terrenumq; corpus in cœlo eſſe non poſſe, totam Ganymedeam fabulam pro falſo repudiant, nec ſentiunt in terra id eſſe factũ quia res, ac libido ipſa terrena eſt. Non ergo res ipſas geſtas finxerũt poëtæ: quod ſi facerẽt, eſſent uaniſſimi, ſed rebus geſtis addiderunt quendam colorem. Non enim obtrectantes illa dicebant, ſed ornare cupientes. Hinc homines decipiũtur, maxime

dum hæc

dū hæc omnia ficta esse arbitrantur à poëtis, coluntquod ignorant: nesciunt qui sit poëticæ licentiæ modus, quousq; progredi fingendo liceat, cum officiū poëtæ sit in eo, ut ea quæ gesta sunt uere, in aliquas species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa traducant. Totum autem quod referas fingere, id est ineptum esse, & mendacem potius, quàm poëtam: sed finxerunt ista, quæ fabulosa creduntur. Num etiam illa, quæ de dijs, fœminis, deorumq; connubijs dicta sunt? Cur igitur sic figurantur, sic coluntur? nisi forte non tantum poëtæ, sed & pictores fictoresq; imaginum mentiuntur? Si enim hic Iuppiter, qui à uobis dicitur deus, nō is est, qui ex Saturno & Ope natus est, non oportuit nisi solius simulachrum in templis omnibus collocari. Quid sibi mulierum effigies uoluntq; quid sexus infirmus? in quem si cecidit ipse Iuppiter, tum uero ipsi lapides hominem fatebuntur. Mentiri aiunt esse poëtas, & [illegible] tamen credunt, imo uero non esse mentitos re ipsa probant. Ita enim deorum simulachra confingunt, ut ex ipsa diuersitate sexus appareat uera esse quæ dicunt poëtæ. Nam quod aliud argumentū habet imago Catamithi, & effigies aquilæ, cum ante pedes Iouis ponuntur in templis, & cum ipso pariter adorantur, nisi ut nefandi sceleris, ac stupri memoria maneat in æternum? Non igitur à poëtis totum fictum est, aliquid fortasse traductum, & obliqua figuratione obscuratum, quo ueritas inuoluta tegeretur: sicut illud de sortione regnorum. Aiunt enim Ioui cœlum obtigisse, Neptuno mare, inferna Plutoni, cur non terra potius in sortē tertiam uenit? nisi quod in terra gesta res est. Ergo illud in uero est quod regnum orbis ita partiti, sortitiq; sunt, ut orientis imperium Ioui cederet: Plutoni, cui cognomen Agesilao fuit, pars occidentis obtingeret: eo quod plaga orientis, ex qua lux mortalibus datur, superior, occidentis autem inferior esse uideatur. Sic ueritatem mendacio uelauerunt, ut ueritas ipsa persuasioni

publicæ

publicæ nihil derogaret. De Neptuni sorte manifestum est, cuius regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonij fuit infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ potestatē senatus decreuerat, ut prædones persequeretur, ac mare omne pacaret. Sic Neptuno maritima omnia cum insulis obuenerūt. Quomodo id probari potest? Nimirum ueteres historiæ docent. Antiquus author Euhemerus, qui fuit ex ciuitate Messana, res gestas Iouis, & cæterorum qui dij putantur collegit, historiamq; contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximeq; in fano Iouis Triphylij, ubi auream columnam posita esse ab ipso Ioue titulus indicabat: in qua columna gesta sua perscripsit, ut monimenta essent posteris rerum suarum. Hāc historiam interpretatus est Ennius, & sequutus, cuius hæc uerba sunt: Iuppiter imperium Neptuno dat maris, ut insulis omnibus, & quæ loca sunt secus mare omnibus regnaret. Vera sunt ergo quæ loquuntur poetæ, sed obtentu aliquo specieq; uelata. Potest & mons Olympus figuram poētis dedisse, ut Iouem dicerent cœli regnum esse sortitum, quod Olympus ambiguum nomen est & montis, & cœli. In Olympo autem Iouem habitasse docet historia eadem, quæ dicit: Eadem tempestate Iupiter in monte Olympo maximam partem uitæ colebat, & cò ad eū in ius ueniebant, si quæ res in controuersia erant. Item si quis quid noui inuenerat, quod ad uitam humanam utile esset, eò ueniebat, atq; Ioui ostendebat. Multa in hunc modum poētæ transferunt, non ut in deos mentiantur, quos colūt: sed ut figuris uersicoloribus uenustatem, ac lepōrem carminibus suis addant. Qui autem non intelligunt quomodo, aut quare quicquam figuretur poētas uelut mendaces & sacrilegos insequuntur. Hoc errore decepti & philosophi, quod ea, quæ de Ioue ferūtur, minime in Deū conuenire uidebantur, duos Ioues fecerunt, unū naturalem alterū fabulosum. Viderunt ex parte quod erat uerū, eū scilicet,

de quo

de quo pœtæ loquũtur, hominem fuisse. In illo aũt naturali Ioue uulgari consuetudine religionis inducti errauerũt, quod in Deũ nomẽ hominis transtulerũt: qui (ut supra diximus) quia solus est nõ indiget nomine. Iouẽ autẽ illũ esse, qui sit ex Ope Saturnoq; natus, negari nõ potest. Vana igitur persuasio est eorũ, qui nomẽ Iouis summo Deo tribuunt. Solent enim quidã errores suos hac excusatione defendere, qui conuicti de uno Deo, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant. Verum hoc sibi placere, ut Iupiter nominetur; quo quid absurdius? Iupiter enim sine contubernio coniugis, filiæq; coli non solet. Vnde quid sit, apparet: nec fas est id nomen cò transferri, ubi nec Minerua est ulla, nec Iuno. Quid, quod huius nominis proprietas non diuinã uim exprimit, sed humanã, Iouẽ enim Iunonemq; à iuuando esse dictos Cicero interpretatur. Et Iupiter quasi iuuãs pater diãtur, quod nomen in Deum minime cõgruit: quia iuuare hominis est, opis aliquid cõferẽtis in eũ, qui sit alienus et exigui beneficij. Nemo sic Deũ precatur ut se adiuuet, sed ut seruet, ut uitam salutemq; tribuat, quod multo plus ac maius est quàm iuuare. Et quoniã de patre loquimur, nullus pater diãtur filios iuuare, cum eos generat aut educat. Illud enim leuius est, quàm ut eo uerbo magnitudo paterni beneficij exprimatur. Quãto id magis incõueniẽs est deo, qui uerus est pater, per quẽ sumus, & cuius toti sumus: à quo fingimur, animamur, illuminamur: qui nobis uitam impertit salutẽ tribuit, uictũ multiplicẽ subministrat. Nõ intelligit beneficia diuina qui se iuuari tantummodo à deo putat. Ergo non imperitus modo, sed etiam impius est, qui nomine Iouis uirtutem summæ potestatis imminuit. Quare si Iouem ex rebus gestis, & ex moribus hominem fuisse, in terrãq; regnasse deprehẽdimus, superest, ut mortẽ quoq; eius inuestigemus. Ennius in sacra historia, descriptis omnibus, quæ in uita sua gessit, ad ultimum sic ait: Deinde Iupiter, postquàm terram quinquies circuiuit,

omnibusq;

omnibusq; amicis atq; cognatis suis Imperiũ diuisit: reliquitq; hominibus leges, mores, frumentaq; parauit, multaq; alia bona fecit, immortali gloria, memoriaq; affectus, sempiterna monimẽta suis reliquit, ætate pessumata in Creta uitam commutauit, & ad deos abijt. Eumq; Curetes filij sui arauerunt, decoraucrũtq; eum. Et sepulchrum eius est in Creta in oppido Gnoso: & dicitur Vestam hanc urbem creauisse. In qua sepulchro eius est inscriptum antiquis literis Græcis ὁ ζεὺς τοῦ κρόνου, id est latine, Iuppiter Saturni. Hoc certe non poetæ tradunt, sed antiquarum rerum scriptores, quæ adeo uera sunt, ut ea Sibyllinis uersibus confirmentur, qui sunt tales:

δαίμονας ἀψύχους νεκύων εἰδώλα καμόντων
ὧν κρήτη καὶ τύμβα τάφους ἔχει.

Id est: Dæmones inanimes cadauerum simulacra mortuorum
Quorum Creta in iactantiam sepulchra miser. habet.

Cicero de natura deorum, quum tres Ioues à Theologis nominarit Aliter enumerari, diceret, ait tertium fuisse Cretensem Saturni filiũ: cuius in illa insula sepulchrum ostẽditur. Quomodo igitur potest deus alibi esse uiuus, alibi mortuus: alibi habere templum, alibi sepulchrum? Sciant ergo Rhomani capitolium suum, id est summum caput religionum suarum publicarũ nihil esse aliud quàm inane monimentum. Veniamus nunc ad eius patrem, qui ante regnauit, & qui fortasse plus habebat in se, quod ex coitu tantorum elementorum genitus esse dicatur. Videamus quid in eo fuerit Deo dignum. In primis illud quod aureũ seculũ narratur habuisse, quod iustitia sub eo fuerit in terra. Teneo aliquid in eo, quod in eius filio nõ fuit. Quid enim tam conueniens Deo, quàm iustum regimen, ac pium seculum? Sed cum eadem ratione natum esse cogito, nõ possum putare deum summum, quod uideam esse aliquid antiquius, cœlũ scilicet atq; terram. At ego Deum quero, ultra quem nihil est omnino, qui fons & origo sit rerum.

rerum. Hic sit necesse est qui cœlum ipsum condidit, terramq; fundauit. Saturnus autem, si ex his natus est (ut putatur) quemadmodum potest Deus esse principalis, qui alijs ortum suum debet? Aut quis præfuit mundo antequàm Saturnus gigneretur? Sed hoc poëticum est (ut dicebam paulo ante) figmentum: nec enim fieri poterat ut elementa insensibilia, tantoq; interuallo separata in unum coirent, ac filium procrearent: aut is qui natus esset, non potissimum genitoribus similis existeret, sed eam formam gereret, quam parentes sui non habebant. Queramus ergo, quid ueritatis sub hac figura lateat. Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inscribitur, sic argumentatus est: Saturnum quum fugatus esset à filio, in Italiamq; uenisset, cœli filiũ dictũ, quod soleamus eos, quorum uirtutem miremur, aut eos, qui repentine aduenerint, de cœlo cecidisse dicere: Terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Sunt hæc quidem similia ueri, non tamen uera: quia constat etiam tunc, cum regnaret, ita esse habitum. Potuit & sic argumentari: Saturnũ, cum potentissimus rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam, nomina eorum cœlo terræq; indidisse, cũ hæc prius alijs uocabulis appellarentur: qua ratione & montibus, & fluminibus nomina sunt imposita. Neq; enim cum dicunt poëtæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis, id potissimum dicunt, homines ex rebus sensu carentibus potuisse generari: sed eos utiq; significant, qui nati sunt ex ijs hominibus, qui uel uiui uel mortui nomina montibus aut fluminibus indiderunt. Nam id apud ueteres maximeq; Græcos usitatum fuit. Sic mária eorũ traxisse nomina accepimus, qui decidérãt in ea: ut Aegeum, Icarium, Hellesponticum: & in Latio Auentinus uocabulum monti dedit, in quo sepultus est. Tyberinus uel Tyberis amni, in quo mersus est. Non ergo mirandum, si nomina eorum cœlo terræq; attributa essent, qui reges genuerant potentissimos. Apparet ergo non ex

cœlo natũ esse, quod fieri non potest, sed ex eo homine cui nomẽ Vrano fuit: quod esse uerũ Trismegistus author est, qui cũ diceret admodũ paucos extitisse, in quibus esset perfecta doctrina, in his Vranũ, Saturnum, Mercurium cognatos suos nominauit. Hæc ille quia ignorauit, alio traduxit historiã, qui quoniã quo modo potuerit argumentari, ostendi: nunc dicã quomodo, ubi, à quo sit hoc dictum: non enim Saturnus hoc: sed Iupiter fecit. In sacra historia sic Ennius tradit. Deinde Panem deduxit in montem, qui uocatur cœli stella, postquàm eò ascendit, contemplatus est late terras: ubiq; in eo monte aram creat cœlo. Primusq; in ea ara Iupiter sacrificauit, in eo loco suspexit in cœlum, quod οὐρανός nominatur, idq; quod supra mundum erat, quod æther uocatur, de sui aui nomine cœlo nomẽ indidit, idq; Iupiter, quod æther uocatur, placans primum cœlum nominauit, eamq; hostiã, quam ibi sacrauit, totam adolcuit. Nec hic tantum sacrificasse Iupiter inuenitur. Cæsar quoq; in Arato refert, Aglaosthenem dicere, Ioucm cum ex insula Naxo aduersus Titanas proficisceretur, & sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspicium aduolasse, quam uictor bono omine acceptam tutelæ suæ subiugarit. Sacra uero historia & ante consedisse illi aquilam in capite atq; illi regnum portẽdisse testatur. Cui ergo sacrificare Iupiter potuit, nisi cœlo auo, quem dicit Euhemerus in Oceano mortuũ & in oppido Aulatia sepultum.

Quomodo Stoici figmenta poëtarũ ad philosophicam transferant rationem. Cap. XII.

QVoniam reuelauimus mysteria poëtarum, & Saturni parẽtes inuenimus, ad uirtutes eius & facta redeamus. Iustus in regno fuit: primum ex hoc ipso iã Deus non est, quod fuit. Deniq; quod ne iustus quidem fuit, sed impius non modo in filios,

filios, quos necauit, uerum in patrem, cui dicitur abſadiſſe genitalia, quod forſitan uere acciderit. Sed homines reſpectu elemẽti, quod dicitur cœlũ, totam fabulam explodunt tanquàm ineptiſſime fictam: quam tamen Stoici (ut ſolent) ad rationem phyſicam conantur traducere: quorum ſententiam Cicero de natura deorum diſſerens poſuit: Cœleſtem, inquit altiſſimam ætheriamque naturam, id eſt ignem, quæ per ſeſe omnia gigneret, uacare uoluerunt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandum: quæ ratio in Veſtam potuit conuenire, ſi mas diceretur. Adcirco enim uirginem putant Veſtam, quia ignis inuiolabile ſit elementũ, nihilq; naſci poſſit ex eo: quippe qui omnia, quæ arripuerit abſumat. Ouidius in Faſtis:

Nec tu aliud Veſtam quàm uiuam intellige flammam.
Nataq; de flamma corpora nulla uides.
Iure igitur uirgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites uirginitatis amat.

Vulcano quoq; id potuit adſcribi, qui quidẽ putatur ignis, et tamen poëtæ nõ aſſenſerũt. Potuit et Soli, in quo eſt natura, et cauſa gignentiũ: nã ſine ſolis igneo calore neq; naſci quicq̃, neq; augeri poteſt: ut nulli elemẽto magis opus ſit genitalibus, quàm calori: cuius † fœtu † Aliter fotu, concipiũtur, naſcũtur, ſuſtẽtantur omnia. Poſtremo etiã ſi ita ſit, ut uolũt, qui magis abſciſſum eſſe cœlum putet, quàm omnino ſine genitalibus natũ? Nam ſi per ſe gignit, nõ indigebat utiq; genitalibus, cũ Saturnũ ipſum procrearet. Si uero habuit, & à filio abſciſſa ſunt, ortus rerum & natura omnis interiiſſet. Quid, quod ipſi Saturno non diuinum modo ſenſum, ſed humanum quoq; adimunt? cum affirmãt eſſe eum Saturnum, qui curſum & conuerſionem ſpatiorum, & temporũ cõtinet, eumq; Græce idipſum nomẽ habere: κρόνος enim dicitur, quod eſt idem quod χρόνος, id eſt, ſpatium temporis. Saturnus enim eſt appellatus, quod ſaturetur annis.

Hæc Ciceronis uerba sunt exponentis sententiam Stoicorum, quæ quàm uana sit, cuiuis intelligere promptissimum est. Si enim Saturnus cœli est filius, quomodo potuit aut tẽpus à cœlo gigni aut cœlũ à tempore abscidi, aut postea tempus imperio spoliari à filio Ioue? aut quomodo Iupiter natus est ex tempore aut quibus annis saturari possit æternitas, cui nullus est finis?

Quomodo Poëtæ & historici Stoicorũ interpretationes de Ioue & Saturno, & aliis diis vanas & inanes ostendant. Cap. XIII.

SI ergo uanæ sunt istæ rationes philosophorũ, quid superest nisi ut uere factum esse credamus, id est hominẽ ab homine abscissum? nisi forte aliquis existimet Deum fuisse, qui timuit cohæredem: cum si quid diuinitatis habuisset, non patris genitalia debuerit amputare, sed propria, ne Iupiter nasceretur, qui eum regni possessione priuauit. Idem sororem suam Rheam, quam latine Opem dicimus, cũ haberet uxorem, responso uetitus esse dicitur mares liberos educare, quod futurum esset ut à filio pelleretur. Quam rem metuens, natos sibi filios non utiq; deuorabat (ut ferunt fabulæ) sed necabat: quanquàm scriptũ sit in historia sacra, Saturnum & Opem, cæterosq; tunc homines humanam carnem solitos esitare: uerum primum Iouem leges hominibus moresq; condentem, edicto prohibuisse, ne liceret eo cibo uesci. Quod si uerum est, quæ potest in eo fuisse iustitia? Sed fictũ sane putemus, Saturnum filios deuorasse: modo cum aliqua ratione. Nunc idcirco, quod ait uulgus, comedisse filios suos eũ, qui extulerit sepulturæq; mãdauerit. Ops autẽ cũ Iouem peperisset, subtraxit infantem, eumq; nutriendũ furtim misit in Cretam. Rursum imprudentiam reprehendã necesse est. Cur enim responsum ab alio potius accepit? Cur in cœlo constitutus: quæ gerebantur

in terra

in terra non uidebat? cur eum Corybantes cymbalis fefellerunt? Postremo cur extitit aliqua uis potentior aut maior, quæ illius uinæret potestatem. Nimirum senex à iuuene facile uictus est, ac spoliatus imperio, fugit expulsus, & in Italiam nauigio uenit, cum errasset diu: sicut Ouidius in Fastorum libris refert:

Causa ratis superest, Thuscum rate uenit ad amnem,
Ante pererrato falcifer orbe Deus,

Hunc errantem, atq; inopem Ianus exœpit: cuius rei argumẽta sunt numi ueteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut idem Poëta subiecit,

At bona posteritas puppim formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei,

Omnes ergo non tantum Poëtæ, sed historiarum quoq; ac rerũ antiquarum scriptores, hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriæ prodiderũt: Græci. Diodorus, & Thallus, Latini, Nepos, & Cassius, et Varro. Nam cũ agresti quodã more in Italia uiueretur,

Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesq; dedit, Latiumq; uocari
Maluit, his quoniam tutus latuisset in oris.

Censet ne aliquis Deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? Nemo tam stultus est, qui enim fugit aut latet, & uim & mortẽ timeat necesse est. Orpheus, qui temporibus eius recentior fuit, aperte Saturnũ in terra, et apud homines regnasse cõmemorat: πρώτιστος μὲν ἄνασσεν ἐπιχθονίων κρόνος ἀνδρῶν. ἐκδὲ κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ μέγας εὐρύοπα ζεύς. Id est: Primus quidẽ regnator erat terrestriũ Saturnus uirorũ: ex Saturno autem genitus est ipse rex magnus, & late cuncta intuens Iupiter. Item Maro noster:

Aureus hanc uitam in terris Saturnus agebat. Et alio loco.
Aureaq; (ut perhibent) illo sub rege fuére

Secula, sic placida populos in pace regebat,
Neq; superius dixit in cœlo egisse uitam, neq; inferius superos
in pace rexisse. Vnde apparet illum regem fuisse terrenum: quod
alibi apertius declarat:

Aurea condet
Secula, quæ rursus Latio regnata per arua
Saturno quondam.

Ennius quidem in Euhemero nõ primũ dicit regnasse Saturnũ, sed Vranum patrem. Initio, inquit, primus in terris Imperium summum Vranus habuit: is id regnum una cum fratribus suis instituit, atq; parauit. Non magna dissensio siquidem maximorũ authorum de filio ac patre dubitatio est, sed tamẽ utrunq; fieri potest, ut & primus Vranus eminere inter cæteros potẽtia cœperit, & principatũ habere nõ regnũ, postea Saturnus maiores sibi opes comparauerit, ac regium nomen asciuerit.

Quid idem Ennius docet in sacra historia. Cap. XIIII.

NVnc quoniam ab ijs, quæ retulimus, aliquantulum sacra historia dissentit, aperiamus ea, quæ ueris literis continentur, ne poëtarum ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare uideamur. Hæc Ennij uerba sunt: Exin Saturnus uxorẽ duxit Opẽ. Titã qui maior natu erat, postulat ut ipse regnaret: ibi Vesta mater eorum, & sorores Ceres atq; Ops suadent Saturno, ut de regno non concedat fratri. Ibi Titan qui facie deterior esset quàm Saturnus, idcirco & quod uidebat matrem atq; sorores suas operam dare, ut Saturnus regnaret, concessit ei ut is regnaret. Itaq; pactus est cum Saturno, uti si quid liberum uirilis sexus ei natum esset, neq; educaret: id eius rei causa fecit uti ad suos gnatos regnum rediret. Tum Saturno filius, qui primus natus est, cum necauerunt. Deinde posterius nati sunt gemini

Iupiter

Iupiter atq; Iuno. Tum Iunonem Saturno in conspectu dedere atq; Iouem clam abscondunt, dantq; eum Vestæ educandum, cælantes Saturnum. Item Neptunum clam Saturno Ops parit, eumq; clanculum abscondit. Ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos Plutonem & Glaucam. Pluton latine est dispiter, alij Orcum dicunt. Ibi Glaucam filiam Saturno ostendunt, ac filium Plutonem cælãt atq; abscondunt. Deinde Glauca parua emoritur. Hæc (ut scripta sunt) Iouis fratrumq; eius stirps atq; cognatio in hunc modum nobis ex sacra scriptione tradita est. Item paulo post hæc refert. Deinde Titan, postquàm resciuit Saturno filios procreatos, atq; educatos esse clam, seducit secum filios suos, qui Titani uocantur, fratremq; suum Saturnũ, atq; Opem comprehendit, eosq; muro circumegit, & custodiam his apponit. Hæc historia, quàm uera sit, docet Sibylla Erythræa, eadem fere dicens, nisi quod in paucis, quæ ad rem non pertinent, discrepat. Iupiter ergo liberatur summi sceleris crimine, quod patrem uinxisse compedibus perhibetur. Id enim Titan patruus fecit, quod ille contra pactionem, iusq; iurandum mares liberos sustulisset. Reliqua historia sic contexitur: Iouem adultum cum audiuisset patrem, atq; matrem custodijs circunseptos, atq; in uincula coniectos, uenisse cum magna Cretensium multitudine, Titanumq;, ac filios eius pugnando uicisse, parẽtes uinculis exemisse, patri regnum reddidisse, atq; ita in Cretam remeasse: Post hæc deinde Saturno datam sortem, ut caueret, ne filius eum regno expelleret: illum elcuandæ sortis, atque effugiendi periculi gratia, insidiatur Ioui, ut eum necaret: Iouem cognitis insidijs regnum sibi denuo uendicasse, ac fugasse Saturnum: qui quum iactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum, uel necandum Iupiter miserat, uix in Italia locum, in quo lateret, inuenit.

Qua ratione homines dii cœperint nominari. Cap. XV.

QVibus ex rebus cum constet illos homines fuisse, nõ est obscurum qua ratione dij cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnum, uel Vranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agrestem uitam sine ullo rectore uiuebant: nõ est dubium, quin illis temporibus homines regem ipsum, totamq; gentem summis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint: ut etiam deos appellarent, siue ob miraculum uirtutis (hoc uere putabãt rudes adhuc & simplices) siue (ut fieri solet) in adulationẽ præsentis potẽtiæ, siue ob beneficia, quibus erãt ad humanitatem compositi. Deinde ipsi reges, cum chari fuissent ijs, quorũ uitam composuerant, magnũ sui desyderium mortui reliquerũt. Itaq; homines eorum simulachra finxerunt, ut haberẽt aliquod ex imaginum cõtemplatione solatium. Progressiq; longius per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt: ut et gratiam referre benemeritis uiderentur, & suæ ssores eorum alicerent ad bene imperãdi cupiditatem. Quod Cicero de natura deorum docet, dicens: Susæpit autem uita hominum, cõsuetudoq; communis, ut beneficijs excellentes uiros in cœlum fama ac uoluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber. Et alio loco atq; alio in plerisq; ciuitatibus intelligi potest, acuendæ uirtutis gratia, aut quo libentius reipublicæ causa periculum adiret optimus quisq; uirorum fortium memoriam honore deorum immortaliũ cõsecratam. Hac scilicet ratione Rhomani Cæsares suos cõsecrauerunt, & Mauri reges suos. Sic paulatim religiones esse cœperc, dum illi primi qui eos nouerant, eo ritu suos liberos ac nepotes, deinde omnes posteros imbuerunt. Et hi tamen summi reges ob celebritatem nominis in prouincijs omnibus colebãtur. Priuatim uero singuli

populi,

populi, gentis aut urbis conditores, seu uiri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa ueneratione coluerunt, ut Aegyptij Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sangum, Rhomani Quirinum. Eodem utiq; modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos atq; regiones uaria sacra suscepta sunt, dum grati homines esse in suos principes cupiunt & quod alios honores, quos uita carentibus deferant, inuenire non possunt. Præterea pietas eorum, qui successerant, plurimum contulit ad errorẽ: qui ut diuina stirpe nati uiderentur, diuinos honores parentibus detulerunt, deferriq; iusserunt. An ne potest aliquis dubitare, quomodo religiones deorum sint institutæ? cũ apud Maronem legat Aeneæ uerba socijs imperantis:

Nunc pateras libate Ioui, precibusq; uocate
Anchisen genitorem.

Cui non tantum immortalitatem, uerumetiam uentorum tribuit potestatem.

Poscamus uentos, atq; hæc mea sacra quotannis
Vrbe uelit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem sciliœt de Ioue Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo fecerunt: ac postea de his ipsis successores eorum. Accesserunt etiam poëtæ, & compositis ad uoluptatem carminibus in cœlũ eos sustulerunt: sicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum à Græcis ortũ est, quorum leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorũ nebulas excitauerit. Itaq; admirati eos, & susceperunt primi sacra illorum, & uniuersis gentibus tradiderunt. Ob hanc uanitatem Sibylla sic eos increpat:

Ἐλλὰς δὴ τί πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι,
πρὸς τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοισ' ἀνατίθηες

θύεισ

θύεις εἰδώλοις τίς τοι πλάνην βάλεν ἐν νῷ
ὥς τέ σε τάδε ποιεῖν μεγάλοιο θεοῖο προσώπου
λειπομένου?

Id est: Græcia quid confidis in uiros principes?
Ad quid dona inania mortuis dedicas?
Immolas idolis: quis tibi in mentem errorem imposuit
Vt hæc perficias magni dei ore
Relicto?

M. Tullius, qui nõ tantũ perfectus orator, sed philosophus fuit, siquidẽ solus extitit Platonis imitator, in eo libro quo seipsum de morte filiæ cõsolatus est, nõ dubitauit dicere deos, qui publicè colerẽtur, homines fuisse. Quod ipsius testimoniũ eo debet grauissimũ iudicari, quod & augurale habuit sacerdotiũ, & eosdẽ se colere uenerariq; testatur. Itaq; intra paucos uersiculos duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filiæ eodem se modo consecraturum esse profiteretur quo illi à ueteribus, sunt consecrati: & illos mortuos esse docuit, & originem uanæ superstitionis ostendit. Cum uero (inquit) & mares & fœminas complures ex hominibus in deorum numero esse uideamus, & eorum in urbibus atq; agris augustissima delubra ueneremur: assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingenijs & inuentis omnem uitam legibus & institutis excultam constitutãq; habemus. Quod si ullũ unquàm animal consecrandũ fuit, illud profecto fuit: si Cadmi, aut Amphionis progenies, aut Tyndari in cœlũ tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicãdus est: quod quidẽ faciam. Teq; omnium optimam, doctissimamq; approbantibus dijs immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortaliũ consecrabo. Fortasse dicat aliquis præ nimio luctu delirasse Ciceronẽ. Atqui omnis illa oratio, & doctrina, & exemplis, et ipso loquendi genere perfecta, nõ ægri, sed cõstantis animi ac iudicij fuit. Et hæc ipsa sententia nullũ præfert iudicium doloris.

Neq; enim

Neq; enim puto illum tam uarie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum eius & ratio ipsa, & consolatio amicorum & temporis longitudo mitigasset. Quid, quod idem dicit in libris de republica? idem de gloria? Nam de legibus, quo in opere Platonem secutus est, leges uoluit ponere, quibus putaret usuram este iustam, & sapientem ciuitatem, de religione ita sanxit: Diuos & eos, qui cœlestes semper habiti sunt: colunto: & illos, quos in cœlo merita locauerunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Pollucem, Castorem, Quirinum. Item in Thusculanis cum diceret totum pene cœlū humano genere completum: Si uoluero (inquit) scrutari uetera, & ex illis ea, quæ scriptores Græciæ prodiderunt, eruere conor: ipsi illi maiorum gentium dij qui habentur, hinc à nobis profecti in cœlum reperientur. Quære quorum demonstrantur sepulchra in Græcia: reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur mysterijs. Tum deniq; quàm hoc late pateat intelliges. Testatus est, uidelicet Attici conscientiam ex ipsis mysterijs intelligi posse, quod omnes illi homines fuerunt, qui colūtur: & de Hercule, Libero, Aesculapio, Castore, Polluce incunctanter fatētur. De Apolline ac Ioue patribus eorū, itē de Neptuno, Vulcano, Marte, Mercurio, quos maiorum gentiū deos appellauit timuit aperte cōfiteri. Et idcirco ait late hoc patēre, ut idem de Ioue, cæteriſq; antiquioribus dijs intelligamus, quorum memoriam ſi eadem ratione ueteres conſecrauerunt, quæ ſe imaginem nomenq; filiæ conſecraturum eſſe dicit, ignoſci mœrentibus poteſt, credētibus nō poteſt. Quis enim tā demens, qui cōſenſu, et placito innumerabiliū ſtultorū, aperiri cœlū mortuis arbitretur? aut aliquid quod ipſe non habeat, dare alteri poſſe? Apud Romanos deus Iulius, quia hoc ſcelerato homini placuit Antonio: deus Quirinus, quia hoc paſtoribus uiſum eſt: cum alter germani fratris extiterit, alter patriæ paricida: quod ſi conſul non fuiſſet Antonius C. Cæſar pro ſuis in rempublicam meritis,

meritis,etiã defuncti hominis honore caruisset. Et quidẽ cõsilio Pisonis soœri,& L.Cæsaris propinqui,qui uetabãt funus fieri, et Dolobellæ cõsulis,qui colũnã in foro,id est titulũ eius euertit ac forũ expiauit.Nã Romulũ desyderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens hæc loquitur:

O Romule Romule dic,ô,
Qualem te patriæ custodem dij genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.
O pater,ô genitor,ô sanguen dijs oriundum.

Ob hoc desyderiũ facilius creditum est Iulio Proculo mẽtienti: qui subornatus à patribus est, ut nunciaret plebi suæ uidisse se regem humano habitu augustiorem:eumq; mandasse ad populũ ut sibi delubrum fieret,se Deum esse,& Quirinum uocari.Quo facto & ipsi populo persuasit,Romulum ad deos abijsse,& senatum suspicione cædis regiæ liberauit.

Qua ratione dii esse non possunt, quos sexus discernit:Et quod in naturã dei nõ cadit sexus aut coitus, aut officium generandi. Cap. XVI.

POterã ijs,quæ retuli,esse contentus: sed supersunt adhuc multa susæpto operi neæssaria.Nam quamuis ipso religionum capite destructo,uniuersa sustulerim: libet tamẽ prosequi cætera,et redarguere plenius inueteratam persuasionem,ut tandem homines pudeat suorum,ac pœniteat errorum. Magnum hoc opus,& homine dignum.

Religionum animos nodis exoluere pergo, ut ait Lucretius: qui quidem hoc effiære nõ poterat,quia nihil ueri afferebat.Nostrum est hoc officium,qui & uerum deũ esse rimus, & falsos refutamus. Illi ergo qui poëtas finxisse de dijs fabulas

fabulas opinantur,& deas fœminas esse credunt,& colunt,re-
uoluuntur imprudentes ad id,quod negauerant,coire illos ac pa
rere. Nec enim fieri potest,quin duo sexus generandi causa sint
instituti. Recepta uero sexuum diuersitate,non intelligunt conse
quens esse,ut concipiant: quod in Deum cadere non potest, ut
isti putant: Nam & Iouis esse filios dicunt,et cæterorum deorũ.
Nascuntur ergo & quotidie quidem dij noui,nec enim uincũtur
ab hominibus fœcunditate. Igitur deorum innumerabiliũ plena
sunt omnia,nullo scilicet moriente. Nam cum hominum uix in-
credibilis numerus sit,& inestimabilis,quos tamen,sicuti nascun
tur,mori necesse est: quid deorum esse tandem putemus, qui tot
seculis nati sunt, immortalesq; manserunt? Cur ergo tam pauci
coluntur? nisi forte arbitramur non generandi causa, sed tan-
tummodo capiendæ uoluptatis duos esse sexus deorum: & ea
exercere,quæ homunculos et facere & pati pudet. Cum uero di
cantur aliqui ex aliquibus nati,cõsequens est,ut semper nascan-
tur: siquidem aliquando sint nati,uel si aliquando nasci desierũt
scire nos conuenit,cur aut quãdo desierint. Non illepide Seneca
in libris moralibus philosophiæ: quid ergo est, inquit, quare a-
pud poëtas salacissimus Iuppiter desierit liberos tollere? Vtrum
sexagenarius factus est,& illi lex Papia fibulam imposuit? an
impetrauit ius trium liberorum? An tandem illi uenit in mentẽ,
ab alio expectes,alteri quod fœeris? Et timet ne quis sibi faciat,
quod ipse Saturno? At isti,qui Deos asserunt,uideant quomodo
respondeant huic argumento quod inferemus: Si duo sunt sexus
Deorum,sequitur concubitus: & si coëunt,& domos habeant
necesse est,nec enim carent uirtute ac pudore,ut hoc promiscue
aut in propatulo faciant, sicut muta uidemus facere animalia.
Si domos habent,consequens est,ut & urbes habeant: & quidẽ
authore Nasone qui ait:

Plebs habitat diuersa locis,hac fronte potentes
Cœlicolæ,

Cœlicolæ,clariq; ſuos poſuere penates.

Si habent urbes,& agros igitur habebunt.Iam quis non uideat quæ ſequantur,arare illos & colere? quod quidem uictus cauſa fit,ergo mortales ſunt. Quod argumẽtũ retrouerſum idẽ ualet. Si enim agros non habent,ne urbes quidẽ: ſi urbes nõ habẽt,ne domos quidẽ.Si domibus carẽt,ergo & concubitu:ſi concubitus ab his abeſt,& ſexus igitur fœmineus. In dijs autẽ uidemus & fœminas eſſe,ergo dij nõ ſunt.Diſſoluat hoc argumentũ ſi quis poteſt.Ita enim res rẽ ſequitur,ut hæc ultima neceſſe ſit cõfiteri. Sed ne illud quidẽ diſſoluet aliquis:ex duobus ſexibus alter fortior,alter infirmior eſt. Robuſtiores enim mares ſunt,fœminæ imbecilliores. Imbecillitas autem non cadit in Deum, ergo nec fœmineus ſexus,Huic additur ſuperioris argumẽti extrema illa concluſio,ut dij non ſint,quoniam in dijs & fœminæ ſunt.

Quod Stoici fidem hiſtoriarum,& poëtarũ figmẽta inani phiſica ratione peruertũt:& quæ miſeriæ & turpitudines de Diis referantur. Cap. XVII.

OB has rationes Stoici alio uerſus Deos interpretantur. Et quia non præuident quid ſit in uero, conantur eos cũ rerũ naturaliũ ratione cõiũgere:quos Cice.ſequutus de Dijs,ac religionibus corũ hãc ſentẽtiã tulit.Videtis ne igitur,ut à phyſicis rebus bene atq; utiliter inuẽtis tracta ſit ad cõmentitios,ac fictos deos?quæ res genuit falſas opiniones,erroreſq; turbulẽtos ſuperſtitiones penè aniles:et formæ enim deorũ nobis,et ætates, & ueſtitus,ornatuſq; noti ſunt.Genera præterea cõiugia,cognationes omnes,omniaq; traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ.Quid planius,quid uerius dici poteſt? Romanæ philoſophiæ princeps,et ampliſſimo ſacerdotio præditus,cõmẽtitios ac fictos

ac fictos deos redarguit: quorũ cultus superstitiones penè anilcs esse testatur: falsis opinionibus, erroribusq; turbulẽtis implicatos esse homines queritur. Nã totus liber tertius de natura deorum omnes funditus religiones euertit, ac delet. Quid ergo à nobis expectatur amplius? Nũ eloquẽtia superare possumus Ciceronẽ? Minime id quidẽ: sed fiducia illi defuit ignorãti ueritatẽ, quod ipse simpliciter in eodẽ opere cõfitetur. Ait enim, facilius se posse diceri quid nõ sit, quàm quid sit: hoc est, falsa se intelligere, uera nescire. Clarũ est igitur homines fuisse illos, qui dij putantur, & eorũ memoriam post mortem consecratam esse, idcoetiã ætates diuersæ sunt, et certæ imagines singulorũ, quod in eo habitu, & ætate singulorũ simulachra configurata sunt, in qua quemq; mors deprehendit. Consyderemus (si placet) erumnas infelicium deorum. Isis filium perdidit, Ceres filiam: expulsa, & per orbem terræ iactata Latona, uix insulam paruam, in qua pareret, inuenit. Deũm mater & amauit formosum adolescentem, & eundem cum pellice deprehensum exectis uirilibus semiuirũ reddidit: et ideo nunc sacra eius à Gallis sacerdotibus celebrantur. Iuno pellices acerrime persecuta est, quia parere ipsa non potuit ex fratre. Insulam Samum scribit Varro prius Partheniã nominatam, quod ibi Iuno adoleuerit, ibiq; etiam Ioui nupserit. Itaq; nobilissimum, & antiquissimum templum eius est Sami, et simulachrum in habitu nubentis figuratum: & sacra eius anniuersaria nuptiarũ ritu celebrãtur. Si ergo adoleuit, si uirgo fuit primo, postea mulier, hominem fuisse qui non intelligit, pecudẽ se fatetur. Quid loquar obscœnitatem Veneris omnium libidinis prostitutæ, non deorum tantum, sed & hominum? Hæc enim ex famoso Martis stupro genuit Harmoniam, ex Mercurio Hermaphroditum, qui est natus Androgynus, ex Ioue Cupidinẽ, ex Anchisa Aeneã, ex Bute Erycen: ex Adone quidem nullũ potuit qui etiã tum puer ab apro ictus et occisus est. Quæ prima (ut in

historia

historia sacra continetur (artē meretriciā instituit: authorq; mulieribus in Cypro fuit, uti uulgo corpore quæstū facerēt. Quod idcirco imperauit, ne sola præter alias mulieres impudica, et uirorum appetens uideretur. Etiā ne habet hæc aliquid numinis? cuius plura numerātur adulteria, quàm partus. Sed ne illæ quidē uirgines illibatā castitatē seruare potuerūt. Vnde enim putemus Erichthoniū esse natū? An ex terra, ut poëtæ uideri uolunt? At res ipsa clamat. Nā cū Vulcanus dijs arma fecisset, eiq; Iupiter optionē dedisset premij, quod uellet postulādi, iuraßetq; (ut solebat) per infernā paludē se nihil negaturū, tū faber claudus Mineruæ nuptias postulauit. Hic Iuppiter optimus maximus tāta religione constrictus, abnuere nō potuit: Mineruā tamē monuit repugnare: pudicitiāq; defendere, tū in illa colluctatione Vulcanum in terrā profudisse aiūt semen, unde sit Erichthonius natus idq; illi nomē impositū ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός, id est ex certamine atq; humo. Cur igitur uirgo eum puerum cū draconē conclusum, & obsignatum tribus uirginibus Cecropidis commendauit, euidens (ut opinor) incestū, quod nullo modo possit colorari. Altera cum penè amatorem suū perdidisset, qui erat turbatis distractus equis, præstantissimum medicum Aesculapiū curando iuueni aduocauit, eumq; sanatum.

Secretis alma re condit
Sedibus & nymphæ Egeriæ, nemoriq; relegat,
Solus ubi in syluis Italis ignobilis æuum
Exigeret, uersoq; ibi nomine Virbius esset.

Quid sibi uult hæc tā diligēs, tā soliāta curatio? quid secretæ sedes? quid relegatio uel tā lōge, uel ad mulierē, uel in solitudinē? quid deinde noīs cōmutatio? Postremo quid equorū tā pertinax abominatio? Quid significāt hæc oīa, nisi cōscientiam stupri et amorē minime uirginalē? Erat plane, cur tantū laborē pro tā fideli iuuene [illegible] erat, quia amāti nouercæ obsequiū pernegaret.

Quomodo

Quomodo refellantur ii, qui deos esse factos ex hominibus mentiantur. Cap. XVIII.

HOc in loco refellendi sunt etiã ij, qui deos ex hominibus esse factos, non tantum fatentur, sed ut eos laudẽt, etiam gloriantur: aut uirtutis gratia, ut Herculem: aut munerum, ut Cererem ac Liberum: aut artium repertarum, ut Aesculapium uel Mineruam. Hæc uero quàm inepta sint, quàmq; non digna propter quæ homines inexpiabili se scelere cõtaminẽt, hostesq; Deo uero fiant, quo contempto mortuorum sacra suscipiunt, ex singulis rebus ostendam. Virtutem esse dicunt, quæ hominem tollat in cœlum: non illam, de qua philosophi dixerunt, quæ posita est in nobis, animi: sed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo: quæ, quoniam precipua in Hercule fuit, immortalitatem meruisse creditur. Quis tam stultè ineptus est, ut corporis uires diuinum, uel etiam humanum bonum iudicet: cum sint & maiores pecudibus attributæ, et uno morbo sæpe frangãtur, uel ipsa senectute minuãtur & corruant? Itaq; idem, cum ille deformari ulceribus toros suos æmeret, nec sanari se uoluit, nec senem fieri, nequãdo seipso minor, aut deformior uideretur. Hũc è rogo cum seipsum combusserat, asscendisse in cœlum putauerunt: eaq; ipsa, quæ stultissime admirati sunt, simulachris, et imaginibus † compressa † Aliter expressa, & consecrata posuerunt, ut in perpetuum uanitatis eorum monimenta perstarent, qui ob necem bestiarum deos fieri credidissent. Sed hæc Græcorum fortasse culpa, qui res leuissimas pro maximis semper habuerunt. Quid nostri, num sapientiores? qui Athleticã quidẽ uirtutem contemnunt, quia nihil obest: sed regiam (quia late solet noçere) sic admirantur, ut fortes & bellicosos duces in deorum cœtũ locari arbitrentur. Nec esse ullã aliam ad immortalitatẽ uiam, quàm exercitus ducere, alienas

uastare,urbes delere,oppida excidere, liberos populos aut trucidare,aut subijcere seruituti:uidelicet quo plures homines afflixerint,spoliauerint,occiderint,eo se nobiliores,& clariores putant,& inanis gloriæ specie capti flagitijs,sceleribusq; suis nomen uirtutis imponũt.Iã mallẽ ut à ferarũ cædibus deos sibi fingerent,quàm immortalitatẽ tam cruentã probarẽt. Si quis unũ hominem iugulauerit,pro contaminato ac nefario habetur,nec ad terrenum hoc domicilium deorum admitti eum fas putant. Ille autem, qui infinita hominum millia trucidauerit, cruore carpos inundauerit,flumina infecerit:non modo in templũ,sed etiam in cœlũ admittitur. Apud Ennĩũ sic loquitur Africanus:

Si fas cædendo cœlestia scandere cuiquam est,
Mi soli cœli maxima porta patet.

Scilicet quia magnã partẽ generis humani extinxit,ac perdidit. O quãtis in tenebris Africane uersatus es,uel potius ô poẽta,qui per cædes,& sanguinẽ patere hominibus in cœlũ ascensum putaueris. Cui uanitati & Cicero assensit. Est uero (inquit) Africane:nam & Herculi cadẽ ipsa porta patuit:tanquàm ipse plane,cũ id fieret,ianitor fuerit in cœlo.Equidẽ statuere nõ possum dolendũ ne potius an ridendũ putem: cũ uideam & graues,& doctos, & (ut sibi uidentur) sapientes uiros in tam miserandis errorũ fluctibus uolutari.Si hæc est uirtus,quæ nos immortales facit,mori equidẽ malim, q̃ exitio esse quamplurimis. Si aliter immortalitas parari nõ potest,nisi per sanguinẽ,quid fiet si omnes in concordiã consenserint? Quod ærte fieri poterit,si pernicioso,& impio furore proiecto innocẽtes esse ac iusti uelint. Num igitur nemo erit cœlo dignus?nũ peribit uirtus,quia hominibus in homines sæuire nõ dabitur?Sed isti,qui euersiones urbiũ populorumq; summã gloriam computant,ocium publicũ nõ ferent,rapient,sæuient,& iniurijs insolenter ill.atis humanæ societatis fœdus irrumpẽt,ut habere hostem possint,quem sæleratius

dcleant,

deleãt,quàm laceſſerint Nũc ad reliqua pergamus. Nomẽ deorum Cereri ac Libero traditio munerũ fecit. Poſſum diuinis docere literis, uinũ atq; fruges ante progeniem Cœli atq; Saturni fuiſſe in uſu hominũ: ſed ab his ſane inuenta eſſe fingamus. Nũ poteſt plus aut minus uideri collegiſſe fruges, hisq; fractis panẽ facere docuiſſe, aut uuas de uitibus lectas expreſſiſſe, uinũq; feciſſe, q̃ fruges ipſas, aut uites generaſſe, aut protuliſſe de terra? Reliquit hæc ſane Deus humanis ingenijs eruẽda: tamẽ fieri nõ poteſt, quin ipſius ſint omnia, qui & ſapientiã tribuit homini, ut inuenirent: & ipſa illa, quæ poſſent inueniri, primus inuenit. Artes quoq; ſuis inuentoribus immortalitatẽ peperiſſe dicũtur, ut Aeſculapio medicina, Vulcano fabrica. Colamus igitur & illos, qui fullonicam, ſutrinamq; docuerũt. Cur autẽ figulinæ repertori honos nõ habetur? An quia iſti diuites uaſa Samia contemnũt? Sunt & aliæ artes, quarũ repertores humanæ uitæ plurimum profuerũt, cur nõ etiã illis attributa ſunt tẽpla? Sed nimirum Minerua eſt, quæ omnes reperit. Ideoq; illi opifices ſupplicant. Ergo ab his ſordibus Minerua aſcẽdit in cœlũ. Eſt uero cauſa cur quiſq; derelinquat eũ, qui terrã cũ animãtibus, cœlum cũ aſtris, & luminibus exorſus eſt, ut eam ueneretur, quæ telam docuit ordiri? Quid ille, qui uulnera in corporibus ſanare docuit, nũ poteſt eſſe præſtãtior, quàm qui corpora ipſa formauit ſentiendi ac uiuẽdi rationẽ dedit? herbas deniq; ipſas, & cætera quibus medendi ars conſtat, excogitauit, ac protulit?

Quod deos vanos, & Deum verũ nemo ſimul poteſt colere. Cap. XIX.

AT enim diæt aliquis, & huic ſummo, qui fecit omnia, & illis, qui partim profuerunt, ſuam uenerationem eſſe tribuendam. Primum nec factũ eſt unquàm, ut qui hos colit, etiam

Deum colucrit,neq; fieri potest: quoniã si honos idem tribuitur alijs,ipse omnino non colitur,cuius religio est, illum esse unum, ac solum Deum credere. Clamat summus Poëta eos omnes,qui inuentas uitam excoluére per artes,apud inferos esse, ipsumque illum medicinæ repertorem talis & artis ad stygias undas fulmine essẽ detrusum,ut intelligamus, quantum ualeat pater omnipotens,qui & deos fulminibus extinguat. Sed homines ingeniosi hanc secũ habebant fortasse rationẽ, quia Deus fulminari nõ potest,apparet nõ esse factũ,imo uero quia factũ est, apparet hominẽ fuisse,non deũ. Mendacium enim Poëtarum non in facto est,sed in nomine. Metuebant enim malũ,si cõtra publicã persuasionẽ faterẽtur,quod erat uerũ. Quod si hoc cõstat inter ipsos,ex hominibus deos factos cur ergo non credunt Poëtis,si quando illorum fugas,& uulnera,& mortes,& bella, & adulteria describunt? Quibus ex rebus intelligi datur,non potuisse ullo pacto fieri deos: quia ne homines quidẽ probi fuerunt,caq; in uita sua gesserunt,quæ mortem pariunt sempiternam.

De propria Rhomanorum religione. Cap. XX.

VEnio nunc ad proprias Rhomanorũ religiones quoniã de cõmunibus dixi. Romuli nutrix Lupa honoribus est affecta diuinis. Et ferrem,si id animal ipsum fuisset,cuius figurã gerit. Author est Liuius Laurentiæ esse simulachrum: & quidẽ non corporis,sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor,et propter uulgati corporis uilitatem Lupa inter pastores,id est meretrix nuncupata est: unde etiam Lupanar dicitur, exemplũ scilicet Athenienſium. In ea figurãda Romani secuti sunt: apud quos meretrix quædam nomine Leæna cũ tyrannum occidisset, quia nefas erat simulachrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt,cuius nomen gerebat. Itaq; ut illi monimentum

mimentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt. Huius nominis etiam dies festus dedicatus est, & Laurentinalia constituta. Nec hanc solum Romani meretricem colunt, sed Faulam quoq; quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit. Iam quãta est immortalitas putanda, quam etiam meretrices assequuntur. Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæsiuisset, populũ Rhomanum scripsit hæredem, ærtam pecuniam reliquit: cuius ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, æditione ludorũ quos appellant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum uidebatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit: eamq; oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut uitibus bene, prospereq; floresærent. Eum colorẽ secutus in Fastis Poëta, nõ ignobilem nympham fuisse narrauit, quæ sit Chloris uocitata: eamq; Zephyro nuptam, quasi dotis loco id acepisse muneris à marito, ut haberet omnium florum potestatem. Honestè quidem ista dicuntur, sed inhonestè turpiterq; creduntur. Non debent (cum ueritas quæritur) huiusmodi nos uelamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum omni lasciuia, conuenientes memoriæ meretricis. Nam præter uerborũ licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam uestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorũ funguntur officio & in cõspectu populi usq; ad satietatem impudicorum luminũ cum pudendis motibus detinentur. Cloacinæ simulachrum in cloaca maxima repertum Tatius cõsecrauit: & quia cuius esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit: Pauorem Palloremq; Tullus Hostilius figurauit & coluit. Quid de hoc dicam nisi dignum fuisse, qui semper deos suos (sicut optari solet) præsentes haberet? Ab hoc illud M. Marcelli de consecratione honoris, atq; uirtutis honestate nomine differt, re congruit. Eadem uanitate mentem quoq; inter deos collocauit Senatus: quam

profecto si habuisset, eiusmodi sacra nunq̃ suscepisset. Magnum Cicero, audaxq́; consiliũ suscepisse Græcã dicit: quod cupidinũ & amorum simulachra in gymnasijs consecrasset, adulatus est uidelicet Attico, & irrisit hominem familiarem. Nõ enim illud magnum, aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorũ hominum perdita, & deplorata nequitia: qui liberos suos, quos erudire ad honestatem deberent, prostituerunt libidini iuuentuis: à quibus flagitiorum deos, & in illis potißimum locis ubi nuda corpora corruptorum luminibus patent: & in illa coli ætate uoluerunt, quæ simplex & improuida prius irretiri, & in laqueos potest cadere q̃ cauere. Quid mirũ, si ab hac gente uniuersa flagitia manarunt apud quã ipsa uitia religiosa sunt: eaq́; nõ modo nõ uitantur, uerumetiã coluntur. Et ideo huic sententiæ, tanq̃ Græcos prudentia uinceret, adiecit: Virtutes enim oportet, nõ uitia consecrari. Quod si recipis ô M Tulli, nõ uides fore, ut irrumpãt uitia cũ uirtutibus: quia mala bonis adhærẽt, & in animis hominum portentiora sunt: quæ si uetas consecrari, respondebit tibi illa eadẽ Græcia, se alios deos colere, ut prosint, alios ne noceant. Hæc enim semper excusatio est eorum, qui mala sua pro dijs habent: ut Rhomani Rubiginem ac Febrem. Si ergo uitia consecranda non sunt, in quo tibi assentior, ne uirtutes quidem. Non enim per se sapiunt, aut sentiunt: neq; intra parietes aut ædiculas luto factas, sed intra pectus collocãdæ sunt & interius comprehendendæ, ne sint falsæ, si extra hominem fuerint collocatæ. Itaq; præclaram illam legem tuã derideo, quã ponis his uerbis: Ast illa propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, uirtutem, pietatem, fidem, earumq́; laudum delubra sunto. Atqui hæc separari ab homine non possunt. Si enim colẽda sunt, in homine ipso sint necesse est. Si autem sunt extra hominem, quid opus est ea colere, quibus careamus? Virtus colenda est, nõ imago uirtutis: & colenda est, nõ sacrificio aliquo,

aut thure,

aut thure, aut precatione solẽni, sed uolũtate sola, atq; proposito. Nam quid est aliud colere uirtutem, nisi eam comprehendere animo, & tenere? Quod unusquisq; simul occepit uelle, cõsequitur. Hic solus uirtutis est cultus: nam religio & ueneratio nulla alia nisi unius Dei tẽnẽda est. Quid igitur opus est ô uir sapientissime, superuacuis extructionibus loca occupare, quæ possint humanis usibus ædere? quid sacerdotes constituere uana & insensibilia culturos? quid immolare uictimas? quid tantos sumptus uel fingendis, uel colendis imaginibus impẽdere? Firmius & incorruptius templum est pectus humanum: hoc potius ornetur, hoc ueris illis numinibus impleatur. Has ergo falsas consecrationes esse sequitur, quod necesse est. Qui enim uirtutes sic colunt, id est qui umbras atq; imagines uirtutũ consectantur, ea ipsa, quæ uera sunt, tenere non possunt. Itaq; nulla in quoquam uirtus est uitijs ubiq; dominantibus: nulla fides, omnia pro se unoquóque rapiente: nulla pietas, nec cõsanguineis, nec parentibus, præcunte auaritia, & cupiditate in ucnenum, & ferrum ruente: nulla pax, nulla concordia, publice bellis sæuientibus, priuatis inimicitijs usq; ad sanguinem furẽtibus: nulla pudicitia, libidinibus effrenatis omnem sexum, & omnes corporis partes contaminantibus. Nec tamen desinunt ea colere, quæ fugiunt, et oderũt. Colunt enim thure, ac summis digitis, quæ sensibus intimis colere debuerunt: qui error omnis ex illius principalis, ac summi boni ignoratione descendit. Vrbe à Gallis occupata, obsessi in capitolio Rhomani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædẽ Veneri caluæ consecrarũt. Nõ igitur intelligunt, q̃ uanæ sint religiones, uel ex eo ipso, quod eas his ineptiis cauillãtur. A Lacædæmonijs fortasse didicerant, deos sibi ex cuẽtis fingere: qui cum Messenios obsiderent, et illi furtim deceptis obsessoribus egressi ad diripiẽdã Lacedæmonẽ cucurissẽt, à Spartanis mulieribus fugati sunt. Cognitis aũt hostiũ insidijs Lacedæmonij sequebãtur.

His armatæ mulieres obuiam longius exiuerunt: quæ cũ uiros suos cernerent parare se ad pugnam, quos qui putarent Meßenios eße, corpora sua nudauerunt. At illi uxoribus cognitis, & aspectu in libidinem concitati, sicut erant armati permisti sunt utiq; promiscue: nec enim uacabat discernere. Sic iuuenes ab ijsdem antea mißi cum uirginibus: ex quibus sunt Parthenij nati. Propter huius facti memoriam eædẽ Veneri armatæ simulachrũ posuerunt: quod tametsi ex causa turpi, tamen honestius uidetur armatam Venerem consecrasse, quàm caluam. Eodem tempore Ioui quoq; pistori ara apposita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra iactarent: eoq; facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos. Quæ ista religionũ derisio est: si earũ defensor eßem, quid tã grauiter queri poßem, quàm deorum nomen in tantum uenisse contemptum, ut turpißimis nominibus ludibrio habeatur? Quis non rideat Fornacem deam? uel potius doctos uiros celebrandis fornacalibus operari? quis, cum audeat deam Mutam tenere risum queat? Hanc eße dicunt ex qua sint nati Lares, & ipsam Laram nominant, uel Larundam. Quid præstare colenti potest, quæ loqui non potest? Colitur & Caca, quæ Herculi fecit indicium de furto boum: diuinitatem consecuta, quia perdidit fratrem. Et Cunina, quæ infantes in cunis tuetur, ac fascinum summouet. Et Sterculius, qui stercorãdi agri rationem primus induxit. Et Mutinus, in cuius sinu pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibasse uideatur. Et mille alia portenta, ut iam uaniores qui hæc colenda susceperint, quàm Aegyptios eße dicamus: qui monstrosa & ridicula quædam simulachra uenerantur & colunt, quæ tamen habent aliquam imaginem. Quid, quod lapidẽ colunt informẽ, atq; rudẽ, cui nomẽ erat Terminus? Hic est, quẽ pro Ioue Saturnus dicitur deuorasse. Nec immerito illi bonos

tribuitur.

tribuitur. Nam cum Tarquinius capitoliū facere uellet, eoq; in loco multorum deorum sacella essent, consuluit eos per auguria, utrū Ioui ædere uellēt, & cædētibus cæteris, solus Terminus mānsit. Vnde illū Poëta capitolij immobile saxum uocat. Iam ex hoc ipso uides quàm magnus Iupiter inuenitur, cui non cessit lapis: ea fortasse fiducia, quod illum de paternis faucibus liberauerat. Facto itaq; capitolio, supra ipsum Terminū foramē est in tecto relictum: ut quia non cesserat, libero cœlo frueretur: quo ne ipsi quidem frucbantur, qui lapidem frui putauerunt. Et huic ergo publicæ supplicatur, quasi custodi finium Deo, qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de ijs dicam, qui colūt talia, nisi ipsos potissimum lapides ac stipites esse?

De sacrificiis, & mysteriis eorum. Cap. XXI.

DIximus de dijs ipsis, qui coluntur: nunc de sacris ac mysterijs eorum pauca dicenda sunt. Apud Cypri Salaminem humanā hostiam Ioui Theucrus immolauit: idq; sacrificiū posteris tradidit, quod est nuper Hadriano imperāte sublatum. Erat lex apud Tauros inhumanam & feram gentem, uti Dianæ hospites immolarentur, & id sacrificium multis temporibus celebratum est. Galli Esum, atq; Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem huius immanitatis expertes fuerunt: siquidem Latialis Iupiter etiam nunc sanguine colitur humano. Quid ab his boni precatur, quibus sic sacrificāt? Aut quid tales dij hominibus præstare possunt, quorum pœnis propitiantur? Sed de Barbaris non est adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit. Nostri uero, qui semper mansuetudinis et humanitatis gloriam sibi uendicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiuntur? Hi enim potius scelerati sunt habendi, qui, cū sint liberaliū disciplinarū studijs expoliti, ab humanitate

desciscunt, q̃ qui rudes, & imperiti ad mala facinora bonorum ignoratione labũtur. Apparet tamẽ antiquũ esse hũc immolandorũ hominũ ritũ. Siquidẽ Saturnus in Latio eodẽ genere sacrificij cultus est: nõ quidẽ ut homo ad arã immolaretur, sed uti in Tyberim de põte miluio mitteretur. Quod ex respõso quodã factitatum Varro autor est: cuius responsi ultimus uersus est talis:

Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ καὶ πατρὶ πέμπετε φῶτα

Id est: Et capita Saturno, & patri mittite lumina, seu hominem. Quod quia uidetur ambiguum, & fax illi, & homo iaci solet. Verum id genus sacrificij ab Hercule, cum ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum: ritu tamen permanente, ut pro ueris hominibus imagines iacerentur ex scirpo, ut Ouidius in Fastis docet:

Donec in hæc uenit Tirynthius arua quotannis,
Tristia Leucadio sacra peracta Deo,
Illum stramineos in aquam misisse quirites,
Herculis exemplo corpora falsa iacæ

Hæc sacra uestales uirgines faciunt, ut ait idem:

Tum quoq; priscorum uirgo simulachra uirorum
mittere roboreo scirpea ponte solet.

Nam de infantibus, qui eidem Saturno immolabantur propter odiũ Iouis, quid dicam nõ inuenio. Tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut paricidiũ suum, id est tetrũ, atq; execrabile humano generi facinus sacrificiũ uocarent: Cũ teneras atq; innocentes animas, quæ maxime est ætas parẽtibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemq; omniũ bestiarũ, quæ tamen fœtus suos amant, feritate superarunt. O dementiam insanabilem, quid illis isti dij amplius facere possent, si essent iratissimi, quàm faciunt propitij? cum suos cultores paricidijs inquinãt, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? Quid potest esse his hominibus sancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter aras corũ summa scelera committunt? Pescenius

Festus

Festus in libris historiarũ per satyram refert, Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare: & cũ uicti essẽt ab Agathocle rege Siculorum, iratũ sibi deum putauisse, itaq; ut dilũ gentius piaculum soluerẽt, ducentos nobilium filios immolasse.

Tantum relligio potuit suadere malorum,
Quæ peperit sæpe scelerosa, atq; impia facta.

Cui ergo demẽtissimi homines illo sacrificio cõsulebant? cũ tantam partẽ ciuitatis occiderent, quantam fortasse ne Agathocles quidẽ uictor occiderat. Ab isto genere sacrorũ nõ minoris insaniæ iudicãda sũt publica illa sacra, quorũ alia sunt matris deũm in quibus homines suis ipsis uirilibus litãt: amputato enim sexu nõ uiros se, nec fœminas faciũt. Alia uirtutis, quã eandem Bellonã uocant: in quibus ipsi sacerdotes nõ alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis nanq; humeris, & utraq; manu districtos gladios excerentes, currunt, & efferuntur, & insaniunt. Optime igitur Quintilianus fanatico, istud (inquit) si Deus cogit, iratus est: etiã ne hæc sacra sunt? Nonne satius est pecudũ more uiuere, q̃ deos tam impios, tã profanos, tã sanguinarios colere? Sed unde isti errores, & hæc tanta flagitia manauerũt, suo loco disseremus: interim uideamus cætera, quæ carẽt scelere, ne studio insectandi uideamur eligere peiora. Isidis Ægyptia sacra sunt quatenus filiũ parulũ uel perdiderit, uel inuenerit. Nã primo sacerdotes eius deglabrato corpore sua pectora tundũt, lamentãtur, sicut ipsa, cum filium perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inuẽtus, & in lætitiam luctus ille mutatur, ideo Lucanus:

Nunquamq; satis quæsitus Osiris.

Semper enim perdunt, semper & inueniunt. Refertur ergo in sacris imago rei, quæ uere gesta est: quæ profecto si quid sapimus, declarat mortalem mulierẽ fuisse, ac penè orbam, nisi unicẽ reperisset: quod illum ipsum Poëtam minime fugit, apud quem Pompeius adolescens, morte patris audita, hæc loquitur:

Euoluam

Euoluam busto iam numen gentibus Isim,
Et tectum ligno sparsam per uulgus Osirim

Hic est Osiris, quem Serapin & Serapidem uulgus appellat. Solent enim mortuis cõsecratis nomina immutari, credo ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est, & Leda Nemesis, & Ciræ Marica: & Ino, postquàm se precipitauit, Leucothea, materq; Matuta: & Meliærtes filius eius Palæmon, atq; Portunnus. Sacra uero Cereris Eleusinæ nõ sunt his dissimilia. Nã sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiritur, ita hic ad inæstum patrui matrimoniũ rapta Proserpina: quam quia faucibus ex Aetnæ uertice acensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur, idcirco sacra eius ardẽtium tedarũ iactatione ælebrantur. Apud Lampsacum Priapo † lætabilis † Alter litabilis uictima est asellus. Cuius sacrificij ratio in fastis hæc redditur. Quum dij omnes ad festum matris magnæ conuenissent, epulisq; saciati noctem lusibus ducerent, quicuisse humi Vestam, somnumq; cepisse: ibi Priapum somno eius ac pudicitiæ insidiatum: sed illam intempestiuo clamore asselli, quo Silenus uchebatur, excitatam, libidinem uero insidiatoris esse detectam. Hac de causa Lampsacenos asellum Priapo quasi in ultionem mactare consueuisse. Apud Romanos uero eundem Vestalibus sacris in honorẽ pudicitiæ conseruatæ panibus conorari. Quid turpius? Quid flagitiosius? quasi Vesta beneficio asini uirgo est At Poëta fabulam finxit. Num ergo illud est uerius quod referunt ij, qui φαινόμενα conscripserunt? cum de duabus cancri stellis loquuntur, quas Græci ὄνους uocant, asellos fuisse: qui Liberũ patrẽ transucxerint, cũ amnem transire non posset, quorũ alteri hoc præmiũ dederit, ut humana uoce loqueretur, itaq; inter cũ Priapũq; ortũ esse certamẽ de membri obscœni magnitudine: Priapum uictum & iratum interemisse uictorem. Hoc uero multo magis ineptũ est, sed poëtis licet quicquid uelint. Nõ

excutio

excutio tam deforme mysterium, nec Priapum denudo, ne quid appareat risu dignum. Finxerunt hæc sane Poëtæ, sed necesse est alicuius maioris turpitudinis tegendæ gratia ficta sint. Quæ sint ergo, queramus. At ea profecto manifesta est. Nã sicut Lunæ taurus mactatur quia similiter habet cornua: &

Placat equo Persis radijs Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri uictima tarda Deo:

Ita in hoc, quia magnitudo membri uirilis enormis est, non potuit ei monstro aptior uictima reperiri, quàm quæ ipsum, cui mactatur posset imitari. Apud Lindũ, quod est oppidũ Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum à cæteris longe diuersus est ritus. Siquidem non εὐφημίᾳ (ut Græci appellant) sed maledictis, et execratione celebrãtur: eaq; pro uiolatis habẽt: siquãdo inter solennes ritus uel imprudẽti alicui exciderit bonũ uerbum. Cuius rei hæc ratio redditur, si tamen ulla esse in rebus uanißimis potest. Hercules, cum eo delatus esset, famẽq; pateretur, aratorem quendam aspexit operantem, ab eoq; petere cœpit, ut sibi unum bouem uenderet. Enimuero ille negauit fieri posse: quia spes sua omnis colẽdæ terræ, duobus illis iumentis niteretur. Hercules solita uiolẽtia usus, quia unũ accipere nõ potuit, utrunq; sustulit. At ille infelix, cũ boues suos mactari uideret, iniuriã suam maledictis ultus est: quod homini eleganti & urbano gratißimum fuit. Nam dũ comitibus suis epulas apparat, dũq; alienos boues deuorat, illum sibi amarißime cõuiciantem cum risu, & cachinnis audiebat. Sed postquàm Herculi diuinos honores ad admirationẽ uirtutis deferri placuit, à ciuibus ei ara posita est, quã de facto βουζυγον, id est bouis iugũ nominauit. Ad quam duo iuncti boues immolarẽtur, sicut illi, quos abstulerat aratori, eũq; ipsum sibi cõstituit sacerdotẽ, ac præcipit, ut ijsdẽ maledictis semper in celebrãdis sacrificijs uteretur, quod negaret se unq̃ epulatum eße iucũdius. Hæc iã nõ sacra sunt, sed sacrilegia: in quibus

id factum

id factum dicitur, quod in alijs si fiat, seuerissime uindicatur. Ipsius autem Cretici Iouis sacra quid aliud, quàm quomodo sit aut subtractus patri, aut nutritus ostendunt? Capella enim Amaltheæ nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem, de qua Germanicus Cæsar in Aratæo carmine sic ait, Illa putatur

Nutrix esse Iouis, si uere Iupiter infans
Vbera Creteæ mulsit fidissima capræ,
Sydere quæ claro gratum testatur alumnum.

Huius capellæ corio usum esse pro scuto Iouem contra Titanas dimicantem Musæus author est. Vnde à Poëtis ἀιγίοχος nominatur. Ita quicquid est gestũ in abscondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris. Sed & matris eius mysterium idem continet, quod Ouidius exponit in Fastis:

Ardua iamdudum resonat Tinnitibus Ide,
Tutus ut infanti uagiat ore puer.
Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes,
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit, prisciq; manent imitantia facti
Aera deæ comites raucaq; terga mouent.
Cymbala pro galeis pro scutis tympana pulsant,
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante modos.

Hãc totam opinionem quasi à Poëtis fictam Salustius respuit uoluitq; ingeniose interpretari, cur altores Iouis dicantur Curetes fuisse, & sic ait: Quia principes intelligẽdi diuina fuerũt, uetustatẽ ut cætera in maius componentẽ altores Iouis celebrauisse. Quantum errauerit homo eruditus, iam res ipsa declarat. Si enim princeps est Iupiter & deorũ, & religionũ, si ante illũ dij nulli colebãtur uulgo, quia nondũ nati fuerant, qui colũtur, apparet Curetes ex diuerso principes fuisse diuina nõ intelligẽdi per quos error omnis inductus est, et Dei ueri memoria sublata. Ex ipsis itaq; mysterijs & ceremonijs intelligere debuerunt hominibus

hominibus se mortuis supplicare. Non igitur exigo, ut aliquis poëtarũ fictionibus credat: qui has mentiri putat, Pontificum ipsorũ scripta consyderet, et quicquid est literarũ ad sacra pertinentium, reuoluat: plura fortasse quàm nos afferimus, inueniet in quibus intelligat inania, inepta, commẽtitia esse omnia, quæ pro sanctis habentur. Si quis autẽ percepta sapientia deposuerit errorẽ, profecto ridebit ineptias hominũ penè dementium: illos dico qui uel inhonesto saltatu tripudiant, uel qui nudi, uncti, coronati, personati, aut luto obliti currũt. Quid de scutis iam uetustate putridis dicam? quæ cũ portant, deos ipsos se gestare humeris suis arbitrãtur. Nam Furius Bibalcus inter præcipua pietatis exempla numeratur: qui cũ prætor esset, tamen lictoribus præeuntibus ancyle portauit, cũ haberet magistratus beneficio muneris uacationẽ. Nõ ergo ille Furius, sed plane furiosus fuit, qui prætura hoc ministerio se putauit ornare. Merito igitur, cũ hæc à uiris nõ imperitis, ac rudibus fiant, Lucretius exclamat:

O stultas hominum mentes, ô pectora cæca
Quamlibet in tenebris uitæ, quantisq; periclis
Degitur hoc æui, quodcunq; est.

Quis hæc ludibria non derideat, qui habeat aliquid sanitatis? cum uideat homines uelut mente captos ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu, nimis lasciuus & ineptus esse uideatur.

Quis author prædictarũ vanitatũ in Italia apud Rhomanos fuerit, & quis apud alias gentes. Cap. XXII.

HArum uanitatũ apud Rhomanos author, & constitutor Sabinus ille rex fuit, qui maxime animos hominũ rudes, atq; imperitos nouis superstitionibus implicauit: quod ut faceret aliqua cum autoritate, simulauit cum dea Egeria nocturnos

se habere

se habere congressus. Erat quædã spelunca peropaca in nemore Aricino, unde riuus perẽni fonte manabat: huc remotis arbitris se inferre consueuerat, ut mentiri posset monitu deæ coniugis ea sacra populo se tradere, quæ acceptissima diis essent. Videlicet stultiam Minois uoluit imitari, qui se in antrũ Iouis recõdebat, & ibi diu moratus, leges tanq̃ sibi à Ioue traditas afferebat, ut homines ad parendum non modo imperio, sed etiam religione constringeret. Nec difficile sane fuit persuadere pastoribus. Idẽ pontifices, flamines, salios, augures creauit, deos per familias descripsit. Sic noui populi feroces animos mitigauit, & ad studia pacis à rebus bellicis auocauit. Sed cum alios falleret, seipsum tamen nõ fefellit. Nã post annos plurimos Cornelio, & Bebio COSS. in agro scribæ Petilij sub Ianiculo arcæ duæ lapideæ sunt repertæ à fossoribus: quarum in altera corpus Numæ fuit in altera septem Latini libri de iure pontificio: item Græci totidem, de disciplina sapientiæ scripti. quibus religiones non eas modo: quas ipse instituerat, sed omnes præterea dissoluit. Quare ad Senatum delata, decretum est, ut hi libri abolerẽtur. Itaq; eos Q. Petilius prætor Vrbanus in concione populi concremauit. Insipienter id quidem: quid enim profuit libros esse combustos? cum hoc ipsum, quod sunt ideo combusti, quia religionibus derogabatur, memoriæ sit traditum? Nemo ergo tunc in Senatu non stultissimus. Potuerunt enim & libri aboleri, & res tamen in memoriam non exire. Ita dum uolunt & posteris approbare, quanta pietate defenderint religiones, authoritatem religionũ ipsarum testando minuerunt. Sed ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit, sic ante Pompiliũ Faunus in Latio: qui & Saturno nefaria sacra constituit, & Picum patrem inter deos honorauit, & sororem suam Fatuam Faunam, eamq; cõiugem consecrauit: quam C. Bassus Fatuam nominatã tradit, quod mulieribus fata canere cõsueuisset, ut Faunus uiris.

Eandem

Eandem Varro scribit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eã quoad uixerit, præter uirum suum mas uiderit, nec nomen eius audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, & bonam deam nominant. Et Sex. Clodius in eo libro quem Græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse: quæ, quia contra morẽ decusq; regiũ clam uini ollam ebiberat, & ebria facta erat, uirgis myrtheis à uiro usq; ad mortem cæsa: postea uero cum eum facti sui pœniteret, & desyderium eius ferre non posset, diuinum illi honorem detulisse: idcirco in sacris eius obuolutam uini amphoram poni. Reliquit ergo posteris Faunus quoq; non parum erroris, quem tamen prudentes quiq; perspiciunt. Nam Lucillius eorum stultitiam, qui simulachra deos putant esse, deridet his uerbis:

Terricolas Lamias Fauni quas Pompiliq;
Instituere Numæ tremit has, hic omnia ponit.
Vt puer infantes credant signa omnia ahena
Viuere & esse homines, sic isti omnia ficta
Vera putant: credunt signis: cor inesse ahenis.
Pergama pictorum. & cætera.

Poëta quidem stultos homines infantibus comparauit: at ego multo imprudentiores esse dico. Illi enim simulachra homines putant esse, hi deos: illos ætas facit putare quod non est, hos stultitia. Illi utiq; breui desinunt falli: horum uanitas & durat, & semper crescit. Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam, priusq; celebrauit in mõte Bœotiæ Thebis, ubi Liber natus est proximo: qui cũ frequenter citharæ cantu personaret, Citheron appellatus est. Ea sacra etiam nunc Orphica nominantur, in quibus ipse postea dilaceratus, et carptus est: & fuit per eadem fere tempora, quibus Faunus. Sed quis ætate præcesserit, dubitari potest: siquidem per eosdem annos Latinus, Priamusq; regnauerunt, item patres eorũ Picus, & Laomedon: quo regnante, Orpheus cum Argonautis ad Ilienſium litus accesſit.

Procedamus igitur ulterius, & quæramus, quis omnino colendorum deorũ primus autor extitit. Didymus in libris ἐξηγήσεως τῶν κατὰ Πίνδαρον, id est, expositionis Pindaricæ, ait, Melissæa Cretensiũ regẽ primũ dijs sacrificasse, ac ritus nouos, sacrorũq; pompas introduxisse. Huius duas fuisse filias, Amaltheam, & Melissam: quæ Iouem puerũ caprino lacte, ac melle nutrierunt. Vnde Poëtica illa fabula originẽ sumpsit, aduolasse apes, atq; os pueri melle complesse, Melissam uero à patre primã sacerdotem matri magnæ constitutã. Vnde adhuc eiusdem matris antistites Melissæ nuncupantur. Historia uero sacra testatur ipsum Iouẽ, postq; rerum potitus est, in tantam insolentiam uenisse, ut ipse sibi fana multis in locis constitueret. Nam cũ terras circuiret, in quancũq; regionẽ ueniret, reges, principes ue populorũ hospitio sibi, & amicitia copulabat: & quũ à quoq; digrederetur, iubebat sibi fanũ creari hospitis sui nomine, quasi ita posset amicitiæ et fœderis memoria cõseruari. Sic cõstituta sunt tẽpla Ioui, Atabyrio Ioui Labradeo. Atabyrius enim, & Labradeus hospites eius, atq; adiutores in bello fuerunt. Item Ioui Laprio, Ioui Molioni, Ioui Cassio, & quæ sunt in eundem modum, quod ille astutissime excogitauit, ut & sibi honorem diuinũ, ut & hospitibus suis perpetuũ nomẽ acquireret cum religione coniunctũ. Gaudebãt ergo illi, & huic imperio eius libenter obsequebãtur, & nominis sui gratia ritus annuos, & festa celebrabãt. Simile quiddam in Sicilia fecit Aeneas, cũ conditæ urbi, Acestæ hospitis nomen imposuit: ut eam postmodum lætus, ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret. Hoc modo religionem cultus sui per orbẽ terræ Iupiter seminauit, et exemplum cæteris, ad imitandũ dedit. Siue igitur à Melisseo, sicut Didymus, colendorum deorũ ritus effluxit, siue ab ipso quoq; Ioue, ut Euhemerus tradit: de tẽpore tamen constat, quando dij coli cœperint. Melisseus quidẽ multũ antecessit ætate, quippe qui educauerit Iouem nepotẽ. Et

idcirco

idcirco fieri potest, uel ut ante, uel adhuc puero Ioue deos colere instituerit, id est alumni sui matrem, & auiam Tellurem, quæ fuit Vrani coniunx, & patrem Saturnum et ipse hoc exemplo, atq; instituto Iouem ad tantã superbiam prouexerit, ut postea sibi diuinos honores auderet assumere.

Quo tempore cœperint superstitiones, quibusq; sub authoribus. Cap. XXIII.

NVnc quoniam uanarum superstitionũ originem deprehendimus, superest, ut etiam tẽpora colligamus, per quæ fuerint illi, quorũ memoria colitur. Theophilus in lib. de temporibus ad Autolycum scripto, ait in historia sua Thalum dicere, quod Belus, quẽ Babilonij & Assirij colũt, antiquior Troiano bello fuisse inuenitur CCCXXII. annis. Belum autem Saturno æqualẽ fuisse, et utrunq; uno tẽpore adoleuisse. Quod adeo uerũ est, ut ratione ipsa colligi possit. Nã & Agamemnon, qui gessit bellũ Troicũ, Iouis abnepos fuit, et Achilles Aiaxq; pronepotes, et Vlysses eodem gradu proximus, Priamus quidem longa serie. Sed authores quidam tradunt Dardanũ et Iasium Coriti filios fuisse, non Iouis. Nec enim si ita fuisset, ad usus impudicos Ganymedem pronepotem suũ habere potuisset. Itaq; parẽtibus illorũ, quos supra nominaui, si congruenter annos diuidas, numerus consentiet. Ab excidio autem Troianæ urbis colliguntur annũ mille quadrĩgenti septuaginta. Ex hac temporũ ratione manifestum est, ante annos nõ amplius quàm mille octingentos natũ esse Saturnum, qui & sator omnium deorum fuit. Non ergo isti gloriẽtur sacrorũ uetustate, quorũ & origo, & ratio, et tẽporã deprehensa sunt. Restant adhuc aliqua, quæ ad arguendas religiones falsas plurimũ ualent. Sed iam finẽ facere libro decreui ne modũ excedat. Ea enim plenius sunt exequenda: ut omnibus

refutatis, quæ ueritati uidentur obstare, homines qui bonorum ignorantia uagantur incerti, ad religionem ueram possimus imbuere. Primus autem sapientiæ gradus est, falsa intelligere. Secundus, uera cognoscere. Ergo apud quem hæc prima institutio nostra profecerit, qua falsa deteximus excitabitur ad ueri cognitionem, quia nulla est homini iucundior uoluptas: & etiam iam sapientia cœlestis disciplinæ dignus, qui ad cognoscenda cætera libens, ac paratus accesserit.

LIBRI PRIMI FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM Institutionum, aduersus genteis, Liber Secundus, de origine erroris, ad Constantinum Imperatorem.

Quod rationis obliuio, & ignorantia sui facit homines ingratos vero Deo, qui colitur in aduersis, & in prosperitate contemnitur.

Caput Primum.



VAnquam primo libro religiones deorum falsas esse monstrauerim, quod ij, quorum uarios dissimilesq; cultus per uniuersam terram consensus hominũ stulta persuasione suscepit, mortales fuerint, functiq; uitæ diuinæ necessitati morti concesserint: tamen ne qua dubitatio relinquatur, hic secundus liber fontem ipsum patefaciet errorum: causasq; omnes explicabit, quibus decepti homines, & primitus deos esse crediderunt: & postmodum inueterata persuasione in susceptis prauissime religionibus perseuerarunt. Gestio enim conuictis manibus, & hominum impia uanitate detecta, singularis Dei asserere maiestatem: suspicans utilius & maius officium, scilicet reuocandi homines à prauis itineribus, & in gratiam secũ ipsos reducẽdi ne se (ut quidam philosophi faciunt) tantopere despiciant, neue se infirmos, & superuacuos, & nihil, & frustra omnino natos putent: quæ opinio plerosq; ad uitia compellit. Nam, dum existimant nulli Deo nos esse curæ, aut post mortem nihil nos esse futuros, totos se libidinibus addicũt: & dũ licere sibi putãt, hauriendis uoluptatibus sitiẽtes incumbũt, per quas imprudẽtes in laqueos mortis incurrũt. Ignorãt enim quæ sit hominis ratio: quã si tenere uellent, in primis Deũ suũ agnoscerẽt, uirtutẽ, iustitiãq; sequerẽtur, terrenis figmẽtis animas suas nõ substernerẽt, mortiferas libidinũ uoluptates nõ appeterẽt: deniq; seipsos magni æstimarent, atq; intelligerẽt plus esse in homine, quàm uidetur: cuius uim, conditionẽq; nõ aliter posse retineri, nisi cultũ ueri parẽtis sui, deposita prauitate susceperint. Equidẽ, sicut oportet, de summa rerũ sæpenumero cogitãs, admirari soleo, maiestatẽ dei singularis, quæ cõtinet, regitq; omnia, in tantam ueniße obliuionẽ, ut

quæ ſola coli debeat, ſola potiſſimum negligatur. Homines autẽ ipſos ad tantam cæcitatem eſſe deductos, ut uero ac uiuo Deo mortuos anteferant, terrenos autem, in terráq; ſepultos ei, qui fundator ipſius terræ fuit. Et tamẽ huic impietati hominũ poſſet uenia cõcedi ſi omnino ab ignorãtia diuini nominis ueniret hic error. Cũ uero ipſos deorũ cultores ſæpe uideamus Deũ ſummũ & confiteri et prædicare, quam ſibi ueniam ſperare poſſunt in pietatis ſuæ, qui non agnoſcunt cultũ eius, quẽ prorſus ignorari ab homine fas nõ eſt? Nam & cũ iurant, & cũ optant, & cum gratias agunt, nõ Iouẽ, aut deos multos, ſed Deũ nominant: adeò ipſa ueritas, cogente natura, etiã ab inuitis pectoribus crumpit: quod quidem nõ faciunt in proſperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria hominũ clabitur, cum beneficijs eius fruentes honorẽ dare diuinæ indulgentiæ deberẽt. At uero ſi qua neceſſitas grauis preſſerit, tum Deũ recordantur. Si belli terror infremuerit, ſi morborũ peſtifera uis incubuerit, ſi alimẽta frugibus longa ſiccitas denegauerit, ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruerit ad Deũ confugiunt, à Deo petitur auxiliũ, Deus ut ſubueniat, oratur. Si quis in mare uẽto ſæuiẽte iactatur, hũc inuocat. Si quis aliqua ui afflictatur, hũc protinus implorat. Si quis ad extremã mendicandi neceſſitatem deductus, uictũ precibus expoſcit, Deũ ſolum obtẽſtatur: & per eius diuinum, atq; unicum † numen † Aliter nomẽ hominũ ſibi miſericordiã quærit. Nunquàm igitur Dei meminerũt, niſi dũ in malis ſunt. Poſtq̃ metus † deſcruit † Aliter deſiuerit, & pericula receſſerũt, tũ uero alacres ad deorũ templa cõcurrunt, his libant, his ſacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipſa neceſſitate implorauerũt, ne uerbo quidem gratias agunt: adeo ex rerum proſperitate luxuria, ex luxuria uero, ut uitia omnia, ſic impietas aduerſus Deũ naſcitur. Quanã iſtud ex cauſa fieri putemus? niſi eſſe aliquã peruerſam poteſtatem, quæ ueritatis ſit ſemper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat:

gaudeat: cui unicum ac perpetuum sit opus effundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem uideant, ne deniq; in cœlũ aspiciant, ac naturam corporis sui seruent. Nam cum cæteri animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem, ac sapientiam non acceperunt: nobis autem status rectus, sublimis uultus ab artifice deo datus sit: apparet istas religiones deorum non esse rationis humanæ: quia curuant cœleste animal ad ueneranda terrena. Parens enim noster ille unus, & solus, cum fingeret hominem, id est animal intelligens, & rationis capax, eum uero ex humo subleuauit, & ad contemplationem sui artificis erexit: quod optime ingeniosus poëta signauit:

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere
Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus,

Hinc utiq; ἄνθρωπον Græci appellarũt, quod sursum spectet. Ipsi ergo sibi renunciant, seq; hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciant, sed deorsum, nisi forte idipsum quod recti sumus, sine causa homini attributum putant. Spectare nos cœlũ Deus uoluit, utiq; non frustra: nam & aues, & ex mutis penè omnia cœlum uident, sed nobis proprie datum est cœlum rigidis ac stantibus uidere, ut religionem ibi quæramus, ut deum cuius sedes illa est, quem oculis non possumus, animo contemplemur: quod profecto non facit, qui æs, aut lapidem, quæ sunt terra, ueneratur. Est autem prauissimũ, cũ ratio corporis recta sit, quod est temporale: ipsum uero animum, qui est æternus, humilẽ fieri: cum figura, & status nihil aliud significent, nisi mentem hominis cò spectare oportere, quò multum, & animum tam rectũ esse debere, quàm corpus: ut id cui dominari debet, imitetur. Verum homines & nominis sui, & rationis obliti, oculos suos ab alto deijciunt: soloq; defigunt, atq; timent opera digitorum suorum, quasi quicquàm esse possit artifice suo maius.

Quæ fuerit prima causa fingẽdi simulachra, & quod verissima Dei imago est homo: Et quod extra se Deũ nemo fideliter colit. Ca. II.

QVæ igitur amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeãt, aut timere quæ finxerint? Nõ ipsa, inquiũt timemus, sed eos, ad quorũ imaginem ficta, & quorũ nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos esse in cœlo arbitramini. Neq; enim si dij sunt, aliter fieri potest: Quur igitur oculos in cœlũ non tollitis? & aduocatis deorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna, et lapides potissimũ, q̃ illo spectatis ubi eos esse creditis? Quid sibi tẽpla? Quid aræ uolunt? Quid deniq; ipsa simulachra: quæ aut mortuorum aut absentiũ monimenta sunt? Nam omnino fingendarũ similitudinum ratio idcirco ab hominibus inuenta est, ut posset eorũ memoria retineri, qui uel morte subtracti, uel absentia fuerant seperati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam stultus ut colat? Si in absentium, colẽdi ergo non sunt: si nec uident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem dij absentes esse non possunt: qui, quoniam diuini sunt, in quacunq; mundi parte sunt, uident, & audiunt uniuersa. Superuacua ergo sunt simulachra illis ubiq; præsentibus: cũ satis sit audientium nomina precibus aduocare. At enim præsentes nõ nisi ad imagines suas adsunt. Ita planè, quemadmodum uulgus existimat mortuorum animas circa tumulos, et corporum suorũ reliquias oberrare. Sed postquàm Deus ille præsto esse cœpit, iã simulachro eius opus non est. Quæro enim, si quis imaginem hominis peregre constituti contempletur sæpius, ut ex ea solatiũ capiat absentis, num idem sanus esse uideatur, si eo reuerso, atq; præsente in contemplãda imagine perseueret, eaq; potius quàm

ipsius

ipsius hominis aspectu frui uelit? Minime profecto. Etenim hominis imago necessaria tum uidetur, cũ procul abest: superuacua futura, cum præstò est. Dei autem, cuius spiritus ac numen ubiq; diffusum abesse nunquàm potest, semper utiq; imago superuacua est. Sed uerentur ne omnis eorum religio inanis sit, & uacua, si nihil in præsenti uideant, quod adorent: & ideo simulachra constituunt, quæ quia mortuorũ sunt imagines, similia mortuis sunt, omni enim sensu carent. Dei autem in æternum uiuentis uiuum, & sensibile debet esse simulachrum. Quod si à similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulachra deo similia iudicari, quæ nihil sentiunt, nec mouentur? Itaq; simulachrum dei non est illud, quod digitis hominis, & lapide, aut ære, aliáue materia fabricatur: sed ipse homo, quoniam & sentit, & mouetur & multas, magnasq; actiones habet. Nec intelligunt homines ineptissimi, quod si sentire simulachra, & moueri possent, ultro adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita: quæ essent aut incultus, & horridus lapis, aut materia informis, & rudis, nisi fuissent ab homine formata. Homo igitur illorum quasi parens putandus est, per cuius manus nata sunt, per quem speciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior est qui fecit, quàm illa, quæ facta sunt. Et tamen factorem ipsum nemo suscipit, aut ueretur: quæ fecit timet, tanq; plus posset esse in opere, quàm in opifice. Recte igitur Seneca in libris moralibus Simulachra (inquit) deorum uenerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant: illis per totum assident diem, aut astant: illis stipem iaciunt, uictimas cædunt: & cum hæc tã opere suspiciãt, fabros qui illa fecére contemnunt. Quid inter se tam contrariũ quàm statuarum despicere factorem, statuam adorare: & cum ne inconuictum quidem admittere, qui tibi deos faciat? Quam ergo uim, quam potestatem habere possunt: cũ ipsum: qui fecit illa, nõ habeat? Sed ne hæc quidem dare his potuit, quæ habebat,

uidere,

uidere,audire,loqui,moueri.Quisquàm ne igitur tã ineptus est, ut putet aliquid esse in simulachro dei,in quo ne hominis quidẽ quicquam est,præter umbram?sed hæc nemo consyderat:infecti sunt enim persuasione:ac mentes eorum penitus succum stultitiæ perbiberunt.Adorant ergo insensibilia,qui sentiunt:irrationabilia,qui sapiunt:exanima,qui uiuunt:terrena,qui oriuntur è cœlo. Iuuat ergo uelut in aliqua sublimi specula cõstitutũ,unde uniuersi exaudire possint,Persianum illud proclamare:

O curuæ in terras animæ,& cœlestium inanes.

Cœlũ potius intuemini,ad cuius spectaculũ uos excitauit ille artifex uerus deus.Ille uobis sublimẽ uultũ dedit,uos in terrã curuamini,uos altas mentes & ad patrẽ suum cũ corporibus suis erectas ad inferiora deprimitis,tanquàm uos pœniteat,nõ quadrupedes esse natos.Fas nõ est cœleste animal cũ terrenis,in terraq; uergentibus uersari.Quid uos beneficijs cœlestibus orbati, proniq; in terrã uestra sponte procumbitis? Humi enim miseri uolutamini,cum deorsum quæritis, quod in sublimi quærere debuistis.Nã ista mortaliũ digitorũ ludicra,et fragilia figmẽta, ex quolibet materiæ genere formata quid?quid aliud sunt nisi terra ex qua nata sunt? quid ergo rebus inferioribus subiacetis? quid capitibus uestris terrã superponitis? Cũ ergo uos terræ submittitis,humiliores q; facitis, ipsi uos ultro ad inferos mergitis, ad mortẽq; dãnatis:quia nihil terrà inferius et humilius,nisi mors et inferi:quæ si effugere uelletis,subiectã pedibus uestris terram contẽneretis,corporis statu saluo : quod idcirco rectũ accepistis, quo oculos atq; mentẽ cum eo,qui fecit,conferre posßetis. Contemnere autẽ & calcare terrã nihil aliud est, quàm simulachra non adorare,quia de terra ficta sunt:itẽ diuitias nõ conupiscere uoluptates corporis spernere:quia opes & corpus ipsum,cuius hospitio utimur,terra est.Viuum colite,ut uiuatis.Moriatur enim necesse est,qui se suamq; animam mortuis adiudicauit.

Quod

Quod Cicero & alii qui videbãtur sapientes, cæteris deterius peccauerũt. Cap. III.

SEd quid prodest ad uulgus, & ad homines imperitos hoc modo cõcionari? cum uideamus etiam doctos, & prudentes uiros, cũ religionũ intelligant uanitatẽ, nihilominus tamen in ijs ipsis, quæ damnant, cõlẽdis (nescio qua prauitate) perstare. Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarẽt. Nam cũ multa dixisset, quæ ad euersionẽ religionũ ualerent, ait tamen non esse illa uulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat. Quid ei facies? qui cũ errare se sentiat, ultro ipse in lapides impingat, ut populus omnis offendat: ipse sibi oculos eruat, ut omnes cæci sint: qui nec de alijs bene mereatur, quos patitur errare: nec de seipso, qui alienis cædit erroribus: nec utitur tandẽ sapientiæ suæ bono, ut factis impleat quod mẽte perœpit, sed prudens, & sciens pedẽ laqueo inserit, ut simul cum cæteris quos liberare, ut prudentior debuit, & ipse capiatur. Quin potius, si quid tibi Cicero uirtutis est, experire populum facere sapientem. Digna res est, ubi omnes eloquentiæ tuæ uires exeras. Non enim uerendum est, ne tibi in tam bona causa deficiat oratio, qui sæpe etiam malas copiose ac fortiter defendisti. Sed nimirum Socratis carcerem times: idcoq; patrocinium ueritatis suscipere non audes. At mortem, ut sapiens contemnere debuisti. Erat quidem multo pulchrius, ut ob bene potius dicta, quàm ob maledicta, morereris: nec tibi laudis plus Philippicæ afferre potuerunt, quàm discussus error humani generis, & mentes hominum ad sanitatem tua disputatione reuocatæ. Sed concedamus timiditati, quæ in sapiente esse non debet. Quid ergo ipse in eodẽ uersaris errore? Video te terrena, et manufacta uenerari. Vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos ipse

quos ipse stultissimos confiteris. Quid igitur profuit uidisse te ueritatem, quã nec defensurus esses, nec secuturus? Sed si libenter errãt ij qui errare se sentiũt, quãto magis uulgus indoctũ, quod põpis manibus gaudet, animisq; puerilibus spectat omnia, oblectatur friuolis, et specie simulachrorũ capitur: nec põderare secũ unamquãq; rẽ potest, ut intelligat nihil colendũ esse, quod oculis mortalibus cernitur, quia necesse est mortale sit. Nec mirãdũ esse si deũ nõ uideãt: cũ ipsi ne quidẽ hominẽ uideãt, quem uidere se credũt. Hoc enim quod oculis subiectũ est, nõ homo, sed hominis receptaculũ est: cuius qualitas et figura nõ ex lineamẽtis uasculi quo cõtinetur, sed ex factis & moribus peruidetur. Qui ergo colunt simulachra, corpora sunt animabus carẽtia: quia se corporalibus dederũt, nec uidẽt plus aliquid mẽte quàm corpore: cum sit animi officium ea subtilius cernere, quæ acies corporalis non potest intueri. Quos homines idem ille philosophus: ac poëta grauiter accusat, tãquàm humiles & abiectos, qui cõtra naturæ suæ rationem ad ueneranda terrena se prosternant. Ait enim.

Et faciunt animos humiles formidine diuũm,
Depressosq; premunt ad terram.

Aliud quidem ille quum hoc diceret, sentiebat, nihil utiq; esse colendum, quia dij humana non curent. Denicq; alio loco religiones deorum, & cultus inane esse officium confitetur.

Nec pietas ulla est uelatum sæpe uideri
Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas,
Ante deũm delubra, nec aras sanguine multo,
Spargere quadrupedum, nec uotis nectere uota.

Quæ profecto si cassa sunt, non oportet sublimes & excelsos animos auocari, atq; in terram proni, sed nihil aliud, quàm cœlestia cogitare. Impugnatæ sunt ergo à prudentioribus falsæ religiones, quia sentiebant esse falsas: sed nõ est inducta uera, quia

qualis

qualis aut ubi esste ignorabant. Itaq; sic habuerunt tanquàm nulla esset omnino, quia ueram non poterant inuenire. Et codẽ modo inciderunt in errorẽ multo maiorem, quàm illi, qui falsam tenebant. Nam & isti fragilium cultores, quamuis sint inepti, quia cœlestia constituunt in rebus corruptibilibus, atq; terrenis, aliquid tamen sapientiæ retinẽt, & habere ueniam possunt, quia summum hominis officium: & si non re ipsa, tamen proposito tenent. Siquidem hominum atq; mutorum uel solum, uel certe maximum in religione discrimen est. Hi uero quanto fuerunt sapientiores, quod intellexerũt falsæ religionis errorẽ, tãto facti sunt stultiores, quod esse aliquã uerã nõ putauerũt. Itaq; quoniã facilius est de alienis iudicare, quàm de suis, dũ aliorũ præcipitiũ uident, nõ prospexerũt quid ante suos pedes esset. In utraq; igitur parte & summa stultitia inuenitur, & odor quidam sapiẽtiæ ut possis dubitare quos dicas potißimum stultiores, illos ne, qui falsam religionem susapiunt, an eos, qui nullã. Sed (ut dixi) uenia concedi posset imperitis, & qui se sapientes esse non fatẽtur. His uero non potest, qui sapientiam profeßi, stultitiam potius exhibẽt: Non sum equidem tam iniquus, ut eos putem diuinare potuisse, ut ueritatem per seipsos inuenirent, quod fieri ego non posse confiteor: sed hoc ab his exigo, quod ratione ipsa præstare potuerunt. Facerent enim prudentius, si & intelligerent esse aliquam ueram religionem: & falsis impugnatis aperte pronunciarent eam, quæ uera esset, ab hominibus non teneri. Sed mouit eos fortasse illud, quod si qua uere esset religio, exerceret se, ac uindicaret, nec pateretur eße aliud quicquam. Videre enim nullo modo poterant, quare, aut quomodo, & quemadmodum religio uera opprimeretur, quod est diuini sacramenti, & cœlestis arcani. Id uero nisi doceatur, aliquis scire nullo pacto potest. Summa rei hæc est. Imperiti, & insipientes falsas religiones pro ueris habẽt, quia neq; uerã sãũt, neq; falsam intelligũt. Prudẽtiores uero: quia

uero: quia ueram nesciunt, aut in ijs, quas falsas esse intelligunt, perseuerãt, ut aliquid tenere uideãtur: aut omnino nihil colũt, ne inãdant in errorẽ: cũ idipsum maximi sit erroris, utã pecudum sub figura hominis imitari. Falsum uero intelligere est quidẽ sapientiæ, sed humanæ. Vltra hunc gradũ procedi ab homine non potest. Itaq; multi philosophorũ religiones (ut doui) sustulerũt ueru autem sare diuinæ est sapientiæ. Homo autem per seipsum peruenire ad hanc sãentiã non potest, nisi doceatur à deo: Philosophi quod summũ fuit humanæ sapientiæ assecuti sunt, ut intelligerent, quod nõ sit: illud assequi nequiuerũt, ut dicerẽt quid sit. Nota Ciceronis uox est: Vtinã tam facile uera inuenire posem, quàm falsa conuincere. Quod quia uires humanæ conditionis excedit, eius officij facultas nobis est attributa: quibus tradidit deus sãentiam ueritatis, cui explicãdæ quatuor posteriores libri seruient. Nunc interim falsa, ut cœpimus, detegamus.

Quod nihil maiestatis, & reuerentiæ habeant idola. Cap. IIII.

QVid igitur maiestatis possunt habere simulachra: quæ fecerunt in homunculi potestate, uel ut aliud fierent, uel ut omnino non fierent? idarco apud Horatium Priapus ita loquitur:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceret, ne Priapum
Maluit esse deum: deus inde, ego furum, auiumq;
Maxima formido.
Quis non sit tanto hoc custode securus?

Fures enim tam stulti sunt, ut Priapi tentignem timeant: cum aues ipsæ, quas terrore falsi, aut inguinis abigi existimant, simulachris fabrefactis, id est hominum plane similibus, insideant, mdificent, inquinent. Sed Flaccus, ut Satyricã carminis scriptor, derisit

derisit hominum uanitatem. Verũ ij, qui faciunt seriam se facere rem opinantur. Deniq; poëta maximus homo in cæteris prudẽs in hoc solum non poëtice, sed aniliter desipuit: cum in illis emendatissimis libris etiam fieri hoc iubet:

Et custos furum, atq; auium cum falce saligna
Helleſpontiaca ſeruet tutela Priapi.

Adorant ergo mortalia, ut à mortalibus facta: frangi enim, cremari possunt, ac perire. Nã & tectis uetustate labentibus sæpe comminui solent, & consumpta incendio dilabũtur in cinerẽ: et plerunq; (nisi sua illis magnitudo subueniret, aut custodia diligẽs sepserit) in prædã furibus cedunt. Quæ igitur insania est ea timere, pro quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? quæ uanitas, aliquã ab his sperare tutelã quæ tueri semetipsa nõ possunt? quæ peruersitas, ad eorũ præsidia decurrere: quæ ipsa, cum uiolantur, inulta sunt, nisi à colentibus uindicẽtur? Vbi ergo ueritas est? ubi nulla uis adhiberi potest religioni, ubi nihil quod uiolari possit, apparet, ubi sacrilegiũ fieri nõ potest. Quicquid autem oculis, manibusq; subiectũ est, id uero, quia fragile est, ab omni ratione immortalitatis est alienũ. Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis deos excolũt, & exornãt: quasi uero ex his rebus ullã possint capere uoluptatẽ. Quis usus est precioſorum munerũ nihil sentiẽtibus? an ille qui mortuis? Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus ac precioſis uestibus illita, & conuoluta humi condunt, quæ deos honorant: qui neq; cũ fierẽt sentiebant neq; cum coluntur, sciunt. Nec enim sensum consecratione sumpserunt. Non placebat Perſio, quod aurea uasa templis inferantur: superuacuum putanti esse inter religiones, quod non sanctitatis, sed auaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est Deo, quem recte colas, inferre pro munere.

Compoſitum ius fasq; animi, sanctosq; receſſus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Egregie,

Egregie, ſapienterq; ſenſit. Verum illud ridiculum ſubdidit: Hoc eſſe aurũ in templis, quod ſint Veneri donatæ à uirgine puppæ, quas illa omittere fortaſſe contempſit. Non uidebat enim ſimulachra ipſa, & effigies deorũ, Polycleti, & Euphranoris, & Phydiæ manu ex auro, atq; chore perfectas, nihil aliud eſſe quàm grandes puppas, non à uirginibus, quarum luſibus uenia dari poteſt, ſed à barbatis hominibus conſecratas. Merito igitur etiã ſenum ſtultitiam Seneca deridet. Non, inquit, bis pueri ſumus (ut uulgo dicitur) ſed ſemper. Verum hoc intereſt, quod † maiores † Aliter maiora nos ludimus. Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus puppis, & unguenta, & thura, & odores inferunt. His opimas, & pingues hoſtias immolãt: quibus eſt quidẽ os, ſed carent officio dentiũ. His peplos, & indumenta preciosa, quibus uſus uelaminis nullus eſt. His aurum, & argentum conſecrant: quæ tam non habent qui accipiunt, quàm qui illa donarunt. Nec immerito Dionyſius Siciliæ tyrannus poſt uictoriam Græcia potitus deos tales cõtempſit, ſpoliauit, illuſit. Siquidem ſacrilegia ſua iocularibus etiam dictis proſequebatur. Nam cũ Ioui Olimpio aureum amictum detraxiſſet, lanеum iuſsit imponi: dicens æſtate eſſe grauem aureum, hyeme frigidum, lanеum uero utriq; tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Aeſculapio, incongruẽs, & iniquum eſſe ait: cum Apollo pater eius imberbis eſſet adhuc, ac leuis, priorem filium, quàm patrem barbatum uideri. Item pateras, & exuuias, & parua quædam ſigilla, quæ ſimulachrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat: & accipere ſe illa, non auferre diebat: Perquàm enim ſtultum eſſe, & ingratum, nolle accipere ab his ultro porrigentibus, à quibus bona ſibi homines precarẽtur. Hæc enim fecit impune: quia rex & uictor fuit. Quinetiam ſecuta eſt eum ſolita felicitas. Vixit enim uſq; ad ſenectutẽ, regnumq; per manus filio tradidit. In eo igitur quia homines ſacrilegia uindicare nõ poterant,

poterant, oportuit deos ipsos sui uindicæs esse. At si humilis quid tale cõmiserit, huic præsto sunt flagella, ignes, eculei, cruces, quicquid excogitare iratis, & furentibus licet. Sed cum puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorũ suorum potestate diffidũt. Cur enim illis potissimum non relinquant ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? Quinetiam putant illorum numine accidisse, ut prædones rerum sacrarum deprehensi tenerentur: & sæuiunt non tam ira, quàm metu: ne si deorum iniuriam non uindicauerint, ipsos expetant pœnæ, incredibili scilicet uanitate: qui nocituros sibi deos putent ob aliena scelera: qui ipsis à quibus uiolati, spoliatiq; sunt, per seipsos nihil nocere potuerunt. At enim sæpe ipsi quoq; in sacrilegos uindicaucrũt: potest id uel casu accidisse, quod aliquãdo, nõ semper. Sed tamen paulo post (quando id acciderit) ostendam. Sed quæro cur illi tot, et tanta sacrilegia in Dionysio non uindicauerunt? qui non furtim, sed palam deos ludibrio habuit. Cur hunc tam potentem sacrilegum à templis, à ceremonijs, ab imaginibus suis non arcuerũt? Cur etiam sacris rebus ablatis, prospere nauigauit? quod ioco ipse testatus est (ut solebat) Videtis ne (inquit comitibus suis naufragiũ timentibus) quàm prospera sacrilegis nauigatio ab ipsis dijs immortalibus tribuatur? sed hic fortasse à Platone didicerat deos nihil esse. Quid Caius Verres, quem Tullius accusator eius eidem Dionysio, & Phalaridi, & tyrannis omnibus comparat nonne omnem Siciliam compilauit, sublatis deorũ simulachris ornamentisq; Fanorum? Ocioſum est persequi singula: unum libet commemorare, in quo accusator omnibus eloquentiæ uiribus, omni denique conatu uocis, et corporis deplorauit: de Cerere Catanensi, uel Ennensi: quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi eius secreta penetralia uiris nefas esset. Alterius antiquitas tanta fuit, ut omnes historiæ loquantur, ipsam deam fruges in Ennæ solo primum reperisse, filiamq; eius uirginem ex

eodem loco raptã. Deniq; Gracchanis temporibus,turbata re publica,& seditionibus, & ostẽtis,cũ repertũ esset in carminibus Sibyllinis antiquissimã Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi. Hæc igitur Ceres uel religiosissima,quã uidere maribus ne adorandi quidẽ gratia licebat,uel antiquissima, quam S.P.Q.R. sacrificijs,donisq; placauerat,ex arcanis, & uetustis penetralibus à C.Verre immissis latronibus seruis,impune sublata est. Idem uero, cũ affirmaret se à Siculis,ut causam prouinciæ susciperet,oratũ,his uerbis usus est,sese iã non deos quidẽ in suis urbibus,ad quos confugerẽt,habere:quod eorũ simulachra sanctissima C.Verres ex delubris religiosissimis sustulisset:quasi uero si Verres ex urbibus,delubrisq; sustulerat,de cœlo quoq; sustulisset. Vnde apparet istos deos nihil habere in se amplius,quam materiã,de qua sunt fabricati. Nec immerito ad te M.Tulli,hoc est ad teipsum hominẽ Siculi confugerũt: quoniã triennio sunt experti deos illos nihil ualere. Essent enim stultissimi, si ad eos ob defendẽdas iniurias hominũ cõfugissent,qui C.Verri nec pro seipsis irati esse poterunt. At enim Verres ob hæc facinora damnatus est. Nõ ergo dij uindicauerũt,sed Ciceronis industria:quia uel defensores eius oppressit,uel gratiæ restitit. Quid,quod apud ipsum Verrem nõ fuit illa damnatio,sed uacatio? ut quemadmodum Dionysio deorũ spolia gestãti, Dij immortales bonã dederant nauigationem,sic etiam Verri bonam quietem tribuisse uideantur in qua sacrilegijs suis tranquille frui posset. Nã frementibus postea ciuilibus bellis sub obtentu damnationis ab omni periculo,& metu remotus,aliorũ graues casus, & miserabiles exitus audiebat: & qui cecidisse solus omnibus stantibus uidebatur.is uero uniuersis cadentibus stetit:donec illum & opibus sacrilegio partis,& uita saciatum,ac senectute confectum proscriptio triumuiralis auferret, eadem scilicet,quæ Tullium uiolatæ deorum maiestatis ultorem abstulit. Quin etiam felix in eo ipso

eo ipso fuit, quod ante suã mortẽ crudelissimũ exitũ sui accusatoris audiuit: dijs uidelicet prouidẽtibus, ut sacrilegus ac prædo ille religionũ suarũ, nõ ante morerctur, q̃ solatiũ de ultione cepisset.

Quod solus omniũ creator verus Deus est, solusq; colendus: nec elementa, nec corpora cœlestia aliquid diuinitatis habent: in quo & Stoici desipiũt, qui stellas deos putant, quæ nõ sua voluntate mouẽtur, sed Dei: & qua ratione eas sic fieri voluit. Caput. V.

QVanto igitur rectius est, omissis insensibilibus et uanis, oculos cò tendere, ubi sedes, ubi habitatio est Dei ueri: qui terram stabili firmitate suspendit, qui cœlum distinxit astris fulgentibus, qui solem rebus humanis claritissimum, ac singulare lumẽ, in argumentum suæ unicæ maiestatis accendit. Terris autẽ maria circunfudit. flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.

Iussit & extendi campos, subsidere ualles,
Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.

Quæ utiq; omnia non Iupiter fecit, quàm ante annos mille septingentos natus est: sed idem.

Ille opifex rerum mundi melioris origo,
Qui uocatur Deus: cuius principium, quoniam non potest comprehendi, ne quæri debet quidẽ. Satis est homini ad plenam, perfectamq; prudentiam, si Deum esse intelligat, cuius intelligentiæ uis, & summa hæc est, ut suscipiat, & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem. Vnde quidam hebetis obtusiq; cordis, elemẽta, quæ & facta sunt & carent sensu, tanq̃ deos adorant: qui cũ Dei opera mirarentur: id est cœlum cum luminibus uarijs, terram cum campis &

montibus,mária cum fluminibus,& ſtagnis,& fontibus: earũ rerum admiratione obſtupefacti,& ipſius artificis obliti,quem uidere non poterant,eius opera uenerari, & colere cœperunt: nec unquam intelligere quiuerunt, quanto maior,quantoq; mirabilior ſit,qui illa fecit ex nihilo. Quæ cum uideant diuinis legibus obſequentia,commodis atq; uſibus hominum perpetua neceſsitate famulari:tamẽ illa deos exiſtimat eſſe,ingrati aduerſus beneficia diuina, qui deo patri indulgentiſsimo ſua opera prætulerunt. Sed quid mirum,ſi aut barbari, aut imperiti homines errant? cum etiam ipſi philoſophi Stoicæ diſciplinæ in eadem ſint opinione, ut omnia cœleſtia,quæ mouentur, in deorum numero habenda eſſe cenſeant. Siquidẽ Lucillus Stoicus apud Cic. ſic loquitur: Hanc igitur in ſtellis conſtantiam,hanc tantam in tam uarijs curſibus,in æternitate conuenientiam temporum,nõ poſſum intelligere,ſine mente,ratione,conſilio. Quæ cum in ſyderibus eſſe uideamus,non poſsumus ea ipſa in deorum numero ponere. Item paulo ſuperius. Reſtat,inquit,ut motus aſtrorũ ſit uoluntarius:quæ qui uideat,non indocte ſolum,uerumetiam impie faciat,ſi deos eſſe neget. Nos uero & quidem conſtanter negamus,ac uos ô philoſophi non ſolum indoctos, & impios,uerumetiam cæcos,et ineptos,deliroſq; probamus:qui ignorantiã imperitorum uanitate uicistis. Illi enim ſolem et lunam,uos etiã ſydera deos putatis. Tradite igitur nobis ſtellarum myſteria, ut aras,& templa ſingulis erigamus:ut ſciamus quo quamq; ritu, quo die colamus,quibus nominibus,quibus precibus aduocemus niſi forte nullo diſcrimine tam innumerabiles.tam minutos deos aceruatim colere debemus. Quid,quod argumentum illud, quo colligunt uniuerſa cœleſtia deos eſſe,in contrarium ualet? nam ſi deos eſſe idcirco opinãtur,quia certos, & rationabiles curſus habent,errant. Ex hoc enim apparet deos non eſſe,quod exorbitare cillis à præſtitutis itineribus non licet. Cæterũ,ſi dij eſſent, huc atq;

huc atq; illuc paßim ſine ulla neceßitate ferrẽtur, ſicut animãtes in terra: quorum quia liberæ ſunt uoluntates, huc atq; illuc uagantur, ut libuit: & quo quamq; mens duxerit, eò fertur. Nõ eſt igitur aſtrorum motus uoluntarius, ſed neceſſarius, quia præſtitutis legibus, officijsq; deſeruiunt. Sed cum diſputaret de curſibus ſyderum, quos ex ipſa rerum, ac temporum congruentia intelligebat, nõ eſſe fortuitos exiſtimauit, uoluntarios eſſe: tanq; non poſſent tam diſpoſite, tam ordinate moueri, niſi ſenſus illis ineſſet officij ſui ſciens. O quàm difficilis eſt ignorãtibus ueritas & quàm facilis ſcientibus. Si motus, inquit, aſtrorũ † fortuitu † Aliter fortuiti non ſunt, nihil aliud reſtat, niſi ut uoluntarij ſint, imo uero ut non eſſe fortuitos manifeſtum eſt, ita nec uoluntarios. Quomodo igitur in conficiendis itineribus conſtantiam ſuam ſeruant? Nimirum Deus uniuerſi artifex ſic illa diſpoſuit, ſic illa machinatus eſt, ut per ſpatia cœli diuina, & admirabili ratione decurrerent ad efficiendas ſuccedentium ſibi temporum uarietates. An Archimedes Siculus concauo ære ſimilitudinem mundi, ac figuram potuit machinari in quo ita ſolem, ac lunam compoſuit, ut inæquales motus & cœleſtibus ſimiles, conuerſionibus ſingulis quaſi diebus effiærent: & nõ modo accẽſus ſolis, & receſſus, uel incrementa diminutionesq; lunæ, uerum etiam ſtellarum uel errantium, uel uagarum diſpares curſus, orbis ille dũ uertitur, exhiberet? deus ergo illa uera nõ potuit machinari, & effiære: quæ potuit ſolertia hominis imitatione ſimulare? Vtrum ne igitur Stoicus ſi aſtrorum figuras in illo ære pictas, effictasq; uidiſſet, ſuo illa cõſilio moueri diæret, ac nõ potius artificis ingenio? ineſt ergo ſyderibus ratio ad peragẽdos meatus ſuos apta: ſed Dei eſt illa ratio, qui & fecit & regit omnia, nõ ipſorũ ſyderũ quæ mouẽtur. Nã ſi ſolẽ ſtare uoluiſſet, perpetuus dies utiq; eſſet. Itẽ ſi motus aſtra non haberent, quis dubitet ſempiternam noctẽ fuiſſe futuram? Sed ut diei, ac noctis uices eſſent,

moueri ea uoluit,et tã uarie moueri,ut nõ modo luãs,ac tenebrarum mutuæ uicissitudines fierẽt,quibus laboris et quietis alterna spatia constarẽt,sed etiã frigoris,& æstoris,& diuersorũ tẽporũ uis,ac potestas uel generãdis, uel maturãdis frugibus cõueniret. Quam solertiam diuinæ potestatis in machinandis itineribus astrorũ quia philosophi non uidebant,animalia esse sydera putauerunt,tanq̃ pedibus,& sponte,nõ diuina ratione procederẽt. Cur autem excogitauerit illa Deus,quis nõ intelligit? Scilicet ne solis lumine deædẽte,nimiũ cæca nox tetris,atq; horrẽtibus tenebris ingraueſceret,nocteq; uiuẽtibus. Itaq; & cœlũ simul mira uarietate distinxit,& tenebras ipsas multis,minutisq; luminibus temperauit. Quanto igitur Naso sapientius,quàm illi,qui sapientiæ studere se putant:qui sentiũt à Deo lumina, ut horrorem tenebrarum depellerent, institutas? Is cum librum,quo φαινόμενα breuiter comprehendit,his tribus uersibus terminauit:

Tot numero,taliq; dcus simulachra figura
Imposuit cœlo,perq; atras sparsa tenebras
Clara pruinosæ iussit dare lumina nocti.

Quod si fieri non potest,ut stellæ dij sint, ergo nec Sol quidem, nec luna dij esse possunt: quoniam à luminibus astrorum non ratione differunt,sed magnitudine. Quod si hi dij non sunt,ergo nec cœlum quidem in quo illa omnia continentur.

Quod nec terra,nec aqua,nec pars aliqua mũdi, nec totus ipse Deus est,nec est animatus,sicut Stoici mẽtiũtur:qui quod astruũt pariter & euertũt. Cap. VI.

Simili modo si terra,quã calcamus,quã subigimus,et colimus ad uictũ,Deus nõ est:nec campi quidem ac mõtes dij erunt. Sed si hi non sunt, ergo ne tellus quidem uniuersa Deus uideri

potest. Item si aqua quæ seruit animantibus ad usum bibendi ac lauandi, Deus nõ est: nec fontes quidẽ, ex quibus aqua profluit. si fontes non sunt, nec flumina quidẽ, quæ de fontibus colligũtur. Si flumina quoq; dij nõ sunt, ergo & mare quod ex fluminibus constat, deus haberi non potest. Quod si neq; cœlũ, neq; terra, neq; mare, quæ mundi partes sunt, dij esse non possunt, ergo ne mundus quidem totus deus est: quem ijdem ipsi Stoici animantẽ, & sapientem esse contendunt. Et propterea deum, in quo tam inconstantes fuerunt, ut nihil dictum sit ab his, quod non ab ijsdem fuerit euersum. Sic enim argumentantur, fieri non posse, ut sensu careat, quod sensibilia ex se generat. Mundus autem generat hominem, qui est sensu præditus, ergo & ipsum sensibilem esse. Item sine sensu esse non posse, cuius pars habeat sensum. Igẽtur quia homo sensibilis est, etiam mundo, cuius pars homo est, inesse sensum. Propositiones quidem ueræ sunt: & sensibile esse, quod sensu præditum gignat: & habere sensum, cuius pars sensu aucta sit. Sed assumptiones falsæ, quibus argumẽta concludũt quia neq; mundus generat hominem, neq; mũdi homo pars est: nam hominem à principio idem deus fecit, qui & mundum, & non est mũdi pars homo, sicut corporis membrum. Potest enim mũdus esse sine homine sicut & urbs et domus. Atqui ut domus unius hominis habitaculũ est, et urbs unius populi, sic et mũdus domiciliũ totius generis humani: et aliud est quod incolitur, aliud quod colit. Sed illi, dũ student id quod falso susceperãt, cõfirmare & sensibilem esse mundum, & deum argumentorum suorũ consequentia nõ uiderunt. Nam si mũdi pars est homo, & sensibilis est mundus, quia sentit: ergo quia mortalis est homo, mortalis sit & mundus necesse est: nec tantum mortalis, sed etiam omnibus morbis, et passionibus subiectus. Et è cõtrario, si deus est mũdus et partes eius utiq; immortales sunt: ergo et homo deus est: quia pars est (ut dicitis) mundi: si homo, ergo iumenta & pecudes, &

cætera genera bestiarum, & auium, & piscium: quoniam illa eodem modo sentiunt, & mundi partes sunt. At hoc tolerabile est: nam & hæc colunt Aegyptij. Sed res eô peruenit, ut ranæ, et culicæs, & formicæ dij esse uideantur: quia & ipsis inest sensus & partes mundi sunt. Ita semper argumenta ex falso petita, inceptos, & absurdos exitus habet. Quid quod ijdem ipsi aiunt, deorum & hominum causa mundum esse constructum, quasi communem domum? Ergo nec mundus deus est, nec animans, si constructus est: animans enim non construitur, sed nascitur. Et si est ædificatus, sic utiq; tanquàm domus, tanquàm nauis. Est ergo aliquis artifex mundi deus: & seorsum erit mundus, qui factus est, seorsum ille qui fecit. Iam illud quàm repugnans & absurdum? quod cum cœlestes ignes, cæteraq; mundi elementa deos esse affirmant, item ipsum deum mundum dicunt: quomodo potest ex deorum multorum aæruo unus deus confici: si astra dij sunt, mundus ergo non deus, sed domicilium deorum est. Si uero deus mundus est, ergo omnia illa, quæ sunt in eo, dij non sunt, sed dei membra, quæ utiq; solius dei nomen accipere non possunt. Nec enim recte quis dixerit, membra hominis unius multos homines esse: sed tamen non est similis comparatio animalis, & mundi. Animal enim quia sensu præditũ est, & mẽbra eius habẽt sensum, nec nisi à corpore diuulsa putrescunt. Cuius igitur rei similitudinem gerit mundus? Nimirum ipsi docent, cũ factum esse non diffitentur, ut essẽt dijs, et hominibus quasi communis domus. Si ergo est constructus ut domus, nec ipse deus est nec elementa quæ sunt partes eius: quia neq; domus habere dominium sui potest, neq; illa, de quibus domus constat. Non tantũ igitur ueritate, sed etiam uerbis suis reuincuntur. Sicut enim domus in usum habitandi facta per se nihil sentit, dominoq; subiecta est qui eã fecit, aut incolit: ita mundus per se nihil sentiens factori deo subiacet, qui eum in usum sui fecit.

Quod

Quod dupliciter peccãt insipientes: & quod auaritia sub obtẽtu religionis colitur præualẽte ratione, traditione maiorũ: & qui fuerint maiores quorũ autoritas præiudicat veritati. Ca. VII.

Dvplici ergo ratione peccatur ab insipientibus. Primum quod elementa, id est dei opera deo præferunt. Deinde quod elementorum ipsorum figuras humana specie comprehensas colunt. Nam solis, Lunæq; simulachra humanum in modum formant. Item ignis, & terræ, & maris: quæ illi Vulcanum, Vestã, Neptunum uocant: nec elementis ipsis in aperto litant. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut iam uiliora dicantur illæ quæ uera sunt: auro scilicet gemmis, et ebore delectantur. Horũ pulchritudo, ac nitor præstringit oculos: nec ullam religionem putant ubicunq; illa non fulserint. Itaq; sub obtentu decorũ auaritia & cupiditas colitur. Credunt enim deos amare quicquid ipsi concupiscũt, quicquid est, propter quod furta, et latrocinia, & homicidia quotidie sæuiunt, propter quod bella per totum orbem populos, urbesq; subuertunt. Consecrant ergo dijs manubias, & rapinas suas: quos certe necesse est imbecilles esse, ac summæ uirtutis expertes, si subiecti sunt cupiditatibus. Cur enim cœlestes eos putemus, si desyderant aliquid de terra? Vel beatos, si aliqua re indigent? Vel incorruptos, si uoluntati habẽt ea in quibus appetendis cupiditas hominũ non immerito damnatur? Veniunt igitur ad deos, non tam religionis gratia: quæ nulla potest esse in rebus male partis, & corruptibilibus, quàm ut auriẽ oculis hauriãt: nitorem leuigati marmoris, aut eboris aspiciãt: aut insignes lapillis, & coloribus uestes, uel distincta gemmis fulgentibus pocula insaciabili contemplatione contrectent. Et

quanto

quãto fuerint ornatiora templa, & pulchriora simulachra, tãto plus maiestatis habere creduntur. An ideo religio deorum nihil aliud est, quàm quod cupiditas humana miratur? Hæ sunt religiones, quas sibi à maioribus suis traditas pertinacissime tueri, ac defendere perseucrãt: nec consyderãt quales sint: sed ex hoc probatas atq; ueras esse confidũt, quod eas uterus tradiderũt: tãtaq; est authoritas uetustatis, ut ĩquirere in eã scelus esse ducatur. Itaq; creditur ei passim tanquam cognitæ ueritati. Deniq; apud Ciceronẽ sic dicit Cotta Lucillo: Habes Balbe quid Cotta, quid pontifex sentiat: fac nunc ut ego intelligam, quid tu sentias: à te enim philosopho rationem religionis accipere debeo. Maioribus autẽ nostris etiam nulla ratione reddita rationis est credere. Si credis aut ergo rationem requiris, quæ potest efficere ne credas? Si uero rationem requiris, & quærendum putas, ergo non credis. Si ideo quæris, ut eam sequaris, cum inueneris, docet eæ te ratio nõ esse ueras religiones deorum. Quid facies? maiores ne potius, an rationem sequeris? Quæ quidem tibi non ab alio insinuata, sed à te ipso inuenta, & electa est: cum omnes religiones radicitus euulsi. Si rationem mauis, discedere te necesse est ab institutis, & authoritate maiorum: quoniam id solum rectum est, quod ratio præscribit. Sin autem pietas maiores sequi suadet, fateris igitur & stultos illos fuisse, qui excogitatis contra rationem religionibus seruiunt, & te ineptum, qui id colas quod falsum esse conuincis. Sed tamen quoniam nobis tantopere maiorum nomen opponitur, uideamus tamen, qui fuerint maiores illi, à quorum authoritate discedi nefas ducitur. Romulus urbem conditurus, pastores inter quos adoleuerat, conuocauit. Cũq; his numerus condendæ urbi parum idoneus uideretur, constituit asylũ. Eò passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quiq;, sine ullo cõditionis discrimine. Ita conflauit ex his omnibus populum, legitq; in senatum eos qui ætate anteibant, & patres appellauit: quorum consilio

consilio gereret omnia. De quo senatu Propertius Elegiarum scriptor hæc loquitur:

Curia, pretexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad uerba quirites,
Centum illi in prato sæpe senatus erat.

Hi sunt patres, quorũ decretis, eruditi ac prudentes uiri, deuotissime seruiebãt. Idq; uerũ, ac immutabile omnis posteritas iudicet, quod centum pelliti senes senatum esse uoluerunt: quos tamẽ (ut in primo libro dictum est) Pompilius illexit, ut uera crederent esse sacra, quæ ipse tradebat, Est uero cur illorũ authoritas tanti habeatur, à posteris: quos nemo, nam uiuerent, neq; summus neq; infimus affinitate dignos iudicauit.

Quod ratione potius innitendũ est, & quæ miracula scripta sunt ad confirmationem erroris multorum. Cap. VIII.

QVare oportet in ea re maxime, in qua uitæ ratio uersatur, sibi quenq; cõfidere: suoq; iudicio, ac proprijs sensibus niti, ad inuestigandã, & perpendendã ueritatẽ, quàm credere tem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertẽ. Dedit omnibus Deus pro uirili portione sapientiã: ut & inaudita inuestigare possent, et audita perpendere. Nec quia nos illẽporibus anteceſſerũt, sapiẽtia quoq; anteceſſerũt: quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedẽtibus nõ potest. Illibabilis est tanq̃ lux, & claritas solis, quia ut sol oculorũ, sic sapiẽtia lumẽ est cordis humani: Quare cũ sapere, id est ueritatẽ quærere omnibus sit innatũ, sapientiã sibi adimũt, qui sine ullo iudicio inuẽta maiorũ probãt: & ab alijs pecudũ more ducũtur. Sed hoc fallitur, quod maiorũ nomine posito non putant fieri posse,

ut aut

ut aut ipsi plus sapiant, quia minores uocantur: aut illi desipu-
rint, quia maiores nominantur. Quid ergo impedit, quin a
ipsis sumamus exemplum? Vt quomodo illi, qui falsa inuen-
rant, posteris tradiderũt, sic nos, qui uerum inuenimuus, poster-
meliora tradamus. Superest ingens quæstio, cuius disputatio no
ab ingenio, sed à scientia uenit: quæ pluribus explicanda erit, n
quid dubium omnino relinquatur. Nam fortaße aliquis ad ill
confugiat: quæ à multis, & non dubijs tradũtur authoribus, e
ipsos, quos docuimus deos non esse, maiestatem suam perse
ostendisse, & prodigijs, & somnijs, & augurijs, & oraculis. E
sane multa enumerari poßunt digna miraculo. In primis illud
quod Accius Nauius summus augur, cum Tarquinium Priscum
commoneret, ut nihil noui facere inciperet, nisi prius esset inau-
guratus: eiq; rex artis eius eleuans fidem diceret, ut cõsultis au-
bus renuntiaret sibi, utrũ ne fieri poßet id, quod ipse animo co
cepißet, affirmaretq; Nauius poße: Cape igitur hãc inquit, coti
eamq; nouacula dissice: at ille incunctanter accepit, ac secui
Deinde illud, quod Castor, & Pollux bello latino apud Lacu
Iuturnæ, uisi sunt equorum sudorem abluentes: cum ædes eorum
quæ iuncta fonti erat sua sponte patuisset. Iidem bello Macedo
nico equis albis insidentes P. Vatinio Rhomam nocte uenienti s
obtulisse dicuntur, nunciantes eo die regem Persen uictum, atq
captum: quod paucis post diebus literæ Pauli uerum fuisse do
cuerunt: Illud etiam mirabile, quod simulachrum Fortunæ muli
bris non semel loquutum esse traditur. Item Iunonis Monetæ, c
captis Veijs unus ex militibus ad eam transferendam missus, jo
cabundus, ac ludens interrogaret, utrum ne Rhomam migrar
uellet, respondit uelle. Claudia quoq; proponitur in exemplo m
raculi. Nam cum ex libris Sibyllinis Idea mater esset accita, &
in uado Tyberini fluminis nauis, in qua uehebatur, hæsisset: ne
ullo modo, aut ulla ui cõmoueretur, Claudiam ferũt, quæ sempe
impudic

impudica esset habita ob nimios corporis cultus, deam submissis genibus oraße, ut si se castam iudicaret, suum cingulũ sequeretur: Ita nauim, quæ ab omni iuuẽtute non ualuit commoueri, ab una muliere ese commotam. Illud æque mirum quod luc sæuiente Aesculapius Epidauro accitus, urbem Rhomam diuturna pestilentia liberaße perhibetur. Sacrilegi quoq; numerari posßunt, quorum præsentibus pœnis iniuriam suam dij uindicaße creduntur. Appius Claudius censor, cum aduersus responsum ad seruos publicos, sacra Herculis transtulißet, luminibus orbatus est: & Potitiorum gens, quæ prodidit, intra unius anni tempus extincta est. Item Censor Fuluius, cum ex Iunonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abstulißet, quibus ædem Fortunæ æquestris, quam Rhomæ fecerat, tegeret, & mente captus est, & amißis duobus filijs in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumptus est. Præfectus etiam M. Antonij Turullius, cum apud Coos cucrso Aesculapij luco, claßem fecißet, eodem postea luco à militibus Cæsaris est interfectus. His exẽplis adiungitur Pyrrhus, qui sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia, naufragium fecit: ac uicinis Deæ litoribus illisus est, ut nihil præter eam pecuniam incolume reperiretur. Ceres quoq; Milesia multum sibi apud homines ucnerationis adiecit. Nam cũ ab Alexandro capta ciuitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrupißent, omniũ oculos repente obiectus fulgor ignis extinxit. Reperiuntur etiam somnia, quæ uim deorũ uideantur ostendere. Tiberio nanq; Attinio homini plebeio per quietem obuersatus ese Iupiter dicitur, & præcepisse, ut C O S S. & senatui nũciaret, ludis cirœnsibus proximis præsultorẽ sibi displicuisse: quod Antonius Maximus quidam diuerberatum seruum sub furca medio circo ad suppliciũ duxerat, ideoq; ludos instaurari oportere. Quod cum ille neglexisset, eodem die filium perdidisse, ipse autem graui morbo est correptus. Et cum rursus eandẽ imaginẽ

cerneret,

cerneret, quærentē, satis ne pœnarum pro neglecto imperio pe
pendisset, lectica delatus ad Consules, & omni re in senatu expo
sita, recepisse corporis firmitatē, suisq; pedibus domū redijsse.
Illud quoq; somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar
Augustus dicitur esse seruatus. Nam cum bello ciuili Brutiano
implicitus graui morbo abstinere à prælio statuisset, medico eius
Artorio Mineruæ species obuersata est, monēs, ne propter cor
poris imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaq; in acie
lectica perlatus est. Eodem die à Bruto castra capta sunt. Multa
præterea exēpla similia poßunt proferri: sed uereor, ne si fuero
in propositione rerum contrariarum diutius immoratus, aut
oblitus esse propositi uidear, aut crimen loquacitatis incurram.

Quod per inuidiam Diaboli intrauit mors, & pullulāt radices errorū: & quod Deus ipse natura est, qui materiam primordialē, & oīa fecit ex nihilo. Cap. IX.

EXponam igitur omnium istorum rationem, quo facilius
res difficiles, & obscuræ intelligantur: & has omnes si
mulati numinis præstigias reuelabo, quibus inducti homines a
ueritatis uia longius receßerunt: sed repetam longe altius, ut
si quis ad legendum expers ueri & ignarus accæßerit, instituatur
atq; intelligat, quod tandem sit caput horum et cau a malorum,
& lumine accepto, suos, ac totius generis humani perspicia
errores. Sicut mater sine exemplo genuit authorem suum, sic in
effabiliter pater genuisse credendus est coæternum. De matre
natus est, qui ante iam fuit: de patre, qui aliquando non fuit.
Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inuenta
tum putat incredibile, aut repertum non credat singulare. Cum
esset Deus ad excogitandum prudentißimus, ad faciendum so
lertißimus, antequam ordiretur hoc opus mundi, quoniam pleni
& consum

& consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper, ut ab eo bono tanquàm riuus oriretur, longeq; proflueret, produxit similem sui spiritum, qui est uirtutibus Dei patris præditus. Quo modo autem id uoluerit, in quarto docere libro conabimur. Deinde fecit alterum, in quo indoles diuinæ stirpis permansit. Itaq; suapte inuidia tanquàm ueneno infectus est, et ex bono ad malũ transcendit: suoq; arbitrio, quod à Deo illi liberum datũ fuerat, contrarium sibi nomen asciuit. Vnde & apparet cunctorũ malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim illi antecessori suo, qui deo patri perseuerãdo, tum comprobatus, tum etiam & charus est. Hunc ergo ex bono per se malũ effectum Græci διάβολον appellant, nos criminatorẽ uocamus: quod crimina, in quæ ipse illicit, ad deum deferat. Exorsus igitur deus fabricã mundi, illũ primum, & maximum filiũ præfecit operi uniuerso, eoq; simul & consiliatore usus est, & artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisq; rebus, quoniam is & prouidentia, & ratione, & potestate perfectus est: de quo nunc parcius, quod alio loco & uirtus, & nomen eius, & ratio enarranda nobis erit. Nemo quærat ex quibus ista materijs tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit. Omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi sunt poëtæ, qui aiunt chaos in principio fuisse, id est confusionem rerum, atq; elementorum: posteà uero Deum diremisse omnem illam congeriem: singulisq; rebus ex confuso aceruo seperatis, in ordinemq; descriptis, instruxisse mundum pariter, et ornasse. quibus facile est respondere, potestatem Dei nõ intelligentibus: quem credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subiacente, ac parata: in quo errore etiam philosophi fuerunt. Nam Cicero de natura deorum disputans sic ait: Primum igitur non est probabile eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse diuina prouidentia effectam: sed habere, & habuisse uim, & naturam suam. Vt igitur faber, cum quid ædificaturus est, non ipse

facit

facit materiam,sed ea utitur, quæ sit parata,fictorq; item cera: sic isti prouidentiæ diuinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipse faceret,sed quam haberet paratam. Quod si non est à Deo materia facta ne terra quidem,& aqua,& aër,& ignis à Deo factus est. O quàm multa sunt utia,in his decẽ uersibus. Primum,quod is,qui in alijs disputationibus,& libris fere omnibus prouidentiæ fuerit adsertor, & qui acerrimis argumẽtis impugnauerit eos, qui prouidentiam non esse dixerunt: idem nunc quasi proditor aliquis,aut transfuga,prouidentiam conatus est tollere. In quo si cõtradicere uelis,nec cogitatione opus est,nec labore:sua illi dicta recitanda sunt. Nec enim ab ullo poterit Cicero quàm à Cicerone uehementius refutari. Sed concedamus hoc mori,& instituto Academicorum ut liceat hominibus ualde liberis dicere,ac sentire quæ uelint: sententias ipsius consyderemus. Non est,inquit,probabile materiam rerũ à Deo factam. Quibus hoc argumentis probas? Nihil enim dixisti, quare hoc non sit probabile. Itaq; mihi è cõtrario uel maxime probabile uidetur: nec tamen temere uidetur cogitanti plus esse aliquid in Deo, quem profecto ad imbecillitatem hominis redigis: cui nihil aliud,quàm opificium concedis. Quomodo igitur ab homine diuina illa uis differet,si ut homo, sic etiã Deus opẽ indigeat aliena? Indiget autem, si nihil moliri potest nisi ab alterο illi materia ministretur. Quod si fit,imperfecte utiq; uirtutis est,& erit iã potentior iudicandus materiæ institutor. Quo igitur nomine appellabitur,qui potentia Deum uincit? siquidẽ maius est propria facere quàm aliena disponere. Si autem fieri non potest,ut sit potentius Deo quicquam,quem necesse est perfectæ esse uirtutis potestatis,rationis: idẽ igitur materiæ fictor est,qui & rerum,ex materia constantium. Neq; enim Deo nõ faciẽte,& inuito,esse aliquid aut potuit,aut debuit. Sed probabile est,inquit,materiam rerum & habere,& habuisse naturã suam,&

ſuam,& uim. Quam uim potuit habere nullo dante? quam naturam nullo generante? Si habuit uim, ab aliquo eam aſſumpſit, A quo autem ſumere, niſi à deo potuit? Si habuit naturam, quæ utiq; à naſcendo dicitur, nata eſt: à quo autem niſi à deo potuit procreari? Natura enim qua dicitur orta eſſe omnia, ſi conſiliũ non habet, efficere nihil poteſt. Si autem generandi, aut faciendi potens eſt, habet ergo conſilium: & propterea Deus ſit neceſſe eſt. Nec alio no mine appellari poteſt ea uis, in qua ineſt et prouidentia excogitandi & ſolertia, poteſtasq; faciendi. Melius igitur Seneca omniũ Stoicorũ acutiſſimus, qui uidit nihil aliud eſſe naturam, quàm Deum: Ergo Deum inquit, non laudabimus cui naturalis eſt uirtus? nec enim illam didicit ex ullo: imò laudabimus: quamuis enim naturalis illa ei ſit, ſibi illam dedit: quoniam Deus ipſa natura eſt. Igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo. Cur in eodem luto hæſitans uerſuram ſoluis? A quo enim fieri negas, ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris. Sequitur ineptiſſima comparatio: Vt enim faber inquit, cum quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed utitur ea quæ ſit parata, fictorq; item cera: ſic iſti prouidentiæ diuinæ materiam eſſe preſto, oportuit, non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam. Imo uero non oportuit. Erit enim Deus minoris poteſtatis ſi ex parata facit, quod eſt hominis. Faber enim ſine ligno nihil ædificat, quia lignum ipſum facere non poteſt. Non poſſe autẽ imbecillitatis eſt humanæ. Deus uero facit ſibi ipſe materiã, quia poteſt. Poſſe enim Dei eſt: nam ſi nõ poteſt, Deus nõ eſt. Homo facit ex eo, quod eſt: quia per mortalitatẽ imbecillis eſt, per imbecillitatẽ definitæ, ac modicæ poteſtatis. Deus autẽ fecit ex eo, quod non eſt: quia per æternitatem fortis eſt, per fortitudinem poteſtatis immenſæ, quæ fine ac modo caret, ſicut uita factoris. Quid ergo mirũ, ſi facturus mundũ Deus, prius materiã de qua faceret, præparauit ex eo, quod nõ erat? quia nefas eſſet

Deũ aliunde aliquid mutuari,cũ in ipso uel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante illum factũ,& quicq̃ nõ ab illo factum potestatem Dei & nomen amittet. At enim materia nunq̃ facta est,sicut Deus,qui ex materia fecit hunc mundũ,duo igitur constituuntur æterna,& quidẽ inter se contraria:quod fieri sine discordia,& pernicie nõ potest. Collidant enim necesse est ea,quorum uis,& ratio diuersa est. Sic utraq; esse non potuerunt,si repugnant,quia superare alterũ necesse est. Ergo fieri non potest quin æterni natura sit simplex,ut inde omnia uelut ex fonte descenderint. Itaq; aut Deus ex materia ortus est, aut materia ex Deo,quid horũ sit uerius,facile est intelligi. Ex his enim duobus alterũ sensibile est,alterum caret sensu. Potestas faciẽdi aliquid non potest esse, nisi in eo quod sentit, quod sapit,quod cogitat, quod mouetur. Nec incipi aut fieri,aut cõsummari quicq̃ potest nisi fuerit ratione præuisum,aut quemadmodum fiat antequàm est,aut quemadmodũ constet postquàm fuerit effectũ. Deniq; is facit aliquid, qui habet uoluntatẽ ad faciendũ, & manus ad id quod uoluit,implẽdũ. Quod autẽ insensibile est,iners,et torpidũ semper iacet:nihil inde oriri potest,ubi nullus est motus uoluntarius:nã si omne animal ratione cõstat,certe nasci ex eo nõ potest,quod ratione præditum nõ est, nec aliunde accipi potest id, quod ibi,unde petitur,nõ est. Nec tamẽ commoueat aliquẽ,quod animalia quædã de terra nasci uidẽtur. Hæc enim nõ terra per se gignit,sed spiritus Dei:sine quo nihil gignitur. Nõ ergo deus ex materia:quia sensu præditũ,ex insensibili,sapiẽs ex bruto,impatibile de patibili, expers corporis de corporali nunq̃ potest oriri,sed materia potius ex Deo est. Quicquid enim est solido,& cõtractibili corpore accipit externã uim:quod accipit uim,dissolubile est:quod dissoluitur,interit:quod interit,ortum sit necesse est:quod ortũ est,habuit fontẽ,unde oriretur,id est factorem aliquem sentientẽ,prouidũ perituméq; faciendi. Is est profecto nec

ullus alius

ullus alius quàm Deus. Qui quoniam sensu, ratione, prouidẽtia, potestate, uirtute præditus est, & animãtia, et inanimata creare & efficere potest: quia tenet quomodo quidq; sit faciendũ. Materia uero semper fuisse nõ potest, quia mutationẽ nõ caperet si fuisset. Quod enim semper fuit, semper esse non desinit: & unde abfuit principiũ, abesse hinc etiam finem necesse est. Quinetiam facilius est, ut id, quod habuit initiũ, finc careat, quàm ut habeat finẽ, quod initio caruit. Materia ergo si facta nõ est, nec fieri ex ea quicquam potest: Si fieri ex ea non potest, nec materia quidẽ erit. Materia enim est, ex qua fit aliquid. Omne autẽ ex quo fit quia recepit opificis manũ, destruitur, et aliud esse incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum, cũ factus est ex ea mũdus, & initium quoq; habuit. Nam quod destruitur, ædificatum est: quod soluitur, alligatum: quod finitur, inceptum est. Si ergo ex commutatione, ac fine materia colligitur, habuisse principiũ, à quo alio fieri nisi à deo potuit? Solus igitur Deus est, qui factus non est: & idcirco destruere alia potest, ipse destrui nõ potest: permanebit semper in eo quod fuit: quia non est aliunde genera tus, nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata diſsoluat. Ex seipso est, ut in primo diximus libro. Et ideo talis est, qualem se esse uoluit, impaßibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus. Iam uero illa conclusio, qua sententiam terminauit Tullius, multo absurdior: quod si materia, inquit, à Deo facta non est, nec terra quidem, & aqua, & aër, et ignis à deo factus est: Quàm callide periculum præteruolauit. Sic enim superius illud assumpsit, tanquàm probatione nõ indigeret: cũ id multo esset incertius, q̃ illud, propter quod assumptũ est. Si non est, inquit, à Deo facta materia, nec mundus à Deo factus est. Ex falso maluit colligere, quod falsum est, quàm ex uero quod uerum. Et cum debeant incerta de certis probari: hic probationem sumpsit ex incerto, ad euertendũ quod erat certũ.

Nam diuina prouidentia effectum esse mundum, ut taceam de † Trismegisto † Aliter, ter maximo Trismegisto, qui hoc praedicat: taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nunciant: taceam de prophetis, qui opus mundi, ac opificium Dei uno spiritu, ac pari uoce testantur: etiam inter philosophos penè uniuersos conuenit. Idem etiã Pythagorici, Stoici, Paripatetici, qui sunt principes omnis disciplinæ. Deniq; à primis illis septem sapientibus à Socrate usq; ad Platonem, pro confesso & indubitato habitum est: donec unus multis post seculis extitit delirus Epicurus, qui auderet negare id, quod est euidentißimum, studio scilicet inueniendi noua, ut nomine suo constitueret disciplinam. Et quia nihil noui potuit reperire, ut tamen dissentire à cæteris uideretur, uetera uoluit euertere: in quo illum circumlatrantes philosophi omnes coarguerunt. Certius est igitur mundum prouidentia instructum: quàm materiæ prouidentia conglobatum. Quare nõ oportuit putare idcirco mundũ nõ esse diuina prouidentia factũ, quia materia eius diuina prouidẽtia facta non sit: sed quia mundus diuina prouidentia sit effectus: & materiam esse factam diuinitus. Credibilius est enim materiam potius à Deo factam, quia Deus omnia potest, quàm mundum à Deo nõ esse factum, quia sine mente, ratione, consilio nihil fieri potest. Verum hæc non Ciceronis est culpa, sed sectæ. Cum enim suscepisset disputationem, qua deorum naturam tolleret, de qua philosophi garriebant, omnem diuinitatem ignorantia ueri putauit esse tollendam. Itaq; deos potuit tollere, quia non erant. Cum autem prouidentiã diuinam, quæ est in uno Deo, conaretur euertere, quia contra ueritatẽ niti cœperat, deficientibus argumentis: in hanc foueã necessario decidit, unde se extricare nõ posset. Hic ergo illum teneo hærentem, teneo defixũ, quo Lucillus, qui contra disserebat, obmutuit. Hic est ergo cardo rerum, hic uertuntur omnia. Explicet se Cotta, si potest, ex hac uoragine:

proferat

proferat argumenta, quibus doceat, semper fuisse materiam, quã nulla prouidentia effecerit. Ostendat quomodo quicquam ponderosum & graue, aut esse potuerit sine authore, aut immutari uacuerit: ac desierit esse, quod semper fuit, ut inciperet esse quod nunquam fuit. Quæ si docuerit, tum demum assentiar, ne mundũ quidem diuina prouidentia constitutum: & tamen sic assentiar, ut alijs illum laqueis teneam. Eôdem enim, quo nollet, reuoluetur: ut dicat & materiam, de qua mundus est, & mundum, qui de materia est, natura extitisse: cum ego ipsam naturam Deum esse contendam. Nec enim potest facere mirabilia, id est maxima ratione constantia, nisi qui habet mentem, prouidentiam, potestatem. Ita fiet, ut Deus fecerit omnia: nec quicquam esse posit omnino quod non originem à Deo traxerit. At idem quoties Epicureus est, et nõ uult à Deo factũ esse mundũ: quærere solet quibus manibus, quibus machinis, quibus uectibus, qua molitione hoc tantũ opus fecerit. Videret fortasse, si eo tẽpore potuisset esse, quo deus fecit. Sed ne perspiceret homo Dei opera, noluit eum inducere in hunc mundum, nisi perfectis omnibus: sed ne induci quidem potuerat. Quomodo enim subsisteret cum fabricaretur desuper cœlũ terra subterfunderetur? cũ fortasse humida, uel nimijs rigoribus corporata concresceret: uel igneis caloribus cocta, & solidata duresceret. Aut quomodo uiueret Sole nondum instituto, nec fructibus, nec animalibus natis? Itaq; necesse fuerit hominẽ postremo fieri, cũ iam mundo, cæterisq; rebus manus summa esset imposita. Deniq; sanctæ literæ docent hominem fuisse ultimũ Dei opus: & sic inductum fuisse in hunc mundum, quasi in domum iam paratam & instructam. Illius enim causa facta sunt omnia. Idem etiam Poëtæ fatentur. Ouidius perfecto iam mundo, et uniuersis animalibus figuratis, hoc addidit:

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset

Natus homo est.

Adeò nefas æstimandũ est ea scrutari, quæ Deus uoluit esse cælata. Verũ ille non audiendi, aut discẽdi studio requirebat, sed refellendi: quia cõfidebat neminẽ id posse dicere. Quasi uero ex hoc putandum sit, non esse hæc diuinitus facta, quia quomodo facta sint, nõ potest prouideri. An tu si educatus in domo fabrefacta, & ornata, nullã unq; fabricã uidisses, domũ illam putasses nõ ab homine esse ædificatam, quia quomodo ædificetur, ignorares? Idẽ profecto de domo quæreres, quod nũc de mũdo requiris: quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta esset opera molitus: maxime si saxa ingẽtia, immensa ecmẽta, uastas columnas, opus totũ sublime, & excelsum uideres: nonne hæc tibi humanarum uiriũ modũ uiderentur excedere? quia illa nõ tam uiribus quàm ratione, atq; artificio facta esse nescires: quod si homo, in quo nihil perfectũ est, tamẽ plus efficit ratione, quàm uires eius exiguæ patiantur, quid est, cur incredibile tibi esse uideatur, quũ mũdus dicitur factus à Deo? in quo, quia perfectus est, nec sapientia potest habere terminũ, nec fortitudo mẽsurã. Opera ipsius uidẽtur oculis: quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem uidetur, quia (ut Hermes ait, mortale immortali, tẽporale perpetuo & corruptibile in corrupto propinquare nõ potest, id est propius accedere, & intelligentia subsequi, & ideo terrenum adhuc animal rerum cœlestium perfectionem non capit: quia corpore quasi custodia septum tenetur, quo minus soluto, ac libero sensu cernat omnia. Sciat igitur quàm inepte faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc est enim modum conditionis suæ transgredi: nec intelligere, quousq; homini liceat accedere. Deniq; cum aperiret homini ueritatem deus, ea sola scire nos uoluit, quæ interfuit hominem scire ad uitam consequendam. Quæ uero ad curiosam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana essent. Quid ergo quæris, quæ nec potes scire: nec si scias,

beatior

beatior fias? Perfecta est in homine sapientia, si & deum esse unum, & ab ipso esse facta uniuersa cognoscat.

Quod deus quatuor elementa distinxit, & quatuor qualitates, & quatuor tempora: & quod ex calore & humore sit vita, & quare homines igne, cætera animalia aqua magis vtantur. Cap. X.

NVnc quoniam refutauimus eos qui de mundo, et factore eius deo aliter sentiunt, q̃ ueritas habet, ad diuinã mũdi fabricam reuertamur: de qua in arcanis sanctæ religionis literis traditur. Fecit igitur Deus primũ omniũ cœlũ, et sublime suspendit: quod esset sedes ipsius Dei cõditoris. Deinde terrã fundauit ac cœlo subdidit: quã homo cum cæteris animaliũ generibus incoleret, eam uoluit humore circumflui, & contineri: suum uero habitaculũ distinxit claris luminibus, & implenit, sole scilicet, lunaq̃; orbe fulgenti, & astrorũ micantium, splendẽtibus signis adornauit: tenebras autẽ, quod est his cõtrariũ, cõstituit in terra. Nihil enim per se continet luminis: nisi accipiat à cœlo, in quo posuit lucẽ percunctem, & superos, & uitã perpetuam. Et contrà in terra tenebras, inferos, & mortẽ. Tanto enim hæc ab illis superioribus distant, quantum mala à bonis, & uitia à uirtutibus. Ipsius quoq; terræ binas partes contrarias inter se, diuersasq; constituit, scilicet orientem occidentemq;: ex quibus oriens Deo similis censetur: quia ipse luminis fons & illustrator est rerum, & quod oriri nos facit ad uitã sempiternam. Occidens autem conturbatæ illi prauæq; menti adscribitur, quod lumen abscondat, quod tenebras semper inducat, et quod homines faciat occidere, atq; interire peccatis. Nam sicut lux orientis est, in luce autem uitæ ratio uersatur: sic occidentis tenebræ sunt, in tenebris

autem & mors, & interitus continetur. Deinde alteras partes eadem ratione dimensus est, meridiem, ac septentrionē: quæ partes illis duabus societate iungūtur. Ea enim, quæ est solis calore flagrantior, proxima est, & cohæret orienti: At illa, quæ frigoribus, & perpetuo gelu torpet, eiusdem est cuius extremus occasus. Nam sicut contraria sunt lumini tenebræ, ita frigus calori. Vt igitur calor lumini est proximus, sic meridies orienti. Vt frigus tenebris, ita plaga est septētrionis occasui. Quibus singulis partibus suum tempus attribuit: Ver scilicet orienti, æstas meridionali plagæ, occidenti autumnus est, septentrioni hyems. In his quoq; duabus partibus meridionali, & septentrionali, figura uitæ & mortis continetur: quia uita in calore est, mors in frigore. Sicut autem calor ex igne est, ita frigus ex aqua. Secundū harum partium dimensionem, diem quoq; facit ac noctem: quæ spatia, & orbes temporum perpetuos ac uolubiles, quos uocamus annos, alterna per uices succæssione conficiant. Dies, quem primus oriēs subministrat, Dei sit necesse est, ut omnia quæcūq; meliora sunt. Nox autem, quam occidens extremus inducit, eius scilicet quem Dei esse æmulum diximus. Quæ duo etiam in hoc præscius futurorum deus fecit, ut ex ijs & ueræ religionis & falsarum superstitionum imago quædam ostenderetur. Nā sicut sol, qui oritur in die, licet sit unus (unde solem esse appellatum Cic. uult uideri, quod obscuratis syderibus solus appareat) tamē quia uerum, ac perfectæ plenitudinis lumē est, & calore potissimo, et fulgore clarissimo illustrat omnia: ita in deo, licet sit unus & maiestas, & uirtus, & claritudo perfecta est. Nox autem, quam prauo illi Antitheo dicimus attributā, eius ipsius multas & uarias religiones per similitudinem demonstrat. Quamuis enim stellæ innumerabiles micare, ac radiare uideantur: tamen, quia non sunt plena, ac solida lumina, nec caloris præferunt quicq̄, nec tenebras multitudine sua uincunt. Duo igitur princi-

palia

palia inueniuntur quæ diuersam,& contrariam sibi habent po
testatẽ,calor,& humor:quæ mirabiliter deus ad sustentanda,&
gignenda omnia excogitauit.Nam cum uirtus Dei sit in calore
& igni, nisi ardorem, uimq; eius admista humoris, ac frigoris
materia temperasset:nec nasci quicquàm,nec cohærere potuisset
quin statim cõflagratione interiret quicquid esse cœpisset. Vnde
& philosophi quidam, & poëtæ discordi concordia mundum
constare dixerũt:sed rationem penitus non uiderũt. Heraclitus
ex igne nata esse omnia dixit, Thales Milesius ex aqua. Vterq;
uidit aliquid:sed errauit tamen uterq;, quod alterutrum si solum
fuisset, neq; aqua nasci ex igne potuisset, neque rursus ignis ex
aqua. Sed est uerius simul ex utroq; permisto cuncta generari.
Ignis quidem permiscri cum aqua non potest,quia sunt utraq;
inimica:& si comminus uenerint,alterutrum quod superauerit
cõficiat alterũ necesse est:sed eorũ substantiæ permiscri possunt.
Substantia ignis calor est,aquæ humor. Recte igitur Ouidius:

Quippe ubi temperiem sumpsere humorq;,calorq;,
Concipiunt,& ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumq; sit ignis aquæ pugnax,uapor humidus omnes
Res creat,& discors concordia fœtibus apta est.

Alterũ enim quasi masculinum elementũ est, alterũ quasi fœmi-
ninum,alterum actiuum,alterũ patibile. Ideoq; à uteribus insti
tutum est,ut sacramento ignis, & aquæ nuptiarum fœdera san-
ciantur,quod fœtus animantiũ calore,& humore corporentur,
atq; animentur ad uitã. Cũ enim constet omne animal ex anima
& corpore, materia corporis in humore est, animæ in calore.
Quod ex auiũ fœtibus datur scire: quos crassi humoris plenos
nisi opifex calor fouerit, nec humor potest corporari,nec cor-
pus animari. Exulibus quoq; ignis, & aqua interdici solebat:
adhuc enim uidebatur nefas,quamuis malos tamen homines sup-
plicio capitis afficere. Interdicto igitur usu earum rerũ,quibus

uita cõstat

uita cõstat hominũ, perinde habebatur, ac si esset, qui eã sententiã exceperat morte multatus. Adeò ista duo elemẽta prima sunt habita, ut nec ortũ hominis, nec sine his uitã crediderint posse cõstare. Horũ alterũ nobis cõmune est cũ cæteris animãtibus: alterũ soli homini datũ. Nos enim quoniã cœleste, atq; immortale animal sumus, igne utimur, qui nobis in argumẽtũ immortalitatis datus est: quoniã ignis è cœlo est, cuius natura, quia mobilis est & sursum nititur, uitæ cõtinet rationẽ. Cætera uero animalia, quoniã tota sunt mortalia, tantũmodo aqua utũtur: quod est elementũ corporale atq; terrenũ. Cuius natura quia mobilis est, ac deorsum uergẽs, figurã mortis ostẽdit. Ideo pecudes neq; in cœlũ suspiciũt, neq; religiones sentiũt: quoniã ab his usus ignis alienus est. Vnde aũt, uel quomodo Deus hæc duo principalia, ignem, et aquam uel acœnderit, uel eliquauerit, solus sãre potest qui fecit.

Quod creato mũdo facta animalia propter homines sunt, & tandẽ homo ipse Et quid sit, quod poetæ finxerũt Deucalionem homines reparasse, & quod Aristoteles falso putauit mundũ esse æternum: & quæ sint tres Parcæ. Cap. XI.

COnsummato igitur mundo, animalia uarij generis, dissimilibus formis, & magna, et minora ut fierẽt, imperauit. Et facta sunt bina, id est diuersi sexus singula, ex quorũ fœtibus & aẽr, & terra, & mária cõpleta sunt: deditq; his omnibus generatim deus alimenta de terra, ut usui hominibus esse possent: Alia nimirũ ad cibos, alia uero ad uestimentũ. Quæ autem magnarum sunt uirium, ut in excolenda terra iuuarent: unde dicta sunt iumẽta. Ita rebus omnibus mirabili descriptione cõpositis, regnum sibi æternũ parare constituit: & innumerabiles animas procreare,

procreare,quibus immortalitatẽ daret.Tum fecit ipse sibi simu lachrum sensibile atq; intelligens, id est ad imaginis suæ formã, qua nihil potest esse perfectius.Hominẽ figurauit ex limo terræ unde homo nuncupatus est, quod sit factus ex humo. Deniq; Plato humanã formam θεωειδ ἢ esse ait. Et Sibylla,quæ dicit:

Εικὼρ ἔστ᾽ ἀνθρώπου ἐμὴ λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.

Hoc est: Imago est homo mea,rationem rectam habens.

De hac hominis fictione poëtæ quoq;,quamuis corrupte,tamen nõ aliter tradiderunt.Nanq; hominẽ de luto à Prometheo factũ esse dixerunt.Res eos nõ fefellit,sed nomẽ artificis.Nullas enim literas uarietatis attigerant:sed quæ prophetarũ uaticinio tradita in sacrario Dei continebãtur,ea de fabulis & obscura opinione collecta,& deprauata,ut ueritas à uulgo solet uarijs sermonibus dissipata corrũpi,nullo nõ addente aliquid ad id,quod audierant,earminibus suis cõprehenderunt.Et hoc quidẽ inceptæ quod tam mirabile, tamq; diuinum opificiũ hominĩ dederunt. Quid enim opus fuit hominẽ de luto fingi, cũ posset eadem ratione generari,qua ipse Prometheus ex Iapeto natus est? qui si fuit homo,generare hominẽ potuit,facere nõ potuit.De dijs autem illũ nõ fuisse.pœna eius in Caucaso mõte declarat.Sed neq; patrem ipsius Iapetũ,patruumq; Titana quisquàm deos nuncupauit:quia regni sublimitas penes Saturnũ solũ fuerit: per quẽ diuinos honores cũ omnibus suis posteris consecutus est.Multis argumẽtis hoc figmẽtũ poëtarũ coargui potest. Factum esse diluuium ad perdendã,tollendamq; ex orbe terræ malitiã,constat inter omnes.Idẽ enim & philosophi,poëtæ,scriptoresq; rerum antiquarum loquuntur,in coq; maxime cum prophetarum sermone consentiunt. Si ergo cataclysmus à deo ideo factus est,ut malitia,quæ per nimiã multitudinẽ increuerat,perderetur:quomodo fictor hominis Prometheus fuit,cuius filiũ deucalionẽ ijdẽ ipsi ob iustitiam solũ esse dicunt seruatũ?quomodo unus gradus,

& una

& una progenies orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere? Sed uidelicet hoc quoq; sic corruperũt, ut illud superius cum ignorarent, quo tempore cataclysmus sit factus in terra, et quis ob iustitiam meruerit genere humano percunte saluari, & quomodo, aut cum quibus seruatus sit, quæ omnia propheticæ literæ docent. Apparet ergo falsum esse, quod de opificio Prometheci narrant. Verum quia poêtas dixeram non omnino mentiri solere, sed figuris inuoluere, et obscurare quæ dicant, nõ dico esse mentitos: sed primum omnium Prometheum simulachrum hominis formasse de pingui, & molli luto, ab eoq; natum primo artẽ & statuas & simulachra fingendi: siquidem Iouis temporibus fuit, quibus primũ templa cõstitui, & noui deorũ cultus esse cœperunt, sic ueritas fucata mẽdacio est, & illud quod à Deo factũ ferebatur, homini, qui opus diuinũ imitatus est, etiam cœpit ascribi. Cæterum fictio ueri, ac uiui hominis è limo Dei est. Quod Hermes quoq; tradit, qui nõ tantum hominẽ ad imaginem Dei factum esse dixit à deo, sed etiam illud explanare tentauit, quàm subtili ratione singula queq; in corpore hominis membra formauerit: cũ eorum nihil sit, quod non tantundem ad usus necessitatem, quantũ ad pulchritudinem ualeat. Id uero etiam Stoici, cũ de prouidentia disserunt, facere conantur: & secutus eos Cicero pluribus quidẽ locis. Sed tamen materiã tam copiosam: & uberẽ strictim contigit: quam ego nunc idcirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianum auditorem meum scripsi. Illud hoc loco prætereire non possum, quod errantes philosophi quidam aiunt, homines, cæteraq; animalia sine ullo artifice orta esse de terra, unde illud Vergilianum est:

Terrea progenies duris caput extulit aruis.

Et ij maxime fuerunt in ea sententia, qui eße prouidentiam negant. Nam Stoici animantium fabricã diuinæ solertiæ tribuũt. Aristoteles autem labore se, ac molestia liberauit, dicens semper

mundum

mundum fuisse. Itaq; & humanum genus,& cætera, quæ in eo sunt,initium non habere, sed fuisse semper,ac semper fore. Sed cum uideamus singula queq; animalia,quæ ante non fuerant,incipere esse,& esse desinere, necesse est totũ genus aliquãdo esse cœpisse,et aliquãdo desiturũ esse,quia cœperit. Omnia enim tribus tẽporibus cõtineri necesse est,præterito,præsenti,futuro. Præteriti est origo,præsentis substantia,futuri dissolutio. Quæ omnia in singulis hominibus apparent: & incipimus enim, cum nascimur: & sumus,cum uiuimus: & desinimus,cum interimus. Vnde etiam tres Parcas esse uoluerũt:unã,quæ uitam hominibus ordiatur:alteram,quæ contexat:tertiam,quæ rumpat,ac finiat. In toto autem genere hominum quia solum præsens tempus apparet,ex eo tamen & præteritum,id est origo colligitur: & futurum,id est dissolutio. Nam quoniam est, apparet aliquando cœpisse. Esse enim nulla res sine exordio potest: & quia cœpit, apparet quãdoq; desitura. Nec enim potest id totũ esse immortale,quod ex mortalibus constat. Nam sicut uniuersi per singulos interimus,fieri potest,ut aliquo casu omnes simul uel sterilitate terrarũ,quæ accidere uel particulatim solet,uel pestilentia ubiq; diffusa,quæ singulas urbes, atq; regiones pleruncq; populatur: uel incendio in orbem misso,quale iam fuisse sub Phaëtonte dicitur:uel diluuio aquarum, quale sub Deucalione traditur,cum præter unum hominem genus omne deletum est. Quod diluuiũ si casu accidit,profecto potuit accidere, ut & unus ille,qui superfuit,interiret. Si autem diuinæ prouidentiæ nutu,quod negari non potest,ad reparandos homines reseruatus est,apparet in dei potestate esse uel uitam,uel interitũ generis humani. Quod si potest occidere in totũ,quia quod per partes occidit,apparet aliquãdo esse ortũ: & ut fragilitas initiũ,sic declarat & terminum. Quæ si uera sunt,nõ poterit defendere Aristoteles,quo minus habuerit et mũdus ipse principiũ. Quod si Aristoteli Plato

& Epicurus

& Epicurus extorquent: & platoni & Aristoteli, qui semper fore mundū putauerūt, licet sint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet, quia sequitur, ut habeat & finem. Sed hæc in ultimo libro pluribus. Nunc ad hominis originem recurramus.

Quod nō de terra, vel sponte nata sunt animalia, sed dispositione diuina: cuius fecisset deus nos cōscios si scire expediret. Cap. XII.

Aiunt certis conuersionibus cœli, & astrorum motibus maturitatem quandam extitisse animaliuin serendorum. Itaq; terram nouam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdā in uterorū similitudinē protulisse: de quibus Lucretius:

Crescebant uteri terram radicibus apti.

Eosq; cum maturassent, natura cogente ruptos animalia tenera profudisse. Deinde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, coq; alimento animantes esse nutritos. Quomodo autē uim frigoris, aut caloris ferre, aut uitare potuerunt, aut omnino nasci, cū sol excureret, frigus astringeret? Non erāt, inquiunt, in principio mundi hyems, & æstas: sed perpetua temperies, & uer æquabile. Cur ergo nihil horū fieri etiam nūc uidemus: quia semel fieri necessariū fuit, ut animalia nascerētur. Postq; uero esse cœperunt, concessa his facultate generandi, & terra parere desijt, & tēporis cōditio mutata est. O q̄ facile est mēdacia redarguere. Primū, quod nihil potest esse in hoc mūdo, quod nō sic permaneat, ut cœpit. Nec enim sol, et luna, & astra tūc nō erāt, aut cū essent, meatus nō habebāt: aut nō diuina moderatio, quæ cursus corū temperat, & gubernat, cum ipsis simul cœperit: Deinde quod si ita sit, ut dicūt, prouidentiā esse necesse est: & in idipsum incidunt, quod maxime fugiunt. Nondū enim natis animalibus aliquis utiq; prouidit, ut nascerētur: nec orbis

terra

terræ desertus atq; incultus horreret. Vt autem de terra sine offi
cio parentũ nasci posset, neæsse est magna ratione esse prouisum. Deinde ut humor ille concretus de terra in uarias imagines
corporũ fingeretur. Itẽ ut è folliculis, quibus tegebantur, acepta
uidendi, sentiendiq; ratione, tanq̃ ex aluo matrũ profunderetur,
mira inexplicabilisq; prouisio est. Sed putemus id quoq; casu
accidisse. illa certe, quæ sequũtur, fortuita esse nõ possunt: ut terræ
continuo lactæ manaret, ut aëris temperies esset æqualis. Quæ si
constat idcirco esse facta, ut animalia recenter edita uel haberẽt
alimentum, uel non haberent periculum: neæsse est, ut aliquis di
uina nescio qua ratione prouiderit. Quis autem potest prouide
re nisi Deus? Videamus tamen an idipsum, quod dictitant, fieri
potuerit, ut homines nascerentur è terra. Si consyderet aliquis
quandiu, & quibus modis educetur infans, intelliget profecto
non potuisse terrigenas illos pueros sine ullo educatore nutrire.
Fuit enim neæsse quampluribus mensibus iacere proiectos, do
nec confirmatis neruis mouere se, locumq; mutare possent, quod
uix intra unius anni spatium fieri potest. Iam uide utrum ne
infans eodem modo, & eodem loco, quo est effusus, iacere per
multos menses ualuerit: an non humore illo terræ, quod alimen
ti gratia ministrabat, & sui corporis purgamentis in unum
mistis, obrutus, corruptusq; moreretur. Itaq; nullo modo fieri
potest, quin ab aliquo fuerit educatus: nisi forte animalia om
nia, non tenera nata sunt, sed excreta: quod & dicerent, nunquã
uenit illis in mentem. Omnis ergo illa ratio impossibilis, & ua
na est: si tamen ratio dici potest, qua id agitur, ut nulla sit ratio.
Qui enim dicit omnia sua sponte esse nata, nihilq; diuinæ pro
uidentiæ tribuit, hic profecto rationem non adscrit, sed euertit.
Quod si neq; quicquam fieri sine ratione, neq; nasci potest, ap
paret diuinam esse prouidentiam: cuius est proprium, quod dici
tur ratio. Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominẽ:

quod

quod Cicero, quamuis expers cœlestiũ literarum, uidit tamẽ, qui libro de legibus primo, hoc idem tradidit, quod prophetæ, cuius uerba subieci. Hoc animal prouidũ, sagax, multiplex, acutũ, memor, plenũ rationis, & cõsilij, quem uocamus hominẽ, præclara quadam cõditione generatũ esse à summo Deo solũ: est enim ex tot animantiũ generibus, atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera sint omnia expertia. Vides ne hominem quamuis longe à ueritatis notitia remotum, tamẽ quoniam imaginem sapientiæ tuebatur, intellexisse non nisi à Deo hominem potuisse generari? Sed tamen diuinis opus est testimonijs, ne minus humana sufficiant. Sibylla hominem Dei opus esse testatur:

ωσ μόνος ἔστ' θεός κτίστης ἀκράτητος ὑπάρχων
Αὐτὸς δ' ἐστήριξε τύπον μορφῆς μερόπωντε
Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενεῆς βιότοιο.

Hoc est: Qui solus est deus creator inuictus existens
Ipse autem firmauit figuram formæ, hominumq́;
Ipse miscuit naturam omnium generationis uitæ.

Eadẽ tamẽ sanctæ literæ continẽt Deus ergo ueri patris officio functus est. Ipse corpus effinxit: ipse animam qua spiramus, infudit. Illius est totũ, quicquid sumus. Quomodo id fecerit, si nos oporteret scire, docuisset, sicut docuit cætera: quæ cognitionem nobis & pristini erroris, & ueri luminis attulerunt.

Quare duo sexus mundi minoris, id est hominis: & quid sit mors eius prima, quid secunda: & de primorum parentum culpa, & pœna. Cap. XIII.

CVm ergo marem ad similitudinẽ suam primũ finxisset, tũ etiam fœminam configurauit ad ipsius hominis effigiẽ, ut duo

ut duo inter se permisti sexus propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione illarum duarum materierum, quas inter se diximus esse contrarias, ignis, & aqua concluſit, perfecitq; rationem. Ficto enim corpore ſpirauit ei animam de uitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt perennis: ut ipſius mundi ex contrarijs conſtantis elementis ſimilitudinem gereret. Conſtat enim ex anima et corpore, id eſt quaſi è cœlo, & terra: quandoquidem anima, qua uiuimus, uelut è cœlo oritur à deo: corpus è terra: cuius è limo diximus eſſe formatum. Empedocles, quẽ neſcias utrum ne inter poëtas an inter philoſophos numeres, quod de rerum natura uerſibus ſcripſit, ut apud Rhomanos Lucretius & Varro, quatuor elementa conſtituit, id eſt, ignem, aërem, aquam, & terram: fortaſſe Triſmegiſtũ ſecutus, qui noſtra corpora ex his quatuor elementis conſtituta eſſe dixit à Deo. Habere nanq; in ſe aliquid ignis, aliquid aëris, aliquid aquæ, aliquid terræ: & neq; ignem eſſe, neq; aërem, neq; aquã, neq; terram quæ quidem falſa non ſunt. Nam terræ ratio in carne eſt, humoris in ſanguine, aëris in ſpiritu, ignis in calore uitali. Sed neq; ſanguis de corpore ſecerni poteſt, ſicut humor à terra: neq; calor uitalis à ſpiritu, ſicut ignis ab aëre. Adeò rerum omnium duo ſola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in noſtri corporis fictione concluſa eſt. Ex rebus igitur diuerſis ac repugnantibus homo factus eſt, ſicut ipſe mundus ex luce, ac tenebris, ex uita & morte: quæ duo inter ſe pugnare in homine præcepit: ut ſi anima ſuperauerit, quæ ex Deo oritur, ſit immortalis, & in perpetua luce uerſetur. Si autem corpus uicerit animam, ditioniq; ſubiecerit, ſit in tenebris ſempiternis, et in morte. Cuius nõ ea uis eſt, ut iniuſtas animas extinguat omnino, ſed ut puniat in æternũ. Eam pœnam, ſecundam mortem nominamus, quæ eſt & ipſa perpetua, ſicut & immortalitas. Primam ſic definimus: Mors eſt naturæ animantiũ diſſolutio. Vel ita: Mors eſt

corporis, animæq; seductio. Secunda uero sic: Mors est æterni doloris perpessio. Vel ita: Mors est animarũ pro meritis ad æterna supplicia damnatio: Hæc mutas pecudes nõ attingit, quarũ anima nõ ex Deo cõstantes, sed ex communi aëre, morte soluuntur. In hac igitur societate cœli, atq; terræ, quorũ effigies in homine expressa est, superiorẽ partẽ tenẽt ea, quæ sunt dei, anima scilicet quæ dominiũ corporis habet: inferiorẽ autẽ ea, quæ sunt diaboli corpus utiq;, quod quia terrenũ est, animæ debet esse subiectum, sicut terra cœlo. Est enim terra quasi uasculũ, quo tanq̃ domicilio tẽporali spiritus cœlestis utatur. Vtriusq; officia sunt, ut hoc quod est ex cœlo & Deo, imperet: illud uero, quod ex terra est, diabolo seruiat. Quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait: Sed omnis nostra uis in animo & corpore sita est: animi imperio, corporis seruitio magis utimur. Recte, si ita uixisset, ut locutus est. Seruiuit enim fœdissimis uoluptatibus, suamq; ipse sententiam uitæ prauitate dissoluit. Quod si anima ignis est (ut ostendimus) in cœlum debet eniti, sicut ignis, ne extinguatur, hoc est ad immortalitatem, quæ in cœlo est. Et sicut ardere, ac uiuere non potest ignis, nisi aliqua pingui materia tencatur, in qua habeat alimentum: sic animæ materia & cibus est sola iustitia, qua tenetur ad uitam. Post hæc Deus hominem, qua exposui ratione generatum posuit in paradiso, id est in horto fœcundissimo, et amenissimo: quem in partibus orientis omni genere ligni, arborumq; conseruit, ut ex earum uarijs fructibus aleretur, expersq; omnium laborum Deo patri summa deuotione seruiret. Tum dedit ei certa mandata: quæ si obseruasset, immortalis maneret: si transcendisset, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore una, quæ fuit in medio paradisi, non gustaret: in qua posuerat intelligentiam boni & mali. Tũ criminator ille inuidens operibus Dei, omnes fallacias, & calliditates suas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret

immorta-

immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut uetitum cibum sumeret: & per eam ipsi quoq; homini persuasit, ut transcenderet Dei legem. Percepta igitur scientia boni & mali, pudere eum nuditatis suæ cœpit: absconditq; se à facie Dei, quod antea non solebat. Tũ Deus eiecit hominem de paradiso, sententia in peccatores lata, ut uictũ sibi labore conquirerent: ipsumq; paradisum igni circumuallauit: ne homo posset accedere: do nec, summum iudicium facit in terra, & iustos uiros cultores suos in eundem locũ reuocet morte sublata: sicut sacræ literæ docent & Sibylla Erythræa, cum dicit:

οἱ δ' ἐθεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀείποτε
ζωὴν κληρονομοῦσι τὸν ἀιῶνα χρόνον, αὐτοὶ
οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς ἐρίθηλέα κῆπον

Id est: Qui autem Deum honorant uerum, sempiternam uitæq; Vitam hæreditario iure possident: per sæculi tempus ipsi Habitantes paradisum æque peramenum hortum.

Verũ quoniam hæc extrema sunt, tota in extrema operis huius parte tractabimus. Nunc ea, quæ prima sunt, explicemus. Mors itaq; secuta est hominem secundum Dei sententiam: quod etiam Sibylla in carmine suo docet, dicens:

αὐθρωπον πεπλᾶσθαι θεοῦ παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς
οὐτε πλάνησεν ὄφις δολίως ἐτὶ μοῖραν ἄνελθεῖν
τοῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦτε

Id est: Hominem formatum esse Dei manibus:
Quem etiam seduxit serpens dolose, ut ad fatum accederet,
Mortis, notionemq; acciperet boni & mali.

Sic facta hominis uita est tẽporalis, sed tamẽ longa, quæ in mille annos propagaretur: quod diuinis literis proditũ, et per omnem scientiam publicatum, cum Varro non ignoraret, argumentari nixus est, cur putarẽtur antiqui mille annos uixitasse. Ait enim apud Aegyptios pro annis menses haberi, ut non Solis per xij.

signa circuitus faciat annũ, sed luna, quæ orbem illum signiferũ xxx. dierum spatio illustrat, quod argumentũ perspicue falsum est. Nemo enim tunc millesimum annum transgressus est. Nunc uero qui ad centesimũ perueniunt, quod fit sæpissime, mille ceruis ac ducentis mensibus uiuũt. Et authores idonei tradũt ad. cxx. annos peruenire solere. Sed quia ignorabat Varro, an, aut quando uita hominis esset diminuta, ipse diminuit, quum sciret mille & quadringentis mensibus posse uiuere hominem.

Quod non Liber pater fuit inuentor vini, sed Noe post diluuiũ: & quæ fuerit origo gentiũ, & qui primi habuerint scientiã astrorũ, & ignorantiã Dei. Cap. XIIII.

DEus autem postea, quum uideret orbem terræ malitia, et scelcribus oppletum, statuit humanum genus diluuio perdere: sed tamen ad multitudinem reparandam delegit unũ, quod corruptis omnibus singulare iustitiæ supererat exemplum. Hic cum sexcentorum esset annorum fabricauit arcam, sicut præceperat ei Deus: in qua ipse cum cõiuge, ac tribus filijs, totidemq; nuribus seruatus est, cum aqua uniuersos montes altissimos operuisset. Deinde orbe siccato, execratus iniustitiam prioris seculi Deus, ne rursus longitudo uitæ causa esset excogitandorum malorum, paulatim per singulas progenies diminuit hominis ætatem: atq; in centum & xx. annis metam collocauit: quam transgredi non liceret. Ille uero, cum egressus esset ex arca, ut sanctæ literæ docent, terram studiose coluit, atq; uineam suam manu seuit. Vnde arguuntur, qui authorem uini Liberum putant. Ille enim non modo Liberum, sed etiam Saturnum atq; Vranũ multis anteceſsit ætatibus: qua ex uinea cum primũ fructũ cepisset,

Lætus

lætus factus bibit usq; ad ebrietatem, iacuitq; nudus. Quod cum uidisset unus ex filijs, cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem, sed egressus etiam fratribus indicauit. At illi sumpto pallio, intrauerunt aduersis ultibus, patrem q; texerunt. Quæ cum facta recognouisset pater, abdicauit, atq; expulit filium. At ille profugus in eius terræ parte consedit, quæ nunc Arabia nominatur. Eaq; terra de nomine suo Chanaam dicta est: & posteri eius Chananæi. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignorauit: quoniam princeps eius, & conditor culum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo. Itaq; ignorantiam diuinitatis minoribus suis reliquit. Ab hac gente proximi quiq; populi multitudine increscente fluxerunt. Ipsius autē patris posteri Hebræi dicti penes quos religio Dei resedit: sed et ab his postea multiplicato in immensum numero, cum eos angustiæ locorum suorū capere non possent, tū adolescentes uel missi à parentibus, uel sua sponte cum rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas sibi nouas sedes, huc, atq; illuc dispersi, omnes insulas, & orbem totum replerunt: & à stirpe sanctæ radicis auulsi, nouos sibi mores, ac instituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi, qui Aegyptum occupauerunt, cœlestia suspicere, atq; adorare cœperūt. Et quia neq; domicilijs tegebantur, propter acris qualitatem (nec enim ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum) cursus syderum, & defectus notauerunt, dum ea sæpe uenerantes curiosius, atq; liberius intuerentur. Postea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commentū sunt quibusdam prodigijs inducti. Quorum mox authores aperiemus. Cæteri autem, qui per terram dispersi fuerunt, admirantes elementa mundi, cœlum, solem, terram, mare, sine ullis imaginibus, ac templis uenerabantur, & his sacrificia in aperto celebrabant, donec processu temporum potentissimis regibus templa, & simulachra fecerūt. Eaq; uictimis, et odoribus colere instituerūt: sic aberrātes

à noticia Dei gẽtes esse cœperũt. Errãt igitur, qui deorũ cultus ab exordio rerũ fuisse cõtendũt: et priorẽ esse gentilitatẽ q̃ Dei religionẽ: quã putãt posterius inuentã: quia fontem atq; originem ueritatis ignorant. Nunc ad principiũ mũdi reuertamur.

De inquinatione angelorũ, & duobus generibus dæmonũ, qui se persuaserunt vt deos coli: quos etiam familiares philosophi habuerũt, vt Socrates. Ca. XV.

CVm ergo numerus hominum cœpisset increscere, prouidens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, uel corrumperet, uel dispergeret homines, quos in exordio fecerat: misit angelos ad tutelam, cultumq; generis humani. Quibus præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem: scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut ueniam sperare non possent. Itaq; illos cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus consuetudine ipsa paulatim ad uitia pellexit, & mulierum congressibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata, quibus se immerserant, non recepti, ceciderũt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites, ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neq; angeli neq; homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti sicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterũ terrenũ. Hi sunt immundi spiritus malorum, quæ gerũtur authores, quorum idem diabolus est princeps. Vnde Trismegistus illum δαίμονα χθόνιον uocat. Dæmonas autem grammatici dictos aiunt, quasi δαήμονας, id est peritos, ac rerum scios. Hos autem putant

putant deos esse: sciunt illi quidem futura multa, sed non omnia: quippe quibus penitus consilium Dei scire non licet. Et ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare. Eos Poëtæ & sciunt esse dæmonas, & loquuntur. Hesiodus ita tradit:

τοὶ μὲν δαίμονες εἰσὶ Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
Ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Id est: Ii quidem dæmones sunt Iouis magni propter uoluntatẽ Boni, terrestres custodes mortalium hominum.

Quod idcirco dictum est, quoniam custodes eos humano generi Deus miserat: sed ipsi, quum sint perditores hominum, custodes tamen se uocari uolunt, ut ipsi colantur, & Deus non colatur. Philosophi quoq; de his dixerunt. Nam Plato etiam naturas eorum in symposio exprimere conatus est. Et Socrates esse circa se assiduum dæmona loquebatur, qui sibi puero adhæsisset, cuius arbitrio, & nutu sua uita regeretur. Magorum quoq; ars omnis ac potentia horum aspirationibus constat, à quibus inuocati uisus hominum præstigijs obcæcantibus fallunt: ut non uideant ea quæ sunt, & uidere se putent illa quæ non sunt. Hi, ut dico, spiritus contaminati, ac perditi per omnem terram uagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaq; omnia insidijs, fraudibus, erroribus, complent. Adhærent enim singulis hominibus, & omnes hostiatim domos occupãt, ac sibi Geniorum nomen assumunt: sic enim latino sermone dæmonas interpretantur. Hos in suis penetralibus consecrant. His quotidie merum profundunt, & scientes dæmonas uenerantur, quasi terrestres deos, & quasi depulsores malorum, quæ ipsi faciunt, & irrogant. Qui quoniam sunt spiritus tenues, & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occulte in uisceribus operti, ualetudinem uitiant, morbos citãt, somnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogãt ad eorum auxilia decurrere.

Quod hi prodesse putãtur, cũ nocere desinũt: nec possunt aliquid in eos, qui in fide solidati sunt, sed sanctis subiecti, eis tanquam seruiu obediunt. Cap. XVI.

QVarum omnium fallaciarum ratio expertibus ueritatis obscura est. Prodesse enim eos putant, cum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quàm nocere. Dicat fortasse aliquis colendos esse ergo ne noceant, siquidem possunt nocere. Nocent illi quidem, sed ijs à quibus timentur, quos manus Dei potens, et excelsa non protegit, qui profani sunt a sacramento ueritatis. Iustos autem, id est cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati de corporibus excedunt: quorum uerbis, tanquam flagris uerberati, non modo dæmonas se esse cõfitentur, sed etiam nomina sua edunt: illa quæ in templis adorantur, & quod plerunq; corã cultoribus suis faciunt: non utiq; in opprobrium religionis, sed honoris sui, quia nec Deo per quem adiurantur, nec iustis quorum uoce torquentur, mentiri possunt. Itaq; maximis sæpe ululatibus editis, uerberari se, & ardere, & iam iamq; exire proclamant. Tantum habet Dei cognitio, ac iustitia potestatis. Cui ergo nocere possunt, nisi ijs, quos habent in sua potestate? Deniq; affirmat eos Hermes, qui cognouerint Deum, non tantum ab incursionibus dæmonum tutos esse, uerumetiam ne fato quidem teneri. μ, α, inquit, φυλακὴ εὐσεβείας ἐυσεβοῦς γὰς ἀνθρώπου ὄντε σ' άιμων κακὸς ὄντε εἱμαρμένη κρατεῖ θεὸς γὰρ ῥύνεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. τὸ γὰρ ἐμ καὶ μόνον ἐμ ἀνθρώποις ἐσὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια. Id est: Vna (inquit) custodia pietas: piũ enim hominẽ, nec dæmõ malus, nec fatũ tenet: Nam deus liberat pium ab omni malo: quod enim unum, & solum in

solum in hominibus bonũ, est pietas. Quid sit autem εὐσέβεια, alio loco his uerbis testatur dicẽs· ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι θεοῦ. Id est: Pietas est noticia dei. Asclepius auditor eius eandem sententiã latius explicauit in illo sermone perfecto, quẽ scripsit ad regẽ. Vterq; uero dæmonas esse affirmat inimicos, et uexatores hominum: quos ideo Trismegistus ἀγγέλους πονηροὺς id est: Angelos malignos: apellat: adeò non ignorat cœcœlestibus depranatos terrenos esse cœpisse.

Quod hi astrologiam, aruspicinã, & omnes artes reprobas inuenerunt: & persuaserũt cultum idolorũ per miracula, & varias fallaciarũ tẽdiculas. Ca. XVII.

Eorum inuenta sunt astrologia, & aruspicina, & auguratio, & ipsa quæ dicũtur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid præterea malorum exercent homines. uel palam, uel occulte: quæ omnia per se falsa sunt, ut Sibylla Erythræa testatur:

ἐπεὶ πλάνη πάντα τάδ' ἐστίν
ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι καθ' ἡμᾶς

Sed ijdem ipsi authores præsentia sua faciunt, ut uera esse credantur. Ita hominum credulitatem mentita diuinitate deludunt, quod illis uerum aperire non expedit. Hi sunt, qui imagines, & simulachra fingere docuerunt: qui, ut & hominũ mentes à cultu ueri Dei auerterent, & fictos mortuorum regum uultus, & ornatos, exquisita pulchritudine statui, consecrariq; fecerunt: & illorum sibi nomina quasi personas aliquas induerunt. Sed eos magi, & ij, quos uere maleficos uulgus appellat, cum artes suas execrabiles exercent, ueris suis nominibus cient illis cœlestibus, quæ in

quæ in literis sanctis leguntur. Hi porro incesti, ac uagi spiritus ut turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, serunt, ac miscent falsa cũ ueris. Ipsi enim cœlestes multos finxerunt esse, & unũ regem omniũ Iouĕ, eo quod multi sunt spiritus angelorũ in cœlo, & unus parens, ac dominus omniũ Deus. Sed ueritatem mentitis nominibus inuolutam ex oculis abstulerũt. Nam Deus (ut principio docui) neq; nomine, quũ solus sit, eget, neq; angeli, cum sint immortales, dici se deos aut patiuntur, aut uolunt, quorum unum, solumq; officium est seruire nutibus Dei, nec omnino quiquam nisi iussu eius facere. Sic enim mundũ regi à Deo dicimus, ut à rectore prouinciã. Cuius apparitores nemo socios in regẽda prouincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen poßunt aliquid præter iussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi, & rector uniuersi, qui scit omnia, cuius diuinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omium cum filio suo potestatem, nec est in angelis quicquam, nisi parendi necessitas. Itaq; nullum sibi honorem tribui uolunt, quorum honor in Deo est. Illi autem, qui desciuerunt à Dei ministerio, quia sunt ueritatis inimici, & prœuaricatores Dei nomen sibi, & cultum deorum uendicare conantur, non quod ullum honorem desyderent (quis enim honor perditis est?) nec ut Deo noceant, cui noceri non potest, sed ut hominibus, quos nituntur à cultu, & notitia uerę maiestatis auertere, ne immortalitatẽ adipisci poßint quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaq; tenebras, & ueritatem caligine obducunt, ne dominum, ne patrem suum norint, & ut illiciant, facile in templis se occulunt, & sacrificijs omnibus præsto adsunt. Eduntq; sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines, fidem commodent simulachris diuinitatis, ac numinis. Inde est, quod ab augure lapis nouacula incisus est, & quod Iuno Veiensis migrare se Rhomã uelle respondit, quod

Fortuna

Fortuna muliebris periculum denunciauit: quod Claudiæ manũ nauis secuta est: quod in sacrilegos & Iuno Nudata, & Locrensis Proserpina, & Ceres Milesia uindicauit, & Hercules de Appio, & Iupiter de Atinio, & Minerua de Cæsare. Hinc, quod serpens urbem Rhomam pestilentia liberauit Epidauro accersitus. Nã illuc δαιμονιάρχης ipse in figura sua sine dissimulatione perductus est: siquidem legati ad eã rem missi draconem secum miræ magnitudinis attulerunt. In oraculis autem uel maxime fallunt, quorum præstigias profani à ueritate intelligere nõ possunt. Ideoq; ab illis attribui putant & imperia, & uictorias, & opes, & euentus prosperos rerum. Deniq; ipsorum nutu sæpe rempublicam periculis imminentibus liberatam. Quæ pericula & responsis denunciauerunt, & sacrificijs placati auerterunt. Sed omnia ista fallaciæ sunt. Nam quum dispositiones Dei præsentiant, quippe qui ministri eius fuerunt, interponunt se in his rebus, ut quæcunq; à Deo uel facta sunt, uel fuerunt, ipsi potissimum facere, aut fecisse uideantur. Et quoties alicui populo, uel urbi secundum dei statutum boni quid impendet, se id facturos uel prodigijs, uel somnijs, uel oraculis pollicentur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur. Quibus datis, cum illud acciderit, quod necesse est, summam sibi pariunt uenerationem. Hinc templa deuouentur, & nouæ imagines consecrantur, & mactantur greges hostiarum. Sed quum hæc facta sunt, nihilominus tamen & uita, & salus eorum, qui hæc fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent, ob aliquam ineptam, & leuem causam se profitentur iratos: sicut Iuno Varroni, quod formosum puerum in templo Iouis ad exuuias tenendas collocarat: & ob hanc causam Rhomanorum nomen apud Cannas penè deletum est. Quod si Iuno alterum Ganymedem uerebatur, cur iuuentus Rhomana luit pœnas? Vel si dij tantummodo duces curant, cæteram multitudinem negligunt,

cur Varro

cur Varro solus euasit, qui hoc fecit? et Paulus, qui nihil meruit, occisus est? Videlicet nil tum Romanis accidit fatis Iunonis iniquæ, cum Annibal duos exercitus populi Romani & astu, & uirtute confecit. Nam Iuno audere non poterat, aut Carthaginẽ defendere, ubi arma eius, & currus fuit, aut Romanis nocere: quia progeniem Troiano a sanguine duci

Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces.

Sed illorũ sunt isti lusus, qui sub nominibus mortuorũ delitescentes, uiuentibus plagas tendũt. Itaq; siue illud periculũ, quod imminet, uitari potest, uideri uolũt id placati auertisse: siue nõ potest, id agũt, ut propter illorũ cõtemptũ accidisse uideatur. Itaq; sibi apud homines, qui eos nesciũt, authoritatẽ, ac timorẽ pariũt. Hac uersutia, et his artibus noticiã ueri ac singularis dei apud omnes gẽtes inuexerũt. Suis enim uitijs perditi sæuiũt, et grassantur, ut perdant. Idcirco etiam humanas hostias excogitauerunt, ipsi hostes humani generis, ut quam multas deuorarent animas.

Cur Deus humano generi sic patiatur illudi: & quod tribus de caulis vana est deorũ religio. Cap. XVIII.

Dicet aliquis: Cur ergo Deus hæc fieri patitur? nec tum malis sucurrit erroribus? ut mala cũ bonis pugnent, ut uitia sint aduersa uirtutibus: ut habeat alios quos puniat, alios, quos honoret. Vltimis enim temporibus statuit de uiuis, ac mortuis iudicare: de quo iudicio mihi erit in ultimo libro disputatio. Differt ergo, donec ueniat temporũ finis, quo effundat irã suam in potestate, ac uirtute cœlesti, sicut uatum prædicta priorum terribili monitu horrificant. Nunc autem patitur homines errare, & aduersum se quoq; impios esse, ipse iustus, & mitis, et patiens. Nec enim fieri potest, ut non is, in quo perfecta sit uirtus, sit etiã perfecta patientia. Vnde quidam putant, ne irasci quidem Deum

omnino

omnino: quod affectibus, qui sunt perturbationes animi subiectus non sit: quia fragile est omne animal, quod afficitur, et commouetur. Quæ persuasio ueritatẽ atq; religionem funditus tollit. Sed seponatur interim locus hic nobis de ira Dei disserẽdi, quod & huberior est materia, & opere proprio latius exequenda. Illos ergo nequissimos spiritus quisquis ueneratus fuerit, & secutus, nec cœlo, nec luce potietur, quæ sunt dei: sed † in illis † Aliter in illa decidet, quæ in distributione rerum attributa esse ipsi malorum principi disputauimus: in tenebras, cilicet, & inferos, & in supplicium sempiternum. Docui religiones deorum triplici ratione uanas esse. Vna, quod simulachra ipsa, quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorum. Est autem peruersum, & incongruens, ut simulachrum hominis a simulachro Dei colatur: colit enim quod est deterius & imbecillius. Tum inexpiabile facinus esse, deserere uiuentem, ut defunctorum monimentis seruias qui nec uitam, nec lucem dare cuiquam possunt, qua ipsi carent. Nec esse alium quenquam deum, præter unum, cuius iudicio ac potestati omnis anima subiecta sit. Altero, quod ipsæ imagines sacræ, quibus uanissimi homines seruiunt, omni sensu carent, quoniam terra sint. Quis autem non intelligat, nefas esse, rectum animal curuari, ut adoret terram? quæ idcirco pedibus nostris subiecta est, ut calcanda nobis, non adoranda sit qui sumus ideo excitati, & ex eo statum sublimem præter cæteras animantes acceptimus, ut non reuoluamur deorsum, ne hunc cœlestem uultum proijciamus ad terram, sed oculos eò dirigamus quo illos naturæ suæ conditio direxit, nihilq; aliud adoremus, nihil colamus, nisi solum artificis, parentisq; nostri unicum numen, qui propterea hominem rigidum figurauit, ut sciamus nos ad superna, & cœlestia prouocari. Tertio, quod spiritus, qui præsunt ipsis religionibus, condemnati, & abiecti a deo per terram uolutentur, qui non tantum nihil præstare cultoribus suis possint, quoniã rerum

potestas

potestas penes unũ est, uerumetiam mortiferis eos illecebris, et erroribus perdãt: quoniã hoc illis quotidianũ est opus tenebras hominibus obducere, ne quæratur ab illis uerus Deus. Nõ igitur colẽdi sunt, quia sentẽtiæ dei subiacẽt. Est enim piaculũ maximũ addicere se potestati eorũ, quibus, si iustitiam sequare, potẽtior esse possis, et eos adiuratione diuini nominis expellere, ac fugare. Quod si apparet religiones istas tot modis esse uanas, quibus docui, manifestũ est, eos qui uel mortuis supplicant, uel terrã uenerantur, uel spiritibus impuris animas suas mancipant, rationẽ hominum non tenere: eosq; impietatis, ac sceleris sui supplicia pensuros, qui rebelles aduersus parentem generis humani Deum susceptis inexpiabilibus sacris fas omne uiolarunt.

Quod in cultu simulachrorũ nulla potest esse religio: nã à simulatione id est à fallacia dicta sunt. Ca. XIX.

QVicunq; igitur sacramentũ hominis tueri, rationemq; naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, et erecta mẽte oculos suos tendat in cœlũ: non sub pedibus quærat deũ, nec à uestigijs suis eruat, quod adoret: quia quicquid hominis subiacet, infra hominẽ sit necesse est. Sed quærat in sublimi, quærat in summo: quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominẽ. Deus autẽ maior est homine: supra ergo, non infra est. Nec in ima potius, sed in summa regione quærẽdus est. Quare nõ est dubiũ, quin religio nulla sit ubicunq; simulachrũ est. Nã si religio ex diuinis rebus est, diuini autẽ nihil est, nisi in cœlestibus rebus, carẽt ergo religione simulachra: quia nihil potest esse cœleste in eare, quæ fit ex terra, quod quidẽ de noũe ipse sapiẽti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum esse necesse est: nec potest unq; ueri nomẽ accipere, quod ueritatẽ suo & imitatione mẽtitur. Si autẽ omnis imitatio nõ res potissimã

seria

seria, sed quasi ludus, ac iocus est: non religio in simulachris, sed minus religionis est. Præferendū est igitur uerū omnibus falsis. Calcanda terrena, ut cœlestia consequamur. Ita enim res se habet, ut quisq; animam suam, cuius origo de cœlo est, ad inferna, & ima prostrauerit, eo cadat, quo se ipse deiecerit. Ideoq; oportet rationis ac status sui memorem, non nisi ad superna niti semper, ac tẽdere. Quod qui fecerit, hic plane sapiens, hic iustus, hic homo, hic cœlo, deoq; dignus iudicabitur, quem suus parens nõ humilem, nec ad terram, more quadrupedum abiectum, sed stantẽ potius, ac rectum, sicut fecit, agnoscit.

Breuis epilogus, quo dicit gẽtibus superatis sibi à philosophis grauius immi nere certamen. Cap. XX.

PEracta est igitur (ni fallor) magna, & difficilis suscepti operis portio: et maiestate cœlesti suggerente nobis dicẽdi facultatem, inueteratos depulimus errores. Nunc uero maior nobis ac difficilior cum philosophis proposita luctatio est, quorũ summa doctrina, & eloquentia, quasi moles aliqua mihi opponitur. Nam ut illic multitudine, ac prope consensu omniũ gentiũ premebamur, ita hic authoritate præstantiũ omni genere laudis uirorum. Quis autem nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis? Sed non est desperandũ, istos quoq; de sententia, Deo ac ueritate ducibus, posse depelli. Nec tã pertinaces fore arbitror, ut clarissimum solem sanis, ac patentibus oculis uidere se negent: Modo illud uerũ sit, quod ipsi solent profiteri, studio inuestigandæ ueritatis se teneri. Efficiam profecto, ut quæsitam ueritatem diu, & aliquando inuentam esse credant, & humanis ingenijs inueniri non potuisse fateantur.

LIBRI SECVNDI FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM

Institutionum aduersus genteis Liber Tertius, de falsa Sapientia, ad Constantinum Imperatorem.

Commẽdatur in primis veritas, & omnium præfertur eloquẽtiæ: & quare eam non sint assecuti philosophi, aperitur: & quare stylo simplici sacra scribantur eloquia: & quod philosophis tunc maxime credendum est, quum suam ignorantiã profitentur. Caput Primum.



Vellem mihi, quoniã ueritas in obscuro latere adhuc existimatur, uel error, atq; imperitia uulgi uarijs & inepti superstitionibus seruientis, uel philosophis, prauitate ingeniorum turbãtibus eam potius q̃ illustrantibus: & si non qualis in M. Tullio fuit, quia præcipua & admirabilis fuit, aliquã tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem, ut quantum ueritas ad sua propria ualeat, tantum ingenij quoq; uiribus nixa, exercere se aliquando, & discussis, conuictisq; tam publicis, quàm eorum, qui sapientes putantur, erroribus, humano generi clarissimum lumen inferret. Quod quidem duabus ex causis fieri uellem, uel quod magis possent credere homines ornatæ ueritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu, lenocinioq; uerborum, uel certe, ut ipsi philosophi suis armis potißimũ, quibus placere sibi, &

sibi,& confidere solent, opprimerentur à nobis. Sed quoniam Deus hanc uoluit rei esse naturam,ut simplex, & nuda ueritas esset luculentior,quia satis ornata per se est, ideoq; ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur:mendacium uero specie placet aliena,quia per se corruptum uanescit,ac defluit,nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit,ac politum:æquo animo fero ingenium mihi mediocre fuisse concessum. Verum ego non eloquentiæ, sed ueritatis fiducia suscepi hoc opus, fortasse maius, quàm possit meis uiribus sustineri: quod tamen etiam si ego defecerim,deo, cuius est hoc munus,adiuuante, ueritas ipsa complebit. Etenim cum sciam maximos quoq; oratores à causidicis mediocribus sæpe uictos,quod tanta est potentia ueritatis ut seipsam,quamuis in rebus exiguis, sua claritate defendat:cur hãc ego in maxima causa ab ingeniosis quidem illis, ac disertis uiris,sed tamen falsa dicentibus,oppressum iri putem:ac nõ illa siminus oratione nostra, quæ de tenui fonte admodum exilis emanat,lumine tamen suo clara, & illustris appareat? Nec si philosophi doctrina literarum mirabiles extiterint, ego etiam illis scientiam ueri,cognitionemq; concesserim: quam nemo cogitando,aut disputando assequi potest. Neq; enim nunc reprehendo eorũ studium,qui ueritatem scire uoluerunt,quia naturã hominis Deus ueri adipiscendi cupientissimã fecit:sed id arguo, id reuinco,quod honestam illorum,& optimam uoluntatem nõ sit seatus effectus:quia neq; quid esset uerũ ipsum sciebant,neq; quomodo,aut ubi,aut qua mente quærendum. Ita dum succurrere humanis erroribus cupiũt,ipsi se in plagas,et errores maximos induxerunt. Ad hoc igitur me opus coarguendi philosophiam, susceptæ materiæ ordo ipse deduxit. Nam cum error omnis aut ex religione falsa oriatur, aut ex sapientia, in eo conuincendo necesse est utrunq; subuertere. Cum enim sit nobis diuinis literis traditũ,cogitationes omniũ philosophorũ stultas esse, idipsum

re, & argumentis docendum est: ne quis honesto sapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ splendore deceptus, humanis malit quàm diuinis credere: quæ quidē tradita sunt breuiter ac nude. Nec enim decebat aliter, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis adsereret suas uoces, tanquam fides ei non haberetur: sed, ut oportuit, est locutus, quasi rerum omnium maximus iudex: cuius non est argumentari, sed pronunciare uerū, ipse ut Deus. Nos autem, cum ad res singulas testimonia diuina uocis habeamus, profecto monstrauimus, quanto certioribus argumentis possint uera defendi, cum etiam falsa sic defendantur, ut uera soleant uideri. Quare non est, quod philosophis tantū honoris habeamus, ut eorum eloquētiam pertimescamus. Loqui enim bene potuerunt, ut homines eruditi, uere autem loqui nullo modo: quia ueritatem non didicerant ab eo, qui eius potens esset. Nec sane magnum aliquid efficiemus, quod illos ignorantiæ redarguemus: quam ipsi sæpissime confitentur in eo solo quoniā non eis creditur, in quo solo credi debuit: conabor ostendere nunquàm illos tam ueridicos fuisse, quàm cum sententiam de sua ignoratione dixerunt.

Quod ipso nomine philosophiæ conuincitur, quàm inanis fuerit gentiliter philosophantium occupatio. Cap. II.

NVnc quoniam duobus superioribus libris religionum falsitas demonstrata est, nec non origo ipsa totius erroris exposita: huius libri munus est philosophiam quoq; ostendere, quàm inanis, & falsa sit, ut omni errore sublato, ueritas patefacta clarescat. Ordiamur itaq; à communi philosophiæ nomine, ut ipso capite destructo, facilior nobis aditus pateat ad excindendum omne corpus si tamen potest corpus uocari, aius

parti-

partes, ac membra discordent, nec ulla compage inter se cohæreant: sed quasi disiecta, & dissipata palpitare potius quàm uiuere uideantur. Philosophia est (ut nomen indicat, ipsiq; definiunt) studium sapientiæ. Vnde igitur probem magis philosophiam non esse sapientiam, quàm ex ipsius nominis significatione? Qui enim sapientiæ studet, utiq; nondum sapit, sed ut sapere possit studet. In cæteris artibus studium quid efficiat, & quò tendat, apparet: quas cum discendo aliquis assecutus est, iam non studiosus artificij, sed artifex nominatur. At enim uerecundiæ causa studiosos se sapientiæ, non sapientes uocauerunt. Imo uero Pythagoras, qui hoc primus nomen inuenit, cũ paulo plus saperet, quàm illi priores, qui se sapientes putauerunt, intellexit nullo humano studio posse ad sapientiam perueniri. Et ideo non oportere incomprehensæ, atq; imperfectæ rei perfectum nomen imponi. Itaq; cum ab eo quæreretur, quemnam se profiteretur, respondit philosophum, id est quæsitorem sapientiæ. Si ergo philosophia sapientiam quærit, nec ipsa sapientia est: quia necesse est aliud esse quod quærit, aliud quod quæritur: nec quæsitio sapientiæ recta est, quia nihil potest inuenire. Ego uero nec studiosos quidem sapientiæ philosophos esse concesserim, quia illo studio ad sapientiam non peruenitur: Nam si facultas inueniendæ ueritatis huic studio subiaceret, & si esset id studium tanquàm iter ad sapientiam, aliquando esset inuenta. Cum uero tot temporibus, tot ingenijs in eius inquisitione contritis, non sit comprehensa, apparet nullam esse ibi sapientiam. Non ergo sapientiæ student, qui philosophantur, sed ipsi studere se putant quia illud, quod quærunt, ubi aut quale sit nesciunt. Siue ergo sapientiæ studeant, siue non studeant, sapientes non sunt, quia nunquàm reperiri potest quod aut non recte quæritur, aut omnino non quæritur.

Ex quibus rebus philosophia cõstet: Et quis fuerit author Academicæ sectæ: quæ nihil certe definit: solãq; opinionẽ esse in philosophia gentilium, qui ideo plus audent, quia errores eorum non arguit, nisi Deus. Cap. III.

VIdeamus tamen idipsum, possit ne hoc studio reperiri aliquid an nihil. Duabus rebus uidetur philosophia constare, scientia, & opinatione, nec ulla alia re. Scientia ab ingenio uenire non potest, nec cogitatione comprehendi, quia in seipso habere propriam scientiam, non hominis, sed dei est. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ ueniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros sensus patefecit in corpore diuina solertia, ut per eos aditus scientia perueniret ad mentem. Nam causas naturalium rerum disquirere, aut scire uelle: Sol utrum ne tantus, quantus uidetur, an multis partibus maior sit, quàm omnis hæc terra: item luna globosa sit, an concaua: & stellæ utrum ne cohæreant cœlo, an per aërem libero cursu ferantur: cœlum ipsum qua magnitudine, qua materia constet, utrum quietum sit, an immobile, an incredibili celeritate uoluatur: quanta sit terræ crassitudo, aut quibus fundamentis librata, & suspensa sit: Hæc inquam disputando, & coniecturis uelle comprehendere, tale est profecto, qualc si dissererc uelimus, qualem esse arbitramur cuiuspiam remotissimæ gentis urbẽ, cuius nihil aliud quàm nomen audiuimus. Si nobis in ea re scientiam uendicemus, quæ nõ potest sciri, nonne insanire uidemur, qui id affirmare audeamus, in quo reuinci possimus? Quãto magis quæ naturalia, quæ sciri ab homine non possunt, si scire se putant, furiosi, demẽtesq; sunt iudicãdi. Recte ergo Socrates, & eũ secuti

Academici

Academici scientiam sustulerunt, quæ non disputantis, sed diuinantis est. Superest ut opinatio in philosophia sola sit. Nã unde abest scientia, id totũ possedit opinatio. Id enim opinatur quisq; quod nescit. Illi autem, qui de rebus naturalibus disputant, opinantur ita esse, ut disputant. Nesciunt igitur ueritatem: quoniã scientia certi est, opinatio incerti. Redeamus ad illud superius exemplum: Age opinemur de statu, et qualitate urbis illius, quæ nobis rebus omnibus præter nomen ignota est. Verisimile est in plano sitã lapideis mœnibus, ædificijs sublimibus, uijs pluribus, magnificis ornatisq; delubris. Describamus, si placet, mores habitumq; ciuium. Sed cum hæc dixerimus, alius contraria disputabit: & cum hic quoq; perorauerit, surget & tertius, & alij deinceps, & opinabuntur multo disparia, quàm nos sumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus certius? fortasse nihil. At omnia sunt dicta, quæ in rerum natura cadunt, ut necesse sit aliquid eorum esse uerum. At nescietur, quis uerum dixerit. Potest fieri, ut omnes ex parte aliqua errauerint, ex parte attigerint ueritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione quæramus. Potest enim supercuenire aliquis, qui opiniones nostras derideat, nosq; pro insanis habeat, qui uelimus id, quod nescimus, quale sit, opinari. Verum non opus est longe posita conquirere, unde nemo fortasse ueniat qui nos redarguat. Age opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia, longum est id quoq;: dicamus, interposito uno pariete quid fiat. Nemo potest id scire, nisi qui audierit, aut uiderit. Nullus enim audet id dicere: quia statim non uerbis, sed re ipsa præsenti refutabitur. Atqui hoc idem faciunt philosophi, qui disputant in cœlo quid agatur, sed eo id impune facere arbitrãtur, quia nullus existit, qui errores eorũ coarguat: quod si existimarent descensurum esse aliquem, qui eos delirare, ac mẽtiri diceret, nunquàm quicquàm de ijs rebus, quas scire nõ possunt, disputarent. Nec tamen ideo felicior putanda est eorũ

impudentia,& audacia,quia nõ redarguuntur. Redarguit enim Deus, cui soli ueritas nota est, licet conniuere uidcatur,atq; hominum sapientiam pro summa stultitia computat.

Quomodo Zeno,& Socrates totã philosophiã sustulerũt de medio, quæ suis confecta est armis. Cap. IIII.

RECte igitur Zeno, ac Stoici opinationem repudiarunt. Opinari enim te scire,quod nescias, non est sapientis,sed temerarij potius ac stulti. Ergo si neq; sciri quicq̃ potest (ut Socrates docuit)nec opinari oportet (ut Zeno) tota philosophia sublata est. Quid,quod non tantũ ab his duobus euertitur,qui philosophiæ principes fuerũt,sed ab omnibus: ut iam uideatur iampridẽ suis armis esse cõfecta. In multas sectas philosophia diuisa est,& omnes uaria sentiũt. In qua ponimus ueritatẽ? in omnibus certe nõ potest,designemus quãlibet: Nempe in cæteris omnibus sapientia non erit: transeamus ad singulas. Eodem modo quicquid uni dabimus,cæteris auferemus. Vnaquæq; enim secta omnes alias euertit,ut se suaq; confirmet. Nec ulla alteri sapere concedit,ne desipere fateatur: sed sicut alias tollit,sic ipsa quoq; ab alijs tollitur omnibus. Nihilominus enim philosophi sunt, qui eã stultitiæ accusant. Quancunq; laudaueris,ueraq; dixeris, à philosophis uituperatur, ut falsa. Credemus ne igitur uni se, suamq; doctrinã laudanti, an multis unius alterius ignorantiã culpantibus? Rectius ergo sit necesse est,quod plurimi sentiunt quàm quod unus. Nemo enim potest de se recte iudicare. Quod nobilis Poeta testatur: Ita enim comparatã esse hominũ naturã omnium,ut aliena melius uideant,& dijudicent,q̃ sua. Cũ igitur omnia incerta sint,aut omnibus credendũ sit,aut nemini. Si nemini,sapientes ergo nõ sunt,quia singuli sapiẽtes esse se putãt: si omnibus,æque nõ sunt sapientes,quia singuli ab omnibus esse

negantur

negãtur ſapiẽtes. Pereũt igitur uniuerſi hoc modo, et tãq̃ Sparti illi poëtarũ, ſic ſe inuicẽ iugulãt, ut nemo ex omnibus reſtet: quod eo fit, quia gladiũ habẽt, ſcutum nõ habẽt. Si ergo ſingulæ ſectæ multarũ ſectarũ iudicio ſtultitiæ cõuincũtur, omnes igitur uanæ atq; inanes reperiũtur. Ita ſeipſam philoſophia cõſumit, et cõfiat Quod cũ intelligeret Arceſilas Academiæ conditor, reprehẽſiones omniũ inter ſe collegit, cõfeßionẽq; ignorãtiæ clarorũ philoſophorũ: armauitq; ſe aduerſus omnes: ita cõſtituit nouã nõ phẽloſophãdi philoſophiã. Eo igitur authore duo philoſophiæ genera eſſe cœperũt. Vnũ illud uetus, quod ſcientiã ſibi uẽdicat: alterum nouum repugnãs, quod eã diſtrahit. In his duobus generibus uideo diſſidiũ, et quaſi ciuile bellum. Sapientiã, quæ diſtrahi nõ poteſt, in qua parte ponemus? Si natura rerũ ſãri poteſt, hæc tyronũ caterua interibit: ſi nõ poteſt, ueterani conficiẽtur. Si pares fuerint, nihilominus peribit dux omnium philoſophia, quia diſtracta eſt: nihil enim poteſt ſine interitu ſuo ſibi eſſe cõtrariũ. Si autẽ (ut docui) nulla poteſt eſſe in homine interna et propria ſciẽtia, ob fragilitatẽ cõditionis humanæ. Arceſilæ manus uicit. Sed ne ipſa quidem ſtabit, quia non poteſt omnino nihil ſciri.

Cõtra Academicos, quod multa ſcire natura rerũ & vitæ neceſsitas cogit. Ca. V.

SVnt enim multa, quæ natura ipſa nos ſcire, & uſus frequens & uitæ neceſſitas cogit. Itaq; percundum eſt, niſi ſcias quæ ad uitam ſunt utilia, ut appetas: quæ periculoſa, ut fugias, & uites. Præterea multa ſunt, quæ uſus inuenit. Nam ſolis ac lunæ uarij curſus, & meatus ſydcrum, & ratio temporum deprehenſa eſt: & natura corporũ à medicis, herbarũq; uires: et ab agricolis natura terrarũ, nec nõ imbrium futurorum, ac tempeſtatiũ ſigna collecta ſunt. Nulla deniq; ars eſt, quæ non ſcientia conſtet. Debuit ergo Arceſilas, ſi quid ſaperet, diſtinguere, quæ ſciri

possent, quæue nescirí. Sed si id fecisset, ipse se in populum redegisset. Nam uulgus interdum plus sapit, quia tantum, quantum opus est, sapit. A quo si quæras, utrũ sciat aliquid an nihil: dicet se scire, quæ sciat: fatebitur se nescire, quæ nesciat. Recte ergo aliorum sustulit disciplinas, sed nõ recte fundauit suam. Ignoratio enim rerum omniũ non potest esse sapientia, cuius est scire proprium. Ita cũ philosophos expugnauerit, ac docuerit, eos nihil scire, ipse quoq; nomen philosophi perdidit: quia doctrina eius est nihil scire. Nam qui alios reprehendit, quod nesciant, ipse debet sciens esse. Cum autem nihil sciat, quæ peruersitas, quæue insolentia est, ob idipsum se philosophum constituere, propter quod cæteros tollat? Possunt enim sic respondere: Si nihil nos scire conuiceris, & ideo non esse sapiẽtes, quia nihil sciamus: ergo tu quidem es sapiens, quia te quoq; confiteris nihil scire. Quid ergo promouit Arcesilas, nisi quod confectis omnibus philosophis, scipsum quoq; eodem mucrone transfixit?

Quomodo sapiẽtia in medio errantiũ fuerit: Et Academici contra Physicos, & physici cõtra Academicos dimicauerint. Et quæ sint asystatarũ exempla quæstionum. Et quod rationes cœlestiũ siue naturalium sciri nõ possint. Cap. VI.

NVsquam ne igitur sapientia est? Imo uero inter philosophos fuit, sed nemo uidit. Alij putauerunt, sciri posse omnia: hi sapientes utiq; non fuerunt. Alij nihil, ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederunt: hi, quia minus. Vtrisq; in utranq; partem modus defuit. Vbi ergo sapientia est, ut neq; te omnia scire putes, quod dei est: neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est

scientia

scientia cum ignoratione coniuncta,& temperata.Scientia in nobis ab anima est,quæ oritur è cœlo:ignoratio à corpore,quod est è terra.Vnde nobis & cum deo,& cũ animalibus est aliqua communitas. Ita quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est,alterum tenebris, pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet:nam sic illi omnes qui in alteram partem inclinauerunt,aut dextro, aut sinistro uersus ceciderunt:utraq; autem pars quomodo errauerit,dicam. Academici contra Physicos ex rebus obscuris argumentati sunt,nullã esse scientiam:& exemplis paucarum rerũ incomprehensibiliũ contenti,amplexi sunt ignorantiam:tanquàm scientiam totam sustulissent,quia in parte sustulerant. Physici contrà,ex ijs quæ aparta sunt,argumentum trahebant,omnia sciri posse: contentiq; perspicuis retinebant scientiam:tanquàm totã defendissent, quia ex parte defenderant. Itaq; neq; hi clara,neq; illi obscura uiderunt: sed utriq;,dum solam scientiam consertis manibus uel retinent,uel eripiunt, non uiderunt in medio constitutam fore quæ illos ad sapientiam transmitteret,Verum Arcesilas ignorantiæ magister, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam philosophiam euerteret(authore Socrate) suscepit hanc sententiam,ut affirmaret nihil sciri posse.Itaq; coarguit æstimationem philosophorum, qui putassent ingenijs suis erutam esse, atq; inuentam ueritatem: uidelicet quia mortalis fuerat illa sapientia,paucisq; ante temporibus instituta,ad summum iam incrementum peruenerat,ut iam necessario consenescceret,ac periret,repente extitit Academia tanq̃ senectus philosophiæ, quæ illam conficeret iam defloreſcentem.Rectéq; uidit Arcesilas,arrogantes, uel potius stultos esse, qui putent scientiam ueritatis cõiectura posse cõprehendi. Sed tamen falsa dicẽtem redarguere nõ potest,nisi qui scierit ante quid sit uerum.Quod Arcesilas

ueritate

ueritate non cognita facere conatus: introduxit genus philoso-
phiæ ἀκαταλήπτου quod latine instabile siue incõstans possumus
dicere. Vt enim nihil sciendũ sit, aliquid sari necesse est. Nã si om-
nino nihil sciasꝫ idipsum nihil sciri posse tolletur. Itaq; qui uelut
sententiæ loco pronũciat, nihil sciri, tanq̃ perceptũ profitetur, et
cognitum, ergo aliquid sciri potest. Huic simile est illud, quod in
scholis proponi solet in asystati generis exemplum, somniasse
quendam ne somnijs crederet. Si enim crediderit, tum sequitur,
ut credendum non sit. Si autem non crediderit, tunc sequitur ut
credendum sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est idipsum sciri,
quod nihil sciatur. Si autẽ scitur, posse nihil sciri, falsum est ergo
quod dicitur, nihil sciri posse. Sic inducitur dogma sibijpsi repu-
gnans, seq; dissolucns. Sed homo uersutus cæteris philosophis ui-
luit scientiam cripere, ut eam domi absconderet. Nam sibi illam
profecto non adimit, qui aliquid affirmat, ut cæteris adimat: sed
nihil agit: apparet enim, ac furtũ suum prodit. Quanto facere-
sapiẽtius, ac uerius, si exceptione facta, diceret causas rationesq;
duntaxat rerum cœlestium seu naturalium, quia sunt abdite,
nesciri posse, quia nullus doceat: nec quæri oportere, quia inue-
niri quærendo nõ possunt. Qua exceptione interposita, & Phy-
sicos admonuisset, ne quærerent ea, quæ modum excederent co-
gitationis humanæ: & seipsum calumniæ inuidia liberasset: et
nobis certe dedisset aliquid, quod sequerenur. Nunc autem cum
ab his sequendis nos retraxerit, ne uelimus plus sare quàm posse
mus, non minus à se quoq; ipso retraxit. Quis enim uelit labo-
rare, ne quicquam sciat? aut eiusmodi susciperc doctrinã, ut etiã
communem scientiam perdat? Quæ si doctrina est, scientia con-
stet necesse est. Si non est, quis tam stultus est, ut discendum ui
putet, in quo aut nihil discitur, aut omnino ded: scitur? Quare si
neq; omnia sciri possunt, quod Physici putauerunt: neq; nihil,
quod Academia: philosophia omnis extincta est.

De mor-

De morali philosophia, & quare sicut vtilior, ita & cæteris philosophiæ partibus sit facilor: quæ fuerint omnium philosophorum fere sententiæ de summo bono. Caput. VII.

TRranscamus nũc ad alteram philosophiæ partẽ, quã ipsi moralẽ uocant, in qua totius philosophiæ ratio cõtinetur. Siquidem in illa physica, sola oblectatio est, in hac etiã utilitas: & quoniam in disponendo uitæ statu, formandisq; moribus periculo maiori peccatur, maiorem diligẽtiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat uiuere. Illic enim potest uenia concedi: quia siue aliquid dicunt, nihil prosunt: siue delirant, nihil nocent. Hic uero nullus dissidio, nullus errori est locus. Omnes unũ sentire oportet, ipsamq; philosophiã uno quasi ore præcipere: quia si quid fuerit erratum, uita omnis cuertitur. In illa priori parte, ut periculi minus, ita plus difficultatis est: quod obscura rerum ratio cogit diuersa, & uaria sentire: hic ut periculi plus, ita minus difficultatis: quod ipse usus rerũ & quotidiana experimenta possunt docere quid sit uerius et melius. Videamus ergo, utrũ ne consentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius in uita degatur. Non necesse est omnia circuire, unum eligamus, ac potissimũ, quod est summũ ac principale, in quo totius sapiẽtiæ cardo uersatur. Epicurus summũ bonũ in uoluptate animi esse censet, Aristippus in uoluptate corporis. Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici, honestatem cũ uoluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione doloris summũ bonũ posuit, Hieronymus in nõ dolendo, Peripatetici autem in bonis animi, corporis, & fortunæ. Herilli summũ bonũ est scientia. Zenonis, cũ natura congruenter uiuere: quorundã Stoicorũ, uirtutẽ sequi. Aristoteles in honestate,

honestate, ac uirtute summum bonum collocauit. Hæ sunt fere omnium sententiæ. In tanta diuersitate, quem sequimur? cui credimus? par est omnibus authoritas. Si eligere possumus quid est melius, iam non est philosophia nobis necessaria: quia sapientes iam sumus, qui de sapientum sententijs iudicemus. Cum uero discendæ sapietiæ causa ueniamus, qui possumus iudicare, qui nondum sapere cœperimus? Maxime cum præsto assit Academicus qui nos pallio retrahat, ac uetet cuiquam credere: nec tamen asserat ipse quod sequamur.

Quod vera sapientia docet summũ bonum hominis nõ esse animi vel corporis voluptatẽ, aut aliquid eorũ, quæ à philosophis sunt proposita. Cap. VIII.

QVid ergo superest, nisi ut omissis litigatoribus furtosis ac pertinacibus, ueniamus ad iudicem illum, scilicet datorem simplicis & quietæ sapientiæ? qui non tantum formare nos ac inducere in uiam posuit, uerumetiam de controuersijs istorum ferre sententiam. Hic nos docet, quid sit hominis uerum ac summum bonum, de quo priusquàm dicere incipio, illæ omnes sententiæ sunt refellendæ, ut appareat neminem illorum fuisse sapientem. Cũ de officio hominis agatur, oportet summum summi animalis bonũ in eo cõstitui, quod commune cum cæteris animalibus esse nõpossit. Sed ut feris dentes, armentis cornua, uolucribus pennæ propria sunt, sic homini aliquid suum debet ascribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat. Nam quod uiuendi, aut generandi causa datum est omnibus, est quidem bonum naturale: summum tamen nõ est, nisi quod est unicuiq; generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui summum bonũ credidit animi

uoluptatẽ:

uoluptatem: quoniam illa ſecuritas, ſiue gaudium eſt, communis eſt omnibus. Ariſtippo ne reſpondendum quidem duco, quem in corporis uoluptatem ſemper intuentem, nihilq́; aliud quàm uentri, & Veneri ſeruientem, nemini dubium eſt hominẽ non fuiſſe. Sic enim uixit, ut nihil inter eum, pecudemq́; diſtaret, niſi unum quod loquebatur. Quod ſi aſino, aut cani, aut ſui facultas loquẽdi tribuatur, quærasq́; ab his, quid ſibi uelint, cum fœminas tam rabide conſectantur, ut uix diuelli queant, cibos etiam, potumq́; negligant, aut alios mares uiolenter abigant, aut ne uicti quidẽ abſiſtant: ſed à fortioribus ſæpe contriti, eo magis inſectentur: cur nec imbres, nec frigora pertimeſcant, laborem ſuſcipiant, periculum non recuſent: Quid aliud reſpondebunt, niſi ſummum bonum eſſe corporis uoluptatem? eam ſe appetere, ut afficiantur ſuauiſſimis ſenſibus: eosq́; eſſe tanti, ut aſſequẽdorum cauſa, nec laborem ſibi ullum, nec uulnera, nec mortem ipſam recuſandam putent. Ab his ne igitur præcepta uiuendi petemus, qui hoc idẽ ſentiunt, quod animæ rationis expertes? Aiunt Cyrenaici uirtutem ipſam ex eo ipſo eſſe laudandã, quod ſit efficiens uoluptatis uerum ergo inquit obſcœnus canis, aut ſus ille lutulentus. Nam ideo, cum aduerſario ſumma uiriũ contentione depugno, ut uirtus mea mihi pariat uoluptatem, cuius expers ſim neceſſe eſt, ſi uictus abſceſſero. ab his ergo ſapere diſcimus, quos à pecudibus ac belluis non ſententia, ſed lingua diſcernit? Priuationem doloris ſummum bonũ putare nõ plane Peripateticorũ, ac Stoicorũ ſed Cynicorũ philoſophorum eſt. Quis enim non intelligat ab ægrotis, & in aliquo dolore poſitis eſſe hoc diſputatum? Quid tam ridiculũ, q̃ id habere pro ſummo bono quod medicus poſſit dare? Dolendũ eſt ergo, ut fruamur bono, & quidẽ grauiter, ac ſæpe, ut ſit poſtea nõ dolere iocũdius. Miſerrimus eſt igitur, qui nunq̃ doluit, quia bono caret: quẽ nos feliciſſimũ putabamus, qui malo caruit. Ab hac uanitate nõ longe abfuit, qui omnino nihil

dolere

dolere summum bonum dixit. Nam præter quod omne animal doloris est fugiēs, qui potest sibi hoc bonū præstare, quod nobis ut eueniat, nihil aliud possumus q̄ optare? Summū autem bonum non potest efficere quenq̄ beatū, nisi semper fuerit in ipsius potestate. Hoc autem non uirtus homini, non doctrina, non labor, sed natura ipsa cunctis animantibus præstat: Qui uoluptatē cū honestate iunxerunt, communionem hanc effugere uoluerunt. Sed effecerunt repugnans bonū: quoniam qui uoluptati deditus est, honestate carcat necesse est: qui honestati studet, uoluptate caret. Peripateticorum bonū nimium multiplex, exceptis animi bonis, quæ ipsa quæ sint, magna contentio est, cōmune cū bellua potest uideri. Nam corporis bona, id est incolumitas, indolentia ualetudo, non minus sunt mutis, q̄ homini necessaria. Ac nescio, an etiam magis: quia homo & medelis, & ministerijs sublcuari potest, muta non possunt. Item, quæ appellant fortunæ bona: nam sicut homini opibus ad uitam tuendam, ita illis præda, & pabulis opus est. Ita inducendo bonum quod nō sit in hominis potestate, totum hominem alienæ ditioni subiugarunt. Audacius etiam Zenonem. Nam is interdum uirtutem somniat. Summum, inquit, est bonum, cum natura consentance uiuere. Bellua rum igitur nobis more uiuendum est. Nam quæ abesse debent ab homine, in his omnibus deprehenduntur, uoluptates appetunt, metuunt, fallunt, insidiantur, occidunt: & quod ad rem maxime attinet, deum nesciunt. Quid ergo me docet, ut uiuam secundum naturam, quia ipsa in deterius prona est, et quibusdam blandimentis lenioribus in uitia præcipitat? Sed si aliam mutorum, aliam hominis dicit esse naturam, quod homo ad uirtutem sit genitus, non nihil dicit: sed tamen non erit definitio summi boni: quia nullum est animal, quod non secundum naturam suā uiuat. Qui scientiam summum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit: sed scientiā alterius rei gratia homines appetūt, nō propter

propter ipsam. Quis enim scire contentus est, non expetens aliquem fructum scientiæ? Artes ideo discuntur, ut exerceantur: exercetur autem uel ad subsidia uitæ, uel ad uoluptatem, uel ad gloriam. Non est igitur summum bonum, quod non propter se expetitur. Quid ergo interest, utrum scientiam summum bonum putemus, an illa ipsa, quæ scientia ex se parit, id est, uictum, gloriam, uoluptatem? quæ non sunt homini propria, et ideo ne summa quidem bona. Nam uoluptatis, & uictus appetentia non homini solũ, sed etiã mutis inest. Quid cupiditas gloriæ? Nonne in equis deprehenditur, cum uictores exultant, uicti dolent.

Tantus amor laudum, tantæ est uictoria uiræ.

Nec immerito summus poëta experiendum esse ait:

Et quis cuiq; dolor uicto, quæ gloria palmæ.

Quod si ea quæ parit scientia, cõmunia sunt cũ alijs animalibus, non est ergo summum bonum scientia. Præterea non mediocre huius definitionis est uitium, quod scientia nuda ponitur. Incipient enim beatiores uideri, qui artem aliquã scierint, imo uero qui & res malas scierint, ut tam beatus sit, qui uenena didicerit temperare, quàm qui mederi. Quæro igitur, ad quam rẽ scientia referenda sit: si ad causas rerum naturalium, quæ beatitudo erit proposita, si sciero unde Nilus oriatur, uel quicquid de cœlo physici delirant? Quid quod earum rerum non est scientia, sed opinio, quæ pro ingenijs uaria est? restat ut scientia bonorum ac malorum summum bonum sit. Cur ergo scientiam maluit, q̃ ipsam sapientiam summum bonum dicere, cum sit utriusq; significatio, & uis eadem? Nemo tamen usq; adhuc summum bonum dixit esse sapientiã, quod melius dici potuit. Nam scientia parũ est ad bonum suscipiendum, malumq; fugiendum, nisi acædat & uirtus. Multi enim philosophorum, cum de bonis malisq; disserent, aliter tamen, quàm loquebantur, natura cogente uixerunt: quia uirtute carucrunt. Virtus autem cum scientia coniuncta, est

sapientia.

ſapientia. Superest ut eos etiam refellamus, qui uirtutem ſummũ bonũ putauerunt: in qua opinione etiam M. Tullius fuit: in quo multum incõſyderati fucrunt. Non enim uirtus ipſa eſt ſummũ bonum, ſed effectrix, & mater eſt ſummi boni. quoniam peruenire ad illud ſine uirtute non poteſt. Vtrunq; intellectu eſt facile. Quæro enim, utrum ne ad præclarum illud bonum facile peruenire putent, an cum difficultate, ac labore? expediant acumẽ ſuũ errorcmq; defendant. Si facile ad illud, ac ſine labore peruenire poteſt, ſummum bonum nõ eſt. Quid enim nos cruciemus? quid conficiamus enitendo diebus, & noctibus? quandoquidem tam in promptu id quod quærimus iacet, ut illud quilibet ſine ulla contentione animi deprehendat. Sed cõmune quoq; ac mediocre quodlibet bonum non ſine labore aſſequimur, quoniam bonorũ natura in arduo poſita eſt, malorum in præcipiti, ſummo igitur labore ſummum bonum aſſequi neceſſe eſt. Quod ſi ucriſſimum eſt, ergo altera uirtute opus eſt, ut perueniamus ad eam uirtutẽ, quæ dicitur ſummum bonum: quod eſt incongruens, & abſurdũ ut uirtus per ſeipſam perueniat ad ſeipſam. Si nõ poteſt ad ullum bonum, niſi per laborem peruenire: apparet uirtutem eſſe, per quam perueniatur: quoniam in ſuſcipiendis, perferendisq; laboribus, uis, officiumq; uirtutis eſt. Ergo ſummũ bonum nõ poteſt eſſe id, propter quod neceſſe eſt ad aliud peruenire. Sed illi, cum ignorarent quid efficeret uirtus, aut quo tẽderet, honeſtius aut nihil reperirent, ſubſtiterũt in ipſius uirtutis nomine, quã nullo proposito emolumento, appetendam eſſe dixerunt: & bonum ſibi conſtituerunt, quod bono indigerent. Ariſtoteles ab ijs non longe receßit, qui uirtutem cum honeſtate ſummum bonum tuentur: quaſi ulla uirtus poſſet eſſe inhoneſta, ac non ſi quid habuerit turpitudinis, uirtus eſſe deſinat: ſed uidit fieri poſſe, ut de uirtute prauo iudicio ſentiatur male, & ideo exiſtimationi bonũ ſeruiendũ putauit. Quod qui facit, à recto bonoq; diſcedit, quia non

quia non est in nostra potestate, ut uirtus pro suis meritis honestetur. Nã quid est honestas, nisi honor perpetuus, ad aliquẽ secũdo populi rumore delatus? Quid ergo fiet, si errore ac prauitate hominum, mala existimatio subsequatur? abijciemus ne uirtutem, quia flagitiosa, & turpis ab insipientibus iudicetur? Quæ quoniam inuidia premi ac uexari potest, ut sit ipsum proprium, ac perpetuum bonum, nullo extrinsecus adiumento indẽ gere debet, quin suis per se uiribus nitatur, & constet. Itaque nec ullum ei ab homine bonum sperandum est, nec ullum malũ recusandum. Venio nunc ad ueræ sapientiæ summum bonum, cuius natura hoc modo determinanda est.

Quid sit vere sapiẽtis summũ bonũ. Et quàm vitiosa fuerit ratio Anaxagoræ, ad quid natus sit homo. Cap. IX.

PRimum ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal. Deinde, ut solius animi, nec communicari possit, cum corpore. Postremo, ut non possit cuiquam sine scientia, & uirtute contingere. Quæ circumscriptio illas omnes sententias excludit, ac soluit. Eorum enim, qui dixerunt, nihil tale est. Dicam nunc quid sit, ut doceam (quod instituí) philosophos omnes cæcos, atq; insipientes fuisse: qui quod est homini summum bonum constitutum, nec uidere, nec intelligere, nec suspicari aliquando potuerunt. Anaxagoras, cum ab eo quæreretur, cuius rei causa natus esset, respondit, solis ac cœli uidendi. Hanc uocem admirantur omnes, ac philosopho dignã iudicant. At ego hunc puto non inuenientẽ quid respõderet, effudisse hoc passim, ne taceret. Quod quidem secum, si sapiens fuisset, commentatum & meditatum habere debuit: quia si quis rationem sui nesciat, nõ homo sit quidem. Sed putemus non ex tempore dictum illud effusum.

Videamus in tribus uerbis quot, & quanta peccauerit. Primum, quod omne hominis officium in oculis posuit, nihil ad mentem referens, sed ad corpus omnia. Quid si cæcus fuisset, officium ne hominis amitteret, quod fieri sine oculis animæ nō potest? Quid cæteræ corporis partes, an ne carebunt suis quoq; muneribus? Quid, quod plus est in auribus, q̄ in oculis situs? quoniam & doctrina, & sapientia percipi auribus solis potest, oculis solis nō potest. Cœli aut solis uidendi causa natus es? Quis te in hoc spectaculū induxit? aut quid cœlo rerūq; naturæ usio tua conferti? Nimirū ut hoc immensum, & admirabile opus laudes? Cōfiteri ergo rerū omnium esse cōstitutorem deū, qui te in hunc mundū quasi testem, laudatoremq; tanti sui operis induxit. Magnū est credis uidere cœlum, ac solem: cur ergo gratias non agis ei, qui huius beneficij author est? Cur nō ipsius uirtutem, prouidentiā, potestatem metiris animo, cuius opera miraris? Etenim necesse est, ut multo mirabilior sit, qui mirabilia perfecit. Si te quispiam uocasset ad cœnam, in eaq; optime acceptus esses, non insanus uiderere, si pluris faceres ipsam uoluptatem, quàm uoluptatis auctorē? Adeo philosophi ad corpus omnia referūt, nihil prorsus ad mentem: nec uident amplius, q̄ quod sub oculis uenit. Atqui remotis omnibus officijs corporis, in sola mente ponenda est hominis ratio: non ergo ideo nascimur, ut ea, quæ sunt facta, uideamus, sed ut ipsum factorem rerum omnium cōtemplemur, id est mente cernamus. Quare si quis hominem, qui uere sapit, interroget, cuius rei gratia natus sit: respōdebit intrepidus, ac paratus, colendi se dei gratia natū, qui nos ideo generauit, ut ei seruiamus. Seruire autem deo, nihil aliud est, q̄ bonis operibus tueri & conseruare iustitiam. Sed ille, ut homo diuinarum rerum imperitus, rem maximam redegit ad minimum, duo sola deligens, quæ sibi diceret intuēda. Quod si natum se esse dixisset ut mundum intueretur, quanquàm omnia comprehenderet, ac maiori

utcretur

uteretur sono, tamen non implesset hominis officiũ: quia quãto pluris est anima q̃ corpus, tanto pluris est Deus q̃ mundus, quia mundũ Deus fecit & regit. Nõ ergo mũdus oculis, quia utrũq; est corpus, sed Deus animã contemplandus est, quia deus: ut est ipse immortalis, sic animũ uoluit esse sempiternũ. Dei autẽ contemplatio est uenerari, & colere communem parentem generis humani. Quod si à philosophis abfuit, proiectiq; in terrã fuerũt diuina ignorando, existimandus est Anaxagoras ad ea, quæ uidenda natũ esse se dixit, nec cœlum uidisse, nec solem. Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat, cuius propria est humanitas, nam ipsa humanitas quid est nisi iustitia? Quid est iustitia nisi pietas? Pietas autem nihil aliud est, quàm Dei parẽtis agnitio.

Quod ea, quæ uidentur hominis esse propria, cæteris quoq; animalibus cõmunia sunt: hominis uero propriũ est Deum noscere, & colere. Caput. X.

SVmmum igitur bonũ hominis in sola religione est. Nã cætera etiã, quæ putãtur esse homini propria, in cæteris quoq; animalibus reperiũtur. Cũ enim suas uoces proprijs inter se notis discernũt, atq; dignoscunt, colloqui uidentur: ridendiq; ratio apparet in his aliqua, cũ demulsis auribus, contractoq; rictu, et oculis in lasciuã resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisq; cõiugibus, ac fœtibus proprijs. Nonne aliquid amori mutuo, et indulgẽtiæ simile impartiũt? Iã illa, quæ sibi prospiciũt in futurũ et cibos reponũt, habẽt utiq; prouidentiã. Rationis quoq; signa in multis deprehenduntur. Nã quando utilia sibi appetũt, mala cauent, pericula uitãt, latibula sibi parãt in plures exitus disparentia, profecto aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis

inesse rationem, cum hominem ipsum sæpe deludant? Nã quibus generandi mellis officiũ est, cum aßignatas incolũt sedes, castra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo seruiunt: nescio an in his perfecta sit prudẽtia. Incertum est igitur utrum ne illa quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis uiuentibus: religionis certe sunt expertia. Equidem sic arbitror uniuersis animalibus eße datam rationẽ: sed mutis tãtummodo ad uitam tuendam, homini ad propagandã. Et quia in homine ipsa ratio perfecta est, sapientia nominatur: quæ in hoc eximiũ facit hominem, quod soli datum est homini intelligere diuina. Qua de re Ciceronis uera est sententia. Ex tot, inquit, generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei Ipsisq; in hominibus nulla gens est, neq; tam immansueta, neq; tam fera, quæ nõ etiam si ignoret qualem deũ habere deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur, ut is agnoscat deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur. Qui ergo philosophi uolunt animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem, et orbãt hominem suo proprio, ac singulari bono, quod est à recto uiuẽdo, atq; ab omni humanitate disiunctũ: quia ut deus cuncta uiuentia subiecit homini, sic ipsum hominem sibi. Nam quid est cur ijdem ipsi disputent, eò dirigendam esse mentem, quò uultus erectus est? Si enim nobis cœlum spectandum est, ad nihil aliud utiq;, quàm ob religionem. Si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cœlo est. Itaq; aut eò est spectandum, aut in terram procumbendum. In terram procumbere nisi uelimus quidem, non possumus, quorum status rectus est. In cœlum igitur spectandum est, quo natura corporis prouocat. Quod si constat esse faciendum, aut ideo est faciendum: ut religioni seruiamus: aut ideo, ut rationem rerum cœlestium cognoscamus. Sed rationem rerum cœlestiũ cognoscere nullo modo possumus: quia nihil eiusmodi potest cogitãdo inueniri, sicut supra docui. Religioni ergo seruiendum est: quam

est:quam qui non susciput,ipse se prosternit in terram, et uitam pecudum secutus,humanitate se abdicat. Sapiētiores ergo imperiti,qui etiam si errant in religione deligenda,tamē naturæ suæ conditionis q; meminerunt.

Quod Deus fecit hominem cupidum religionis,& sapiētiæ, quorum alterum constare sine altero non potest: Et quod nihil eorum, quæ mortales appetunt, summum bonum sit. Cap. XI.

CONstat igitur totius humani generis consensu, religionē suscipi oportere:sed quomodo in ea erretur,explicandum est. Naturam hominis hanc Deus esse uoluit,ut duarum rerum cupidus & appetens esset,religionis & sapientiæ.Sed homines ideo falluntur,quod aut religionem susc ipiant omissa sapientia aut sapientiæ soli student omissa religione:cum alterum sine altero esse non possit uerū.Cadunt ergo ad multiplices religiones sed ideo falsas,quia sapientiam reliquerunt,quæ illos docere poterat,deos multos esse non posse. Aut studentsapientiæ,sed ideo falsæ,quia religionem summi Dei omiserunt,qui eos ad ueri scientiam potuit erudire.Sic homines qui alterutrū susc ipiunt,uitā deuiam maximis q; erroribus plenam sequuntur:quoniam in his duobus inseparabiliter connexis & officiū hominis,& ueritas omnis inclusa est. Miror itaq; nullum omnino philosophorum extitisse,qui sedem,ac domicilium summi boni reperiret.Potuerunt enim sic quærere: Quodcunq; est summum bonum,necesse est omnibus esse propositū.Voluptas est,quæ appetitur à cūctis sed hæc & communis est cum belluis, & honesti uim nō habet, & facietatē affert,& nimia nocet,& processu minuitur ætatis & multis non contingit:nā qui opibus carent,quorū maior est

numerus,etiã uoluptate careãt necesse est. Nõ est igitur summ
bonũ,sed ne bonũ quidem uoluptas. Quid diuitiæ? Multo magis
Nam & paucioribus, & plerunq; casu,& inertibus sæpe,&
nonnunq; scelere cõtingunt,et optantur ab ijs,qui eas iã tenent
Quid regnum ipsum? ne id quidem. Non enim cuncti homines
regnare possunt, & necesse est uniuersos summi boni capaces
esse. Quæramus igitur aliquid,quod propositũ sit omnibus. Nõ
uirtus? negari nõ potest,quin & bonũ sit,& omniũ certe bonũ
Sed si beata esse non potest,quia uis,et natura eius in malorum
perferentia posita est,nõ est profecto summũ bonũ. Quæramus
aliud. At nihil uirtute pulchrius,nisi sapientia dignius inueniri
potest. Si enim uitia ob turpitudinẽ fugienda sunt,uirtus igitur
appetenda est ob decorẽ. Quid ergo? potest ne fieri,ut quod h
num,quod honestũ esse constat,mercede,ac præmio careat,sit
tam sterile ut nihil ex se commodi pariat? labor ille magnus,et
difficultas,et eluctatio aduersus mala,quibus hæc uita plena est
aliquid magni boni pariat necesse est. Id uero quid esse dicemus
Num uoluptatẽ? At nihil turpe ex hoc honesto nasci potest. Nõ
diuitias? Num potestates? At ea quidẽ fragilia sunt,& caduca
Num gloriam? Num honorem? Nũ memoriã nominis? At hæc
omnia nõ sunt in ipsa uirtute,sed in aliorũ existimatione, atq;
arbitrio posita. Nã sæpe uirtus & inuisa est,& malo afficitur
Debet autem id bonum,quod ex eo nascitur,ita cohærere,ut di
uelli atq; distrahi nequeat: nec aliter summũ bonũ uideri potest
quàm si propriũ sit uirtutis,et tale,ut neq; adijci quicquam,nec
detrahi possit. Quid,quod in his omnibus cõtemnendis uirtutis
officia cõsistunt? Nam uoluptates,opes,potentias,honores,atq;
omnia,quæ pro bonis habentur,non concupiscere,nõ appetere,
non amare,quod cæteri faciunt uicti cupiditate,id est profecto
uirtutis. Aliud ergo sublimius,atq; præclarius efficit: nec frustra
his præsentibus bonis reluctatur, nisi quod maiora,& uerior

desyderat

desyderat. Non desperemus inueniri posse, modo uersetur cogitatio in omnia, neq; enim leuia, aut ludicra præmia petuntur.

De duplici pugna, corporis & animæ, & hostibus vtriusq;: & quod virtus nō propter se appetenda est, sed propter vitam æternā, quæ summū bonū est, & virtutē necessario sequitur, & in præsenti haberi non potest. Caput. XII.

SEd quæritur quid sit, propter quod nascimur, quid efficiat uirtus, possumus sic inuestigare. Duo sunt, ex quibus homo constat, animus, & corpus. Multa sunt propria animi, multa propria corporis, multa utriq; communia, sicut est ipsa uirtus, quæ quoties ad corpus refertur discernendi gratia fortitudo nominatur. Quoniā igitur utriq; subiacet fortitudo, utriq; proposita dimicatio est, et utriq; ex dimicatione victoria. Corpus quia solidū est, & cōprehensibile, cū solidis et cōprehensibilibus confligat necesse est. Animus autē, quia tenuis, & inuisibilis est, cum ijs cōgreditur hostibus, qui uideri tangiq; nō possunt. Qui sunt autem hostes animi, nisi cupiditates, uitia, peccata? quæ si uicerit uirtus, ac fugauerit, immaculatus erit animus, ac purus. Vnde ergo colligi potest, quid efficiat animi fortitudo? nimirū ex cōiuncto, & pari, hoc est ex corporis fortitudine. Quod in aliquam congressionē, certamēq; uenerit, quid aliud ex victoria, q̄ uitam petit? Siue enim cū homine, siue cū bestia dimices, pro salute certatur. Ergo ut corpus uincendo id assequitur, ut non intereat, sic etiā animus, ut permaneat: et sicut corpus ab hostibus suis victū morte multatur, ita superatus à uitijs animus moriatur necesse est. Quid ergo intererit inter animi, corporisq; dimicationem, nisi quod corpus temporalem uitam expetit, animus sempiternam?

Si ergo uirtus per ſeipſam beata nõ eſt, quoniam in perferendis (ut dixi) malis, tanta uis eius eſt: ſi omnia, quæ pro bonis concupiſcuntur, negligit: ſi ſummus eius gradus ad mortẽ patet, quandoquidem uitam quæ optatur à cæteris, ſæpe reſpuit, mortemq; quam cæteri timent fortiter ſuſcipit: ſi neceſſe eſt, ut aliquid ex ſe magni boni pariat, quia ſuſtentati, & ſuperati uſq; ad mortẽ labores ſine præmio eſſe non poſſunt: ſi nullum præmium, quod ea dignum ſit, in terra reperiretur, quandoquidem cuncta, quæ fragilia ſunt, & caduca, ſpernit: quid aliud reſtat, niſi ut cœleſte aliquid efficiat, quia terrena uniuerſa contemnit? & ad altiora nitatur, quia humilia deſpicit? Id uero nihil aliud poteſt eſſe, q̃ immortalitas. Merito ergo philoſophorum non obſcurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum diſciplinæ, diſſentiens à cæteris, id eſt ſummum bonum dixit, quod ſimile ſit, & idem ſemper. Intellexit profecto quæ ſit natura ſummi boni, licet id non explicauerit quid ſit: id eſt autem immortalitas. Nec aliud omnino quicq̃: quia ſola nec imminui, nec augeri, nec immutari poteſt. Seneca quoq; imprudens incidit, ut fatcretur, nullum eſſe aliud uirtutis præmiũ, quàm immortalitatẽ. Laudans enim uirtutẽ in eo libro, quẽ de immatura morte cõſcripſit: una (inquit) res eſt uirtus, quæ nobis immortalitatẽ donare poſſit, & pares dijs facere. Sed et Stoici, quos ſcatus eſt, negãt ſine uirtute efficiquenquam beatum poſſe. Ergo uirtutis præmium beata uita eſt, ſi uirtus (ut recte dictum eſt) beatam uitam facit. Non eſt igitur (ut aiunt) propter ſeipſam uirtus expetenda, ſed propter uitã beatam, quæ uirtutem neceſſario ſequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod eſſet ſummum bonum. Hæc autem uita præſens, & corporalis beata eſſe nõ poteſt: quia malis eſt ſubiecta per corpus. Epicurus Deum beatum uocat, quia incorruptũ uocat, quia ſempiternus eſt. Beatitudo enim perfecta eſſe debet, ut nihil ſit quod eam uexare, ac imminuere, aut immutare poſſit.

Nec aliter

Nec aliter quicquam existimari beatum potest, nisi fuerit incorruptum. Incorruptum autem nihil est, nisi quod est immortale. Sola ergo immortalitas beata est: quia corrumpi, ac dissolui nō potest, quod si cadit in hominem uirtus, quod negare nullus potest, cadit & beatitudo. Non potest enim fieri, ut sit miser, qui uirtute est præditus. Si cadit beatitudo, ergo & immortalitas cadit in hominem, quæ beata est. Summum igitur bonum solæ immortalitas inuenitur: quia nec aliud animal, nec corpus attingit. Nec potest cuiquam sine scientiæ uirtute, id est sine Dei cognitione, ac iustitia obuenire. Cuius appetitio quàm uera, quàm recta sit, ipsa uitæ hutusce cupiditas indicat: quæ licet sit temporalis, & labore plenissima, expetitur tamen ab omnibus, & optatur. Hanc enim tā senes quàm pueri: tam reges quàm infimi, tam deniq; sapientes quàm stulti cupiunt. Tanti est (ut Anaxagoræ uisum est) contemplatio cœli, ac lucis ipsius, ut quascunq; miserias libeat sustinere. Cū igitur laboriosa hæc, & breuis uita non tantum hominum, sed etiam cæterorum animantiū cōsensu magnum bonum esse ducatur, manifestum est, eandem summum ac perfectum fieri bonum, si & fine careat, & omni malo. Deniq; nemo unq̄ extitisset, qui hanc ipsam breuem contemneret, aut subiret mortem, nisi spe uitæ longioris: nam illi, qui propter salutem ciuium uoluntariè se neci obtulerunt, sicut Thebis Menœceus, Athenis Codrus, Rhomæ Curtius, & Mures duo Decij, nunq̄ mortem uitæ commodis prætulissent, nisi se immortalitatē opinione ciuium consequi putauissent: qui tametsi nescierunt immortalitatis uiam, res tamen eos non fefellit. Si enim uirtus diuitias, & opes ideo contemnit, quia fragiles sunt, uoluptates ideo, quia breues: ergo & uitam fragilem breuemq; ideo contemnit, ut solidam, & perpetuam consequatur. Ipsa ergo cogitatio per ordinē gradiens, & uniuersa consyderans, perducet nos ad eximium illud, & singulare, cuius causa nascimur, bonum.

Quod si

Quod si fecissent philosophi, si non quod semel apprehenderũt, tueri pertinaciter maluissent, profecto peruenissent ad uerũ hoc quod ostendi modo. Quod si non fuit eorũ, qui cœlestes animas unà cũ corporibus extinguunt: illi tamen qui de immortalitate disputant animi, intelligere debuerunt, ideo propositam nobis esse uirtutem, ut perdomitis libidinibus, rerumq; terrestriũ cupiditate superata, puræ ac uictrices animæ ad Deũ, id est ad originem suã reuertãtur. Idcirco enim soli animantiũ ad aspectũ cœli erecti sumus, ut summũ bonũ nostrũ in summo Deo esse credamus. Ideo religionem soli capimus, ut ex hoc sciamus, humanum spiritũ non esse mortalẽ, quod Deum, qui est immortalis, & desyderat, et agnoscit. Igitur ex omnibus philosophis, qui aut pro summo bono scientiã, aut uirtutẽ sunt amplexi, tenuerunt quidẽ uiam ueritatis, sed non peruenerunt ad summũ. Hæc enim duo sunt, quæ simul efficiant illud quod quæritur. Scientia id præstat ut quomodo, et quo perueniendum sit, nouerimus, uirtus, ut perueniamus. Alterũ sine altero nihil ualet. Ex scientia enim uirtus ex uirtute summum bonum nascitur. Beata igitur uita, quam philosophi quæsierunt semper, & quærunt, siue in cultu deorũ, siue in philosophia, nulla est. Et ideo ab his non potuit reperiri quia summum bonum non in summo quæsierunt, sed in imo. Summum autem quid est, nisi cœlum, & Deus, unde animus oritur? Imum quid est, nisi terra, unde corpus est? Itaq; licet quidã philosopbi summũ bonũ non corpori, sed animo dederint, tamẽ quoniam ad illud in hanc uitam retulerunt, quæ cum corpore terminatur, ad corpus reuoluti sunt: cuius est omne hoc tempus quod transigitur in terra. Quare non immerito summum bonũ non comprehenderunt: quia quicquid ad corpus spectat, & immortalitatis est expers, uanum sit necesse est. Non cadit ergo in hominem beatitudo ullo modo, quod philosophi putauerunt: sed ita cadit, non ut tunc beatus sit, cum uiuit in corpore, quod

utiq; ut dissoluatur, ne esse est corrũpi, sed tunc, cũ anima societate corporis liberata, in solo spiritu uiuit. Hoc uno beati esse in hac uita possumus, si minime beati esse uidcamur: si fugientes illecebras uoluptatum, solicq; uirtuti seruientes, in omnibus laboribus, miserijsq; uiuamus: quæ sunt exercitia & corroboramenta uirtutis: si deniq; asperam illam uiam, difficilemq; teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Summum igitur bonũ quod beatos facit, non potest esse, nisi in ea religione, atq; doctrina, cui spes immortalitatis adiuncta est.

Quod anima sit immortalis, & quare diuina traditio logicam non desyderat, aut philosophiã, sed Ethicam solam: in qua docenda summi philosophi errauerunt. Et quare philosophia non sit dux vitæ, & virtutum parens, expultrixq; vitiorum, quod tamen Cicero, & alii astruere conati sunt. Caput. XIII.

RES exigere uidetur hoc loco, ut quoniam docuimus immortalitatem esse summum bonum, immortalem esse animam cõprobemus. Qua de re ingens inter philosophos disceptatio est: nec quicq; tamẽ explicare, aut probare potuerunt ij, qui uerum sentiebant de anima, expertes huius diuinæ eruditionis: nec argumenta uera, quibus uincerẽt, attulerũt: nec testimonia, quibus probarent. sed oportunius hanc quæstionũ tractabimus in ultimo libro, cũ de uita beata nobis erit disserendũ. Superest illa pars tertia philosophiæ, quam uocant logicam, id est rationalem, in qua tota dialectica, & omnis loquẽdi ratio cõtinetur. Hanc diuina eruditio non desyderat, quia non in lingua, sed in corde

in corde sapiẽtia est: nec interest quali ut[illegible] sermone. Res enim non uerba quæruntur. Et nos non de grammatico, aut oratore, quorum scientia est, quomodo loqui deceat: sed de sapiente disserimus, cuius doctrina est, quomodo uiuere oporteat. Quod si neq; physica illa ratio necessaria est, neq; hæc logica: quia beatos facere non possunt: restat ut sola ethica totius philosophiæ uis contineatur, ad quam se abiectis omnibus Socrates cõtulisse dicitur. In qua etiam parte quoniam philosophos errasse docui, qui summum bonum, cuius capiendi gratia generati sunt, non comprehenderunt, apparet falsam, & inanem esse philosophiã: quia nec instruit ad iustitiæ munera, nec officium hominis, rationemq; confirmat. Sciant igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiam: non trahantur authoritate cuiuspiam, sed ueritati potius faueant: & nullus hic temeritati locus est, in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Homo autem, qualiscũq; est, si sibi credit, hoc est, si homini credit (ut non dicam stultus, qui suum non uideat errorem) certe arrogans est, qui sibi audeat uẽdicare, quod humana cõditio nõ recipit. Ille ipse Rhomanæ linguæ summus author quantum fallatur, licet ex illa sententia peruidere: qui cum in libris officiorum, philosophiam nihil aliud esse dixisset, quàm studium sapientiæ, ipsam autem sapientiam rerum diuinarum, & humanarum scientiam, tum adiecit. Cuius studiũ qui uituperat, haud sane intelligo, quid nam sit, quod laudandum putet. Nam si oblectatio quæritur animi, requiesq; curarũ, quæ conferri cum corũ studijs possunt, qui semper aliquid inquirũt, quod spectet, & ualeat ad bene, beateq; uiuendum: siue ratio constãtiæ quæritur uirtutisq; ducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur, nullam dicere maximarum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominũ est parũ consyderate loquentium, atq; in maximis rebus errantium. Si autem

autem est aliqua disciplina uirtutis, ubi ea quærctur, cum ab isto genere discendi discesseris? Equidem tametsi operam dederim, ut quantulamcunq; dicendi assequerer facultatem propter studium dicendi, tamen eloquens nunquam fui: quippe qui forum ne attigerim quidem: sed necesse est ipsa me faciat causæ bonitas eloquentem: ad quam diserte, copioseq; defendendam scientia diuinitatis, & ipsa ueritas sufficit. Vellem igitur Ciceronem paulisper ab inferis surgere, ut uir eloquentissimus ab homunculo non diserto doceretur. Primum quid nam sit, quod laudandum putet, qui uituperat id studium, quod uocatur philosophia. Denique neque illam esse artem, qua uirtus, & iustitia discatur, nec aliam ullam, sicut putauit. Postremo quoniam est uirtus disciplina, ubi quærenda sit, cum ab illo discendi genere discesseris, quod ille non audiendi, discendique gratia quærebat. A quo enim posset audire, cum sciret id nemo? Sed ut in causis facere solebat, interrogatione uoluit urgere, ad confessionemque deducere, tanquàm confideret, responderi prorsus nihil posse, quo minus philosophia esset magistra uirtutis. Quod quidem in Thusculanis disputationibus aperte professus est ad eam ipsam conuersa oratione, tanquàm se declamatorio dicendi genere iactaret. O uitæ philosophia dux, inquit, ô uirtutis indagatrix, expultrixque uitiorum: quod non modo nos, sed omnino uita hominum sine te esse potuisset? Tu inuentrix legum, tu magistra morum, ac disciplinæ fuisti. Quasi uero aliquid per se ipsa sentiret, ac non potius ille laudandus esset, qui eam tribuit. Potuit eodem modo gratias agere cibo, & potui: quia sine his rebus uita constare non possit, in quibus ut sensus, ita beneficij nihil est. Atqui ut illa corporis alimenta sunt, sic animæ sapientia.

Quod

Quod Lucretius, et alii errauerũt opinati sapientiã inuentã esse ab homine, et nec datã hominibus à creatore. Et quomodo Cicero suis verbis cõuincitur: et quod philosophia, nec verũ docet, nec ad recte viuendũ instruit. Cap. XIIII.

RECtius itaq; Lucretius, cum eum laudat, qui sapientiam primus inuenit, sed hoc inepte, quod ab homine inuentã putauit. Quæ si uero illam alicubi iacentem homo ille, quẽ laudabat, inuenerit, tanquàm tibias ad fontẽ, ut poëtæ aiunt: quod sic repertorem sapientiæ, ut Deum laudauit. Ita enim dicit:

Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam si ut ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum est: Deus ille fuit, Deus inclyte Memmi.

Tamen non erit sic laudandus Deus, quod sapientiam inuenerit sed quod hominem fecerit, qui posset capere sapientiam. Minuit enim laudem, qui partem laudat ex toto. Sed ille ut hominẽ laudauit, qui tamen ob idipsum deberet pro Deo haberi, quod sapere inuenerit. Nam sic ait:

Nonne decebit
Hunc hominem numero diuũm dignarier esse?

Vnde apparet Pythagoram uoluisse laudare, qui se primus (ut dixi) philosophũ nominauit, aut Milesium Thalem, qui de rerũ natura primus traditur disputasse. Sed dũ hominem quærit extollere, rem ipsam depressit. Non est enim magna, si ab homine potuit inueniri: Verum potest, ut poëtæ, dari uenia. At ille idem perfectus orator, summusq; philosophus, ne Græcos reprehendam, quorũ leuitatem semper accusat, & tamẽ sequitur ipsam sapientiam, quam alias donũ, alias inuentũ deorum uocat, poëtice figuratam

figuratam laudat in facie. Grauiter etiam quæritur extitisse aliquos, qui eam uituperarent. Quisnam ne, inquit, uituperare uitæ parentē, & hoc paricidio se inquinare audeat, et tam impie ingratus esse? Nos ergo, M. Tulli, paricidæ sumus, & insuendi te iudice in culeum, qui philosophiam negamus parentē esse uitæ? An tu, qui aduersus Deū tam impie ingratus es (nō hunc, cuius effigiē ueneraris in capitolio sedentem, sed illū, qui mundū fecit, hominemq; figurauit, qui sapientiam quoq; ipsam inter cætera cœlestia sua beneficia largius est) magistram tu uirtutis, aut parentem uitæ uocas: ad quam si quis accesserit, multo sit incertior necesse est, quàm prius fuerit? Cuius enim uirtutis, quæ ipsa ubi sita sit, adhuc philosophi nō expediunt? Cuius uitæ? cū ipsi doctores ante fuerint senectute, ac morte confecti, q̄ constituerint quomodo uiui deceat. Cuius ueritatis indagatricē profiteri potest? qui sæpe testaris, cum tāta multitudo fuerit philosophorum sapientem tamē extitisse adhuc neminē. Quid ergo te magistra illa uitæ docuit? An ut potentissimū consulem maledictis incesseres, eumq; hostem patriæ uenenatis orationibus faceres? Sed omittamus illa, quæ possunt excusari fortunæ nomine. Studuisti nēpe philosophiæ, & quidē sic, ut nullus unquam diligentius: quippe qui omnes cognoueris disciplinas, sicut ipse gloriari soles: eamq; ipsam latinis literis illustraueris, imitatorēq; te Platonis ostenderis. Cedo igitur quid didiceris, aut in qua secta ueritatem deprehenderis. In Academia, scilicet quam secutus es, quam probasti? At hæc nihil docet, nisi ut scias, te nihil scire. Tui ergo te libri arguunt, quod nihil à philosophia discī possit ad uitā. Hæc tua uerba sunt. Mihi autem non modo ad sapientiam cæci uidemur, sed ad ea ipsa quæ aliqua ex parte cerni uidēatur, hebetes et obtusi. Si ergo philosophia est magistra uitæ, cur tibi cæcus, & hebes, & obtusus uidebare, quem oportuit illa docentē & sentire, & sapere, & in clarissima luce uersari?

At quam

At quam confessus fueris pholosophiæ ueritatem, docet ad filiũ composita præcepta: quibus mones philosophiæ quidem præcepta noscenda, uiuendum autem esse ciuiliter. Quid tam repugnans dici potest? Si noscenda sunt præcepta philosophiæ, ideo utiq; noscenda sunt, ut recte, sapienterq́; uiuamus. Vel si ciuiliter uiuendum est, non est igitur philosophia sapientia: siquidem melius est ciuiliter quàm philosophice uiuere. Nam si sapientia est quæ dicitur philosophia, stulte profecto uiuit, qui non secundum philosophiam uiuit. Si autem non stulte uiuit qui ciuiliter uiuit, sequitur ut stulte uiuat qui philosophice uiuit. Tuo itaq; iudicio philosophia stultitiæ inanitatisq́; damnata est. Idem in cõsolatione, id est in opere nõ ioculari, hãc de philosophia sententiam tulisti. Sed nescio quis nos teneat error, aut miserabilis ignoratio ueri. Vbi est ergo philosophiæ magisterium? aut quid te docuit illa uitæ parens, si uerum miserabiliter ignoras? Quod si hæc erroris, ignorationisq́; confeßio, pene inuito tibi ab intimo pectore expresso est, cur nõ tibi aliquando uerum fatebaris philosophiam, quam tu nihil docentem in cœlum laudibus extulisti, magistram uirtutis esse non posse?

Quod in eodem errore fuit Seneca: & quid philosophia secũdũ ipsum: & quod sicut deus vnus, & veritas vna, ita vna est, & simplex sapiẽtia. & quomodo philosophorũ oratio pugnet cũ vita. Ca. XV.

EOdem ductus errore Seneca (quis enim uerã uiam teneret errante Cicerone?) Philosophia, inquit, nihil aliud est, q̃ recte uiuendi ratio, uel honeste uiuẽdi scientia, uel ars recte uitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bene honesteq́; uiuendi. Et qui dixerit illã regulam uitæ, suũ illi

nomen

nomen reddidit. Hic plane nõ respexit ad cõmune philosõphiæ nomẽ: quæ cum sit in plureis sectas, disciplinasq; diffusa, nihilq; habeat certi, nihil deniq;, de quo uniuersi una mẽte, ac uoce consentiant: quid potest esse tam falsum, quàm regulam uitæ philosophiam uocari, in qua diuersitas præceptorum rectum iter impediat, & turbet? aut legem bene uiuendi, cuius capita longe dissonant? aut scientiam uitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur contraria sæpe dicendo, quàm ut nemo quicq; sciat? Quæro enim utrum ne Academiam philosophiã putet esse, an non? Negaturũ nõ arbitror: quod si est, nihil ergo illorum cadit in philosophiã, quæ ut omnia reddat incerta, legem abrogat, artẽ nullam putat, rationem subuertit, regulam deprauat, scientiam funditus tollit. Falsa igitur illa omnia, quia in rem semper incertam, & adhuc nihil explicantem cadere non possunt. Nulla itaq; ratio, uel scientia, uel lex bene uiuendi, nisi in hac unica, & uera, & cœlesti sapientia constituta est, quæ philosophis fuit ignota. Nam illa terrena, quoniam fallax est, uaria, & multiplex, sibiq; tota contraria est, & sicut unus est huius mundi constitutor, & rector Deus, una ueritas, ita unam esse, ac simplicem sapiẽtiam necesse est, quia quicquid est uerum, ac bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare. Quod si philosophia uitam posset instruere, nulli alij nisi philosophi essent boni. Et qui eam non didicissent, essent omnes semper mali: cum innumerabiles existant et semper extiterint, qui sint, aut fuerint sine ulla doctrina boni ex philosophis autem perraro fuerit, qui aliquid in uita fecerit laude dignum. Quis est tandem, qui non uideat, eos homines uirtutis, qua ipsi egent, non esse doctores? Nam si quis mores eorũ diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, proteruos, & sub obtentu sapiẽtiæ sua uitia cælantes, domi facientes ea, quæ in scholis arguissent. Fortasse mentior accusandi gratia, nonne idipsum Tullius et fatetur, et quæriturẽ

Quotus (inquit) quisq; philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo & uita constitutus, ut ratio postulat: qui disciplinam ueram, non ostentationem scientiæ, sed legem uitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis? Videre autem licet alios tanta leuitate & iactatione, ut his fuerit nõ didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum seruos, ut cum eorum uita, & uitijs mirabiliter pugnet oratio. Neposq; Cornelius ad eundē Ciceronē ita scribit: Tantū abest, ut ego magistram esse putem uitæ philosophiam, beatæq; uitæ perfectricē, ut nullis magis existimē opus esse magistris uiuendi quàm plerisq; qui in ea disputãda uersantur. Video enim magnã partem eorum, qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus uiuere. Item Seneca in exhortationibus: Pleriq; (inquit) philosophorum tales sunt diserti in conuitium suum: quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorãtes, iudicium sui putes professos. Adeò redundant ad ipsos maledicta, in publicũ missa, quos nos non aliter intueri decet, quàm medicos quorum tituli remedia habẽt, pyxides uenena. Quosdam uero nec pudet uitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suæ fingunt: ut etiam honeste peccare uideantur. Faciet sapiens (inquit idem Seneca) etiam quæ non probabit, ut etiam ad maiora transitum inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit, ut quibus alij utuntur in gloriam aut uoluptatem, utatur agẽdæ rei causa. Deinde paulo post: Omnia, quæ luxurioſi faciunt, quæq; imperiti, faciet & sapiens: sed non eodem modo, eodemq; proposito. Atqui nihil interest quo animo facias, quod feciſſe uitiosum est, quia facta cernuntur, animus non uidetur. Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili scorto fuit consuetudo: quod flagitiũ grauis ille philosophiæ doctor sic defendebat, ut diceret multum inter se, & cæteros Laidis amatores interesse: quod ipse haberet

haberet Laidem, alij uero à Laide haberentur. O præclara, & imitãda bonis sapientia: huic uero liberos in disciplinam dares, ut discerent habere meretricem? Aliquid inter se, ac perditos interesse dicebat. scilicet quod illi bona sua perderet, ipse gratis luxuriaretur. In quo tamen sapientior meretrix fuit: quæ sic philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis iuuentus doctoris exemplo, & authoritate concurreret corrupta sine ullo pudore. Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet: cum eum populus, & riuales sui uiderent omnibus perditis nequiorem? Nec satis fuit ita uiuere, sed docere etiam libidines cœpit: ac mores suos de lupanari ad schola transtulit, disserens uoluptatem corporis esse summum bonum. Quæ doctrina execrabilis, & pudenda, non in corde philosophi, sed in sinu meretricis est nata. Nam quid ego de Cynicis loquar? quibus in propatulo coire cum cõiugibus mos fuit: quid mirum si à canibus, quorum uitam imitantur, etiam uocabulum, nomenq; traxerunt? Nullum igitur in hac disciplina magisterium uirtutis est? cum etiam illi, qui honestiora præcipiunt aut nõ faciunt ipsi quæ suadẽt, aut si faciunt (quod raro accidit) non disciplina eos ad rectum, sed natura perducat, quæ sæpius etiam indoctos impellit ad laudem.

Quod recte docentes, et male viuentes (teste Cicerone) nõ vtilitatẽ ex philosophia, sed inanẽ percipiũt delectationẽ Et quod sapientia seipsam semper exercet in bonis actibus: et quare non philosophiæ, sed sapientiæ ipsi iugiter insistendum sit. Cap. XVI.

VErum cum enim se perpetuæ desidiæ tradant, nullamq; uirtutem capessant, & omnem suam uitam nihil aliud q̃ in eloquentia paragant: quid aliud quàm inertes putari debent? Sapientia autem nisi in aliquo actu fuerit, quo uim suam exerceat, inanis, & falsa est. Rectéq; Tullius ciuiles uiros, qui rempublicam gubernant: qui urbes aut nouas constituant, aut constitutas æquitate tueantur: qui salutem, libertatemq; ciuium, uel bonis legibus, uel salubribus consilijs, uel iudicijs grauibus conseruẽt, philosophiæ doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet, potius quàm inclusos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipsi quidem faciunt, qui loquuntur: & quoniam se à ueris actibus remouerunt, apparet eos exercendæ linguæ causa, uel adulocandi gratia artem ipsam philosophiæ reperisse. Qui autem docent tantum, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores docent non obtemperare? Bonum est autem recta, & honesta præcipere: sed nisi & facias, mendacium est, & incongruens, atq; ineptum, nõ in pectore, sed in labijs habere bonitatem. Non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petũt. Quod quidem Cicero testatus est: Profecto (inquit) omnis istorum disputatio, quanq̃ uberrimos fontes uirtutis, & scientiæ contineat, tamen collata cum horum actis, perfectisq; rebus, uereor ne tantum uideatur attulisse negotijs hominum, quantum oblectationem ocij. Verè quidem non debuit, cum uerum diceret: sed quasi timeret, ne proditi mysterij reus à philosophis citaretur. Non est ausus confidenter pronunciare, quod fuit uerum, illos non ideo disputare, ut doceant quicquam, sed ut se oblectent in ocio: qui quoniam authores sunt rerum gerendarum, nec ipsi quicquid gerunt, proloquacibus sunt habendi. Sed profecto, quia nihil boni ad uitam afferebant, nec ipsi decretis suis obtemperauerunt, nec quisquam per tot secula inuentus est, qui eorum legibus uiueret. Abijciẽda est igitur

est igitur omnis philosophia: quia non studendum est sapientiæ quod fine ac modo careat, sed sapiendum est, & quidem maturè. Non enim nobis altera uita cõceditur, ut cum quæramus in hac sapientiam, in illa sapere possimus: in hac utrunq; fieri necesse est. Cito inueniri debet, ut cito suscipi possit: ne quid pereat ex uita, cuius finis incertus est. Ciceronis Hortensius contra philosophiam disserens, circunuenitur arguta conclusione: qui cum diceret philosophandum non esse, nihilominus philosophari uidebatur: quoniam philosophi est, quid in uita faciendum, uel nõ faciẽdum sit, disputare. Nos ab hac calumnia immunes, ac liberi sumus, qui philosophiam tollimus: quia humanæ cogitationis inuentio est. Sophiã defendimus, quia diuina traditio est: eamq; ab omnibus suscipi oportere testamur. Ille, cum philosophiam tolleret, nec melius aliquid afferret, sapiẽtiam tollere putabatur, coq; facilius de sententia pulsus est: quia constat hominem non ad stultitiam sed ad sapientiam nosci. Præterea illud quoq; argumentum contra philosophiam ualet plurimum, quo idẽ est usus Hortensius, ex ipso posse intelligi philosophiam non esse sapientiam, quod principium, & origo eius appareat. Quando (inquit) philosophi esse cœperunt? Thales (ut opinor) primus, recẽs hæc quidem ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste inuestigandæ ueritatis? Idem Lucretius ait:

Deniq; natura hæc rerum, ratioq; reperta est
Nuper: & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim uertere uoces.

Et Seneca, Nondũ sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapiẽtiæ nota sunt. Multis ergo seculis humanũ genus sine ratione uixit. Quod irridẽs Persius, postquàm inquit, sapere urbi cum pipere & palmis uenit, tanquam sapiẽtia cum saporis mercibus fuerit inuecta: quæ si secundum hominis naturam est, cum homine esse cœperit necesse est. Si uero nõ est, nec capere quidem illã posset

humana natura. Sed quia recepit, igitur à principio fuisse necesse est: ergo philosophia, quia non à principio fuit, non est eadem uera sapientia: sed uidelicet Græci, qui sacras ueritatis literas nõ attigerant, quemadmodum deprauata esset sapientia, nescierunt. Et ideo cum uacare sapientia humanam uitam putarent, philosophiam commenti sunt: id est latentem, atq; ignotã sibi ueritatem differendo crucre uoluerunt: quod studium per ignorantiam ueri sapientiam putauerunt.

Quæ fuit ipsa doctrina Epicuri, quæ moribus oĩm appositissima loquebatur: Et quomodo Leucippũ, et Democritũ habuerit authores erroris, et fabros atomorũ, et asertores voluptatis. Ca. XVII

DIxi de philosophia ipsa quàm breuiter potui, nunc ad philosophos ueniamus: non ut cum eisdem certemus, qui stare non possunt, sed ut eos fugientes, atq; deiectos nostro campo insequamur. Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit, quàm cæterorum: non quia ueri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen uoluptatis inuitat. Nemo enim non in uitia pronus est. Præterea, ut ad se multitudinem contrahat, apposita singulis quibusq; moribus loquitur. Desidiosum uetat literas discere, auarum populari largitione liberat: ignauum prohibet accedere ad rempublicam, pigrum exercere, timidum militare. Irreligiosus audet deos nihil curare: inhumanus, & suis commodis seruiens, iubetur nihil cuiq; tribuere: Omnia enim sui causa facere sapientem: fugienti turbam solitudo laudatur. Qui nimium parcus est, discit aqua & polenta uitam posse tolerare. Qui odit uxorem, huic enumerantur cœlibatus bona: habenti malos liberos, orbitas prædicatur. Aduersus impios parentes nullũ esse

uiticulum

uinculum naturæ: impatienti, ac delicato, dolorem esse omnium malorũ maximum dicitur, forti etiam in tormentis beatum esse sapientẽ. Qui claritati, ac potẽtiæ studet, huic præcipitur reges colere. Qui molestiam ferre non potest, huic regiam fugere. Ita homo astutus ex uarijs, diuersisq; moribus circulũ colligit: & dũ studet placere omnibus, maiore discordia secũ ipse pugnauit quàm inter se uniuersi. Vnde autẽ disciplina eius tota descendat, quam originem habeat, explicandũ est. Videbat Epicurus bonis aduersa semper accidere, paupertatem, labores, exilia, charorum amissiones: malos contra, beatos esse, augeri potẽtia, honoribus affici: uidebat innocentiam minus tutam: scelera impune committi uidebat sine delectu morum, sine ordine, ac discrimine annorum sæuire mortem, sed alios ad senectutem peruenire, alios infantes rapi, alios iam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui, in bellis potius meliores & uinci, & perire. Maxime autem commouebat, homines in primis religiosos grauioribus malis affici. Iis autem, qui aut deos omnino neglexerunt, aut non pie coluerunt, uel minora incommoda euenire, uel nulla, ipsa etiam templa fulminibus conflagrare. Quod Lucretius quæritur, cum dicit de Deo:

Tum fulmina mittat, & ædes
Sæpe suas disturbet: & incerta recedens
Sæuiat exercens telum: quod sæpe nocenteis
Præterit, examinatq; indignos, inq; merenteis.

Quod si uel exiguam ueritatis auram colligere potuisset, nunq; diceret ædes illum suas disturbare: cum ideo disturbet, quod non sunt suæ. Capitolium, quod est Rhomanæ urbis & religionis caput summum, non semel, sed sæpius fulmine ictum conflagrauit. Homines autem ingeniosi quid de hoc existimauerint, ex dicto Ciceronis apparet: qui ait diuinitus extitisse illã flammam nõ quæ terrestre illud domicilium Iouis deleret, sed quæ sublimius

magnificentiusq; deposcerct. Qua de re etiam in libris consul tus sui eadem dixit, quæ Lucretius:

Nam pater altitonans stellanti nixus olympo,
Ipse suas arces, atq; inclyta templa petiuit,
Et capitolinis iniccit sedibus ignes.

Pertinaci ergo stultitia non modo uim, maiestatemq; ueri Dei non intellexerunt, sed etiam impietatem sui erroris auxerunt: qui templum cœlesti iudicio sæpe damnatum restituere contra fas omne cõtenderint. Cum hæc igitur cogitaret Epicurus, earũ rerum uelut iniquitate inductus (sic enim causam, rationemq; ignoranti uidebatur) existimauit, nullã esse prouidẽtiam. Quod cum sibi persuasisset, suscepit etiam defendendum, sic in errores inextricabiles se ipse inclusit. Si enim prouidentia nulla est, quo modo tam ordinate, tam dispositè mundus effectus est? Nulla, inquit, dispositio est: multa enim facta sunt aliter, quàm fieri debuerunt. Et inuenit homo diuinus, quæ reprehenderet. Quæ singula si uacaret refellere, facile ostenderem, nec sapientem hunc fuisse, nec sanum. Item si nulla prouidentia est, quomodo animalium corpora tam prouidenter ordinata sunt, ut singula quæq; membra mirabili ratione dispositа, sua officia cõseruent? Nihil, inquit, in procreandis animalibus prouidentiæ ratio molita est. Nam neq; oculi facti sunt ad uidendum, neq; aures ad audiendũ neq; lingua ad loquendum, neq; pes ad ambulandum: quoniam prius hæc nata sunt, quàm esset loqui, audire, uidere, ambulare. Itaq; non hæc ad usum nata sunt, sed usus ex illis natus est. Si nulla prouidentia est, cur imbres cadunt, fruges oriũtur, arbusta frondescunt? Non, inquit, semper animantium causa ista fiunt: quoniam prouidẽtiæ nihil prosunt, sed omnia sua sponte fieri necesse est. Vnde ergo nascuntur, aut quomodo fiunt omnia, quæ geruntur? Non est, inquit, prouidentiæ opus. Sunt enim semina per inane uolitãtia, quibus inter se temere cõglobatis, uniuersa

gignuntur,

gignuntur,atq; concreſcant. Cur igitur illa non ſentimus,aut nõ cernimus? Quia nec colorem habent,inquit,nec calorem ullum, nec odorem, ſaporis quoq; & humoris expertia ſunt: & tam minuta,ut ſecari,ac diuidi nequeant. Sic eum,quia in principio falſum ſuſceperat,conſequentium rerũ neceſſitas ad deliramẽta perduxit. Vbi enim ſunt,aut unde iſta corpuſcula? Cur illa nemo præter unum Leucippum ſomniauit? A quo Democritus eruditus hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro. Quæ ſi ſint corpuſcula,et quidem ſolida,ut diant,ſub oculos certe uenire poſſunt. Si eadem eſt natura omniũ,quomodo res uarias efficiunt? Vario inquit,ordine,ac poſitione cõueniunt,ſicut literæ: quæ cum ſint paucæ,uariæ tamen collocatæ,innumerabilia uerba conficiunt. At literæ uarias formas habent. Ita,inquit,& hæc ipſa primordia: nam ſunt aſpera,ſunt hamata,ſunt leuia. Secari ergo, & diuidi poſſunt, ſi aliquid ineſt illis,quod emineat. Si autem leuia ſunt,& humoris indigent,cohærere nõ poſſunt. Hamata igitur eſſe oportet,ut poſſint inuicem concatenari. Cum uerõ tam minuta eſſe dicantur, ut nulla ferri acie diſijci ualeant, quomodo hamos,aut angulos habent? Quos,quia extant,neceſſe eſt poſſe diuelli. Deinde quo fœdere inter ſe,qua mente conueniunt,ut ex his aliquid conſtituatur? ſi ſenſu careant,nec coire tam diſpoſitæ poſſunt: quia nõ poteſt quicquam rationale perficere,niſi ratio. Quàm multis coargui hæc uanitas poteſt,ſed properat oratio.

Hic eſt ille,

Qui genus humanum ingenio ſuperauit: & omnes
Reſtinxit ſtellas,exortus uti ætherius ſol.

Quos equidem uerſus nunq̃ ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate,aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui uelut reges habentur philoſophorũ,ſed de homine,quo ſano,& uigẽte nullus æger ineptius deliraſſet. Itaq; Poëta inaniſſimus leonis laudibus murẽ nos ornauit,ſed obruit et obtriuit. At idẽ nos metu liberat

mortis,

mortis, de qua hæc ipsius uerba sunt expressa. Quando nos sumus, mors non est: quando nos non sumus, mors est: mors ergo nihil ad nos. Quàm argute nos fefellit, quasi uero trãsacta mori timeatur: quia iam sensus ereptus est, ac nõ ipsum mori, quo sensus eripitur. Est igitur tempus aliquod, quo & nos iam sumus, et mors tamẽ nondũ est. Idq; ipsum uidetur miserũ esse, & quod mors esse incipit, & nos esse desinimus. Nec frustra dictum est, mors misera nõ est. Aditus ad mortẽ est miser, hoc est morbo tabescere, ictũ perpeti, ferrũ corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarũ laniari. Hæc sunt quæ timentur, non quia morte afficiunt, sed quia dolorẽ magnũ. Quin potius effice, ne dolor malum sit. Omnium, inquit, malorũ maximũ est. Quid ergo nõ possum non timere, si id, quod mortem antecedit, aut efficit, malum est? Quid, quod totum illud argumentum falsum est? quia animæ intereunt uero inquit: nam quod cum corpore nascitur, cum corpore intereat necesse est. Iam superius dixi, differre hunc locum melius, & opere ultimo reseruare, ut hanc Epicuri persuasionẽ, siue illa Democriti, siue Dicæarchi fuit, argumentis, & diuinis testimonijs redarguam. Verum ille fortaße impunitatem uitijs suis spopondit. Fuit enim turpissimæ uoluptatis assertor, cuius capiendæ causa nasci hominem putauit. Quis cũ hoc affirmãti audiat, uitijs, & sceleribus abstineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus diuitias, ut omnes suauitates capere possimus. Quæ si nobis desunt, ab ijs qui habent, auferamus clam, dolo, uel. Eo magis, si humanas res nullus Deus curat, quandocunq; spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapiẽtis est enim male facere: si & utile sit, & tutum: quoniam si quis cælo Deus est, non irascitur cuiquam. Aeq; stulti est & benefacere: quia sicut ira non commouetur, ita nec gratia tangitur. Voluptatibus igitur quoquo modo possimus, seruiamus. Breui enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullũ diem, nullũ deniq; temporis punctũ fluere

fluere nobis sine uoluptate patiamur: nec quia ipsi quandoq; pe-
rituri sumus, idipsum, quod uiximus, pereat. Hoc ille tametsi nõ
dicit uerbo, re tamen ipsa docet. Nam cum disputat omnia sa-
pientem sua causa facere, ad utilitatem suam refert omnia, quæ
agit. Itaq; qui audit hæc flagitia, nec boni quicquam faciendum
putabit: quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam: nec
à scelere abstinendum, quia maleficio præda coniuncta est. Ar-
chipirata quispiam uel latronum ductor, si suos ad grassandũ
cohortetur, quo alio sermone uti potest, quàm ut eadem dicat,
quæ dicit Epicurus? deos nihil curare: non ira, nõ gratia tangi:
inferorum pœnas non esse metuendas: quod animæ post mortẽ
occidant, nec ulli omnino sunt inferi: uoluptatem esse maximum
bonum: nullam esse humanam societatem: sibi quenq; consulere:
neminem esse qui alterum diligat nisi sua causa. Mortem nõ esse
metuendam forti uiro, nec ullum dolorem: quin etiam si torquea
tur, si uratur, nihil se actare dicat. Est planè cur quispiam putet
hanc uocem uiri esse sapientis, quæ potest latronibus aptissime
commodari?

Quomodo Pythagorici, et Stoici contrario Epicureis errore desipiant: sic animarum immortalitatẽ statuentes, ut eas in varia corpora transire mentiantur, et voluntariã mortẽ persuaserint inaniter philosophantibus. Cap. XVIII.

Alij autem cõtraria dixerunt, supercresse animas post mor
tem, & hi sunt maxime Pythagorici, ac Stoicã: quibus et
si ignoscendum est, quia uerum sentiunt, non possum tamen
non reprehendere eos, qui non scientia, sed casu inciderunt in
ueritatem. Itaque in eo ipso, quod recte sentiebant aliquid,
errauerunt.

errauerũt. Nam quum timerent argumentũ illud, quo colligitur necesse est ut occidant animæ cum corporibus: quia cum corporibus nascuntur: dixerunt nõ nasci animas, sed insinuari potius in corpora, & de alijs in alia migrare corpora. Nõ putauerũt aliter posse fieri, ut supersint animæ post corpora, nisi uidẽtur fuisse ante corpora. Par igitur, ac prope similis error est partis utriusq;. Sed hæc in præteritũ falsa est, illa in futuro. Nemo enim uidit, quod est uerissimũ, & nasci animas & non occidere: quacur id fieret, aut quæ ratio esset, homines nescierunt. Multi ergo ex ijs, qui æternas esse animas suspicabantur, tanquam in cœlũ migraturi essent, sibijpsis manus intulerunt: ut Cleanthes, & Chrysippus, ut Zeno, & Empedocles, qui se in ardentis Ætnæ specum intempesta nocte deiecit: ut cũ repente non apparuisse, abijsse ad deos crederetur. Ex Rhomanis Cato, qui fuit in omni sua uita Socraticæ uanitatis imitator. Nam Democritus in alia fuit persuasione. Sed tamen

Sponte sua leto caput obuius obtulit ipse.

Quo nihil sceleratius fieri potest: Nã si homicida nefarius est, qui hominis extinctor est, cidẽ sceleri obstrictus est, qui se necat, qui hominem necat: Imo uero maius esse facinus existimandum est, cuius ultio Deo soli subiacet. Nam sicut in hanc uitam non nostra sponte uenimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu nobis recedendum est: qui nos in hoc corpus induxit tandiu habitaturos, quãdo nec iubeat emitti. Et si uis aliqua inferatur, æqua mente patiendum est: cum extincta innocentis anima inulta esse non possit. habeamusq; uindicem magnũ, cui soli uindicta integra semper est. Homicidæ igitur illi omnes philosophi, & ipse Rhomana sapientiæ princeps Cato, qui antequàm se occideret, perlegisse Platonis librum dicitur: qui est scriptus de æternitate animarũ, & ad summũ nefas philosophi authoritate cõpulsus est. Et hic tamen

tamen aliquam moriendi causam uidetur habuisse odium seruitutis. Quid Ambraciotes ille, qui cum eundem librũ perlegisset, præcipitem se dedit: ueri simile nullã aliam ob causam, nisi quod Platoni credidit? Execrabilis prorsus, ac fugienda doctrina, si abigit homines à uita. Quod si scisset Plato, atq; docuisset, à quo & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem uoluntariam, nec Catonem: sed eos ad uitam, & ad iustitiam potius erudisset. Nam Cato uidetur mihi causam quæsisse moriendi, nõ tam ut Cæsarem fugeret, quàm ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos sectabatur, nomenq; suum grandi aliquo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, si uiueret, nõ inuenio. Caius enim Cæsar, ut clemens erat, nihil aliud efficere uolebat, etiam in ipso belli ciuilis ardore, quàm ut bene mereri de Rep. uideretur, duobus optimis ciuibus Ciceronc, & Catone seruatis. Sed redeamus ad eos, qui mortem pro bono laudent. De uita quereris quasi uixeris, aut nunq̃ tibi ratio constiterit, cur omnino sis natus. Nonne igitur tibi ucrus ille, & communis omnium pater Terentianum illud iure increpaucrit, prius disce quid sit uiuere: si displiccbit uita, tum istoc utitor. Indignaris te malis esse subiectum, quasi quicquam mereris boni qui patrem, qui dominum, qui regem tuum nescis: qui quamuis clarissimam lucem intuearis oculis, mente tamen cæcus es, & in profundis ignorantiæ tenebris iaces. Quæ ignorantia effecit, ut quosdam dicere non puderet, idarro nos esse natos, ut scelerum pœnas lucremus: quo quid delirius dici possit non inuenio. Vbi enim uel quæ scelera potuimus admittere, qui omnino non fuimus? Nisi forte credemus inepto illi seni, qui se in priori uita Euphorbum fuisse mentitus est. Hic credo quod erat ignobili genere natus, familiam sibi ex Homeri carminibus adoptauit. O miram, & singularem Pythagoræ memoriam, ô miseram obliuionẽ nostrũ omnium,

omniũ,qui neſciamus,quid ante fuerimus,ſed fortaſſe uel erro
,aliquo , uel gratia ſit effectum , ut ille ſolus Lethæum gurgite
non attigerit,nec obliuionis aquam guſtaucrit : uidelicet ſene
uanus(ſicut ocioſæ aniculæ ſolent) fabulas tanquàm infantibu
credulis finxit. Quod ſi bene ſenſiſſet de ijs,quibus hæc locutu
eſt , ſi homines eos exiſtimaſſet , nunquàm ſibi tam petulante
mentiendi licentiam uendicaſſet: ſed deridẽda hominis leuiſſim
uanitas.Quid Ciceroni faciemus ? qui cum in principio conſo
lationis ſuæ dixiſſet , mendorum ſcelerum cauſa naſci homin
iterauit idipſum poſteà, quaſi obiurgans cum,qui uitam nõ e
malis plenam putet.Recte ergo profatus eſt,errore,ac miſeri
li ueritatis ignorantia ſe teneri.

Quod Cicero,et alii ſapientiſsimi im mortalitatem animarũ , ſed infideliter docent.Et quod mala vel bona mors ſit ponderanda ex anteacta vita , et gratia Dei. Caput. XIX.

AT illi,qui de mortis bono diſputãt,quia nihil ueri ſciũ
ſic argumẽtantur: Si nihil eſt poſt mortẽ,nõ eſt malum
mors:aufert enim ſenſum mali. Si autem ſemper ſunt animæ,ſ
etiã bonũ,quia immortalitas ſequitur.Quã ſententiã Cicero i
legibus ſic explicauit:Gratulemurq; nobis quoniã mors aut bo
uiorem,q̃ qui eſt in uita,aut certe nõ deteriorẽ eſt allatura ſtatũ
Nã ſine corpore animo uigẽte diuina eſt uita, ſenſu carẽti nihil
eſt mali.Argute,ut ſibi uidetur,quaſi nihil aliud eſſe poſſit.Atqui
utrunq; hoc falſum eſt. Docent enim diuinæ literæ,nõ extingui
animas,ſed aut pro iuſtitia præmio affici,aut pœna pro ſcelerib
bus ſempiterna.Nec enim fas eſt,aut eũ,qui ſceleratus in uita fu
liciter fuerit,effugere quod meretur : aut eum , qui ob iuſtitiam
miſerrimã

miserrimus fuerit, sua mercede fraudari. Quod adeo uerum est, ut idem Tullius in cõsolatione, nõ easdem sedes incolere iustos atq; impios prædicauerit. Nec enim omnibus (inquit) ijdem illi sapientes arbitrati sunt eundẽ cursum in cœlũ patêre: nã utrijs & sceleribus cõtaminatos deprimi in tenebras, atq; in cœno iacêre douerũt. Castos autẽ animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studijs, atq; artibus expolitos, leui quodã, & facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem peruolare. Quæ sententiæ superiori illi argumento repugnat. Illud enim sic assumptum est tanq̃ necesse sit omnem hominem natum immortalitate donari. Quod igitur erit discrimen uirtutis, ac sceleris, si nihil interest utrum ne Aristides sit aliquis, an Phalaris? utrum Cato, an Catilina? Sed hanc repugnantiã rerũ sententiarumq; non cernit, nisi qui tenet ueritatem. Si quis igitur nos roget, utrum ne mors sit bonũ, an malum: respõdebimus qualitatem eius ex uitæ ratione pendere. Nam sicut uita ipsa bonũ est, cum uirtute uiuitur, malũ si cũ scelere: ita & mors ex præteritis uitæ actibus ponderanda est. Ita fiet, ut si uita in dei religione transacta sit, mors malũ nõ sit: quia translatio est ad immortalitatem: sin aliter, malum sit necesse est? quoniã (ut dixi) ad æterna supplicia transmittit. Quid ergo dicemus, nisi errare illos, qui aut mortem appetũt tanquàm bonum, aut uitam fugiunt tanquàm malum? Nisi quod sunt iniquissimi, qui pauciora mala non compensant bonis pluribus. Nam cum omnem uitam per exquisitas, & uarias traducant uoluptates, mori aspiũt, si quid forte his amaritudinis superuenerit. Et sic habent, tanq̃ illis nunq̃ fuerit bene, si aliquãdo fuerit male. Damnant igitur uitam omnem, bonisq; pleni nihil aliud quàm male opinantur. Hinc nata est inepta illa sententia, hanc esse mortem, quam nos uitam putamus: illam uitam, quam nos pro morte timeamus: Ita primum bonum esse non nasci, secundum, citius mori. Quæ ut maioris sit authoritatis, Sileno attribuitur.

Cicero

Cicero in consolatione. Non nasci (inquit) longe optimum, nec in hos scopulos incidere uitæ. Proximũ autẽ si natus sis, quam primum mori, tanq̃ ex incendio effugere uiolentiam fortunæ. Credidiße illi uanißimo dicto exinde apparet, quod adiecit de suo ut ornaret. Quæro igitur, cui esse optimum putet non nasci cum sit nullus omnino, qui sentiat. Nam ut bonũ sit aliquid, aut malum, sensus efficit. Deinde cur omnium uitam nihil aliud esse quàm scopulos, et incendiũ putauerit: quasi aut in nostra fuerit potestate, ne nasceremur: aut uitam nobis fortuna tribuat, non deus, aut uiuẽdi ratio quicquam simile incẽdio habere uideatur. Non dissimile Platonis illud est, quod aiebat se gratias agere naturæ. Primum, quod homo natus esset potius quam mutũ animal. Deinde, quod mas potius quàm fœmina, quod Græcus quàm Barbarus. Postremo quod Atheniensis, non Thebanus, & quod temporibus Socratis. Dici non potest, quantam mentibus cæcitatem, quantosq; pariat errores ignoratio ueritatis. Ego plane contenderim, nunquam quicquam dictum eße in rebus humanis delirius, quasi uero si aut barbarus, aut mulier, aut asinus denique natus esset, idem ipse Plato esset, ac non illud ipsum quod natus fuißet. Sed Pythagore uidelicet credidit: qui ut uetaret homines animalibus uesci, dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare: quod & uanum et impoßibile est. Vanum, quia necesse non fuit ueteres animas in noua corpora inducere: cum idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit semper nouas facere. Impossibile, quia recte rationis anima tam immutare naturã status sui non potest, quàm ignis aut deorsum niti, aut in transuersum, fluminis modo, flammam suam fundere. Existimauit ergo homo sapiens fieri posse, ut anima, quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutũ animal includeretur: essetq; humano sensu prædita, ut intelligeret, ac doleret incongruenti se corpore oneratam. Quanto sanius faceret, si gratias

se agere

se agere diceret, quòd ingeniosus, quòd docilis natus esset, quòd in his opibus, ut liberaliter eruditetur. Nam quòd Athenis natus est, quid in eo beneficij fuit? an non plurimi extiterunt in alijs ciuitatibus excellenti ingenio, atq; doctrina uiri, qui meliores singuli, quàm omnes Athenienses fuerũt? Quanta hominũ milliæ fuisse credamus, qui & Athenis nati, & temporibus Socratis, indocti tamen, ac stulti fuerunt? Nõ enim aut parietes, aut locus, in quo quisq; est effusus ex utero, conciliat homini sapientiam. Quid uero attinuit, Socratis se temporibus natũ glóriari? Num Socrates ingenia discentibus potuit dare? Non uenit in mentem Platoni, Alcibiadẽ quoq;, & Critiam eiusdem Socratis assiduos auditores fuisse, quorum alter hostis patriæ acerrimus fuit, alter crudelissimus omnium tyrannorum.

Quod Socrates in eo fuit prudentior cæteris, quia à perscrutatione cœlestium et naturaliũ causis disputationẽ suspẽdit in quibus temere cõsumitur ingeniũ, et tẽpus, et in multis desipuit, quorũ subiiciuntur exempla. Cap. XX.

VIdeamus nunc, quid in Socrate ipso tam magnum fuerit, ut homo sapiens merito gratias ageret, illis temporibus se esse natum. Non inficior fuisse illum paulo cordatiorem, quàm cæteros, qui naturam rerum putauerunt ingenio posse comprehendi. In quo illos non tantum excordes fuisse arbitror, sed etiam impios: quod in secreta illius cœlestis prouidẽtiæ, curiosos oculos uoluerunt immittere. Rhomæ, & in plerisq; urbibus scimus esse quædam sacra, quæ aspici à uiris nefas habetur. Abstinent igitur aspectu, quibus illa contaminari non licet: & si forte uel errore, uel casu quopiam uir aspexerit, primo pœna eius, deinde instau-

ratione sacrificij scelus expiatur. Quid his facias, qui inconcessa scrutari uolunt. Nimirum multo sceleratiores, qui arcana mundi & hoc cœleste templum profanari impijs disputationibus quærunt, q̃ qui ædem Vestæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris intrauerunt. Quæ penetralia, quamuis adire uiris non liceat, tamen à uiris fabricata sunt. Hi uero non tantum impietatis crimen effugiunt, sed quod est multo indignius, eloquentiæ famam, aut ingenij gloriam consequuntur. Quid, si aliquid inuestigare possent? Sunt enim tam stulti in asseuerando, q̃ imbrobi in quærendo: cum neq; inuenire quicq̃ poßint, nec defendere, etiam si inuenerint. Nam si uerum uel fortuito uiderint, quod sæpius contingit, committunt, ut ab alijs id pro falso refellatur. Non enim descendit aliquis de cœlo, qui sententiam singulorum opinionibus ferat: quapropter nemo dubitauerit eos, qui ista cõquirant, stultos, ineptos, insanos esse. Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani: qui cum intelligeret hæc non posse inueniri, ab eiusmodi quæstionibus se remouit: ✝ Vereorq́; ✝ Aliter Veriorq́; in eo solo: multa enim sunt eius non modo laude indigna, sed etiã reprehensione dignißima: in quibus fuit suorum simillimus. Ex his unum eligam, quod ab omnibus sit probatum: celebre hoc prouerbiũ Socrates habuit: Quod supra nos, nihil ad nos. Procumbamus igitur in terrã, & manus nobis ad præclara opera datas conuertamus in pedes. Nihil ad nos cœlum, ad cuius contemplationem sumus excitati, nihil deniq; lux ipsa pertineat. Certe uictus nostri causa de cœlo est: quod si hoc sensit, non esse de rebus cœlestibus disputandum, ne illorum quidem rationem poterat comprehendere, quæ sub pedibus habebat. Quid ergo? num errauit in uerbis? Verisimile non est: sed nimirum id sensit, quod locutus est, religioni minime seruiendum. Quod si aperte diceret, nemo pateretur. Quis enim non sentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectũ, aliqua prouidentia gubernari? Quandoquidẽ nihil est, quod possit sine

ullo mo-

ullo moderatore consistere? Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Nauis sine gubernatore abit pessum. Et corpus relictū ab anima defluit: nedum putemus tantam illam molem aut constitui sine artifice, aut stare sine rectore tam diu potuisse. Quod si publicas illas religiones uoluit euertere, non improbo, quin etiam laudabo, si ipse quidem melius inuenerit. Verum idem per canem, & anserem deierabat. O hominem scurram (ut ait Zeno Epicuræus) ineptum, perditum, desperatum, si cauillari uoluit religionem: demētem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro deo haberet. Quis iam superstitiones Aegyptiorum audeat reprehendere, quas Socrates Athenis authoritate cōfirmauit suas? Illud uero nonne summæ uanitatis, quod ante mortē familiares suos rogauit, ut Aesculapio gallum, quem uouerat, pro se sacrarent? Timuit uidelicet, ne apud Radamanthum receptorē uoti, reus fieret ab Aesculapio. Dementissimum hominem putarem, si morbo affectus perisset. Cum uero hoc sanus fecerit, est ipse insanus, qui eum putet esse sapientem. En cuius temporibus natum esse se homo sapiens gratuletur.

Quod Plato didicerit à Socrate ea, quæ si obtineret, humani generis periret societas. Cap. XXI.

Videamus tamen, quid illum Socrates docuerit: qui cum totam physicam repudiasset, eo se contulit, ut de uirtute, atq; officio quæreret. Itaq; non dubito, quin auditores suos iustitiæ præceptis erudierit. Docente igitur Socrate non fugit Platonem, iustitiæ uim in æquitate consistere: siquidem omnes pari conditione nascuntur. Ergo, inquit, nihil priuati ac proprij habeant: sed ut pares esse possint, quod iustitiæ ratio desyderat, omnia in commune possideant. Fieri hoc potest, quàm diu de pecunia dici uidetur. Quod ipsum q̄ impossibile sit, & q̄ iniustum,

poteram multis rationibus ostendere. Concedamus tamen, u
possit fieri. Omnes enim sapientes erunt, & pecuniam conte
nent. Quo ergo illum communitas ista perduxit? Matrimoni
quoq;, inquit, communia esse debebunt: scilicet ut ad eandem m
lierem multi uiri, tanq; canes confluant, & is utiq; obtineat, qu
uiribus uicerit. Aut si sapientes sunt, ut philosophi, expecten
ut uicibus, tanq; lupanar habeant. O miram Platonis æquitat
Vbi est igitur uirtus castitatis? ubi fides coniugalis? quæ si toll
omnis iustitia sublata est. At idem dixit beatas ciuitates futur
fuisse, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentu
Huic ergo tam iusto, tam æquo uiro regnũ dares, qui alijs sus
lisset sua, alijs condonasset aliena? prostituisset pudicitiam m
lierum? quæ nullus unq; non modo rex, sed ne tyrannus quid
fecit. Quam uero intulit rationem turpissimi huius consilij
inquit: Ciuitas concors erit, & mutui amoris cõstricta uinculi
si omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & l
beri. Quæ ista confusio generis humani est? Quomodo seruar
potest charitas, ubi nihil est certum quod ametur? quis aut u
mulierem, aut mulier uirũ diliget, nisi habitauerint semper un
nisi deuota mens, & seruata inuicem fides induuiduam fœder
charitatẽ? quæ uirtus in illa promiscua uoluptate locũ nõ habe
Item si omnes omnium liberi fuerint, quis amare liberos, ta
suos potuerit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? quis hon
rem tanquam patri deferet, cum unde natus sit, nesciat? Ex qu
fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem
pro alieno. Quid, quod uxor potest esse communis, filius uer
non potest? quem concipi non nisi ex uno necesse est. Perit erg
matrimonij communitas, ipsa reclamante natura. Superest, u
tantummodo concordiæ causa uxores uelint esse communes. A
nulla uehementior discordiarum est causa, quàm unius fœmin
à multis maribus appetitio. In quo Plato, si ratione nõ potu
exemplo

exemplis certe potuit admoneri: & mutorum animalium quæ ob hoc uel acerrime pugnant: & hominum, qui semper ob eam rem grauissima inter se bella gesserunt.

Quod dogma Platonis non erat nisi criminis fons, et fomes, et virtutũ omniũ exterminiũ. Cap. XXII.

REstat ut communio ista nihil aliud habeat, præter adulteria, & libidines: propter quas funditus euertenda est uirtus uel maxime necessaria. Itaq; nõ inuenit concordiam, quã quærebat, quia non uidebat unde oriatur. Nam iustitia in extrapositis nihil momenti habet, nec in corpore quidem, sed tota in hominis mente uersatur. Qui ergo uult homines adæquare, non matrimonia, non opes subtrahere debet, sed arrogantiam, superbiam, tumorem, ut illi potentes, & elati pares esse se etiam mendacissimis sciant. Detracta enim diuitibus insolentia, & iniquitate, nihil intererit, utrum ne alij diuites, alij pauperes sint, cum animi pares sint: quod efficere nulla alia res præter religionem Dei potest. Putauit igitur se inuenisse iustitiam, cum eam prorsus euerteret: quia nõ rerum fragilium, sed mentium debet esse communitas. Nam si iustitia uirtutum omnium est mater, cum illæ singulæ tolluntur, ipsa subuertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem, quæ utiq; nulla est, ubi proprij nihil habeatur. Tulit abstinentiam, siquidem nihil fuerit, quo abstineatur, alienum. Tulit temperantiam, tulit castitatem, quæ uirtutes in utroq; sexu maximæ sunt. Tulit uerecundiam, pudorẽ, & modestiam, si honesta, & legitima esse incipiunt, quæ solent flagitiosa, & turpia iudicari. Sic uirtutem, cũ uult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietas, & uitiorum, & uirtutum materiam continet: communitas autem nihil aliud quàm uitiorum licentiam. Nam uiri, qui multas mulieres habent, nihil

aliud dici possunt, quàm luxuriosi, ac nepotes. Itẽ mulieres, q
à multis habentur, non utiq; adulteræ, quia certum matrimoni
nullum est, sed prostitutæ, ac meretrices sint necesse est. Red
ergo humanam uitam ad similitudinem non dico mutorum, s
pecudum ac belluarum. Nam uolucres pene omnes faciunt ma
trimonia, & paria iunguntur, & nidos suos tanq̃ genitales t
ros concordi mente defendunt, & fœtus suos, quia certi sun
dunt: & si alienos obiecceris, abigunt. At homo sapiens cont
morem hominum, contraq̃; naturam stultiora sibi, quæ sequ
tur, elegit. Et quoniam uidebat in cæteris animalibus officia m
rium, fœminarumq̃; non esse diuisa, existimauit oportere et m
lieres militare, & cõsilijs publicis interesse, magistratus gere
& imperia suscipere. Itaq; his arma, & equos assignauit: cu
quens est, ut lanam, & telam uiris, & infantium gestatione
Nec uidit impossibile esse, quæ diceret, ex eo, quod adhuc in u
beterræ, neq; tam stulta, neq; tam uana ulla gens extiterit, qu
hoc modo uiueret.

De minoribus philosophis, et quatenu in vitæ ratione ex rerum contemptu proficiant, et errores assertores sint. Caput. XXIII.

CVm igitur in tanta uarietate ipsi philosophorum pri
cipes deprehendantur, quid illos minores putabimus, q
nunq̃ sibi tam sapientes uideri solent, q̃ cum pecuniæ cõtemp
gloriantur? Fortis animus. Sed expecto quid faciant, et quo u
contemptus euadat. Tradita sibi à parẽtibus patrimonia, ta
malum fugiunt, ac deserunt. Et ne in tempestate nausragium f
ciant, in tranquillo se ultro præcipitãt. Nõ uirtute, sed peruer
metu fortes, sicut illi, qui, cum timent ne ab hoste iugulẽtur, ip
se iugulant, ut mortem morte deuitent. Sic isti, unde poss
glori

gloriam liberalitatis acquirere, sine honore, sine gratia perdũt. Laudatur Democritus, quod agros suos dereliquerit, eosq; pascua publica fieri passus sit. Probarem, si donasset. Nihil autem sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est, ac malum. Sed hæc negligentia tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium in nũmos redactũ effudit in mare? Ego dubito, utrum ne sanus, aut demẽs fuerit. Abite, inquit, in profundum malæ cupiditates: ego uos mergam, ne ipse mergar à uobis. Si tantus pecuniæ contemptus est, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus. Potest hoc quod perditurus es, multis succurrere, ne fame, aut siti aut nuditate moriantur. Imitare insaniam saltem, furorémque Tuditani, sperge populo diripienda. Potes & pecuniã effugere, et tonẽ bene collocare: quia saluũ est quicquid pluribus profuit. Zenonis autem paria peccata quis probat? Sed omittamus id, quod est ab hominibus semper irrisum. Illud satis est ad coërcendum furiosi hominis errorem: quia inter uitia, & morbos misericordiam posuit. Adimit nobis affectum, quo ratio humanæ uitæ pene omnis cõtinetur. Cũ enim natura hominis imbecillior sit, q̃ cæterorum animalium, quæ uel ad perferendam uim temporum, uel ad incursiones à suis corporibus arcendas naturalibus munimentis prouidentia cœlestis armauit. Homini autem, quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum: qui plane uocatur humanitas, qua nosmet inuicem tueremur. Nam si homo ad conspectum alterius hominis efferaretur, quod facere uidemus animantes, quarum natura solitaria est, nulla esset hominum societas, nulla urbium condendarum uel cura, uel ratio. Sic neq; uita quidem satis tuta cum cæteris animalibus exposita esset imbecillitas hominũ, & ipsi inter semetipsos belluarum more sæuirent. Non minor in alijs dementia. Quid enim dici potest de illo, qui nigram dixit esse niuem? quàm consequens erat, ut etiam picem albam esse diceret. Hic

est ille, qui se idcirco natum esse dicebat, ut cœlum, ac solem uideret, qui in terra nihil uidebat sole lucente. Xenophanes dicentibus Mathematicis, orbem lunæ duodeuiginti partibus maiorē esse, quàm terram, stultißime credidit. Et quod huic leuitati fuit consentaneum, dixit intra concauum lunæ sinum, esse aliam terram: & ibi aliud genus hominum simili modo uiuere, quo nos in hac terra uiuimus. Habent igitur illi lunatici homines alterā lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis. Et fortasse hic noster orbis alterius inferioris terræ luna sit. Fuisse Senecca inter Stoicos ait, qui deliberaret utrum ne Soli quoq; suos populos daret: inepte scilicet qui dubitauerit. Quid enim perderet si dedisset? Sed, credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo committeret, ne si æstu nimio perissent, ipsius culpa euenisse tanta calamitas diceretur.

De Antipodibus, quos ideo esse finxerūt, quia opinati sunt mundū esse rotundum. Cap. XXIIII.

QVid illi, qui esse contrarios uestigijs nostris Antipodas putāt? Nunquid aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum uestigia sunt superiora, q̄ capita? aut ibi quæ apud nos iacent, uniuersa pendere fruges, & arbores deorsum uersus crescere: pluuias, & niues, & grandines sursum uersus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari, cum philosophi & agros, & maria, & urbes, & montes pensiles faciant? Huius quoq; erroris aperiēda nobis origo est. Nam semper eodem modo falluntur. Cum enim falsum aliquid in principio sumpserint ueri similitudine inducti necesse est, eos in ea, quæ consequuntur, incurrere. Sic incidunt in uaria ridicula: quia necesse est falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem,

fidem, qualia sunt ea quæ sequuntur, non circunspiciunt, sed defendunt omni modo, cum debeãt prima illa utrum ne uera sint, an falsa, ex consequentibus iudicare. Quæ igitur illos ad antipodas ratio perduxit? Videbant syderũ cursus in oãsum meantium, solem, atq; lunam in eandem partem semper occidere, atq; oriri semper ab eãdẽ. Cum aũt non perspicerẽt, quæ machinatio cursus eorum temperaret: nec quomodo ab oãsu ad orientem remeant, cœlum autem ipsum in omnes partes putarent esse deuexum, quod sic uideri immẽsam latitudinem necesse est: existimauerunt rotundum esse mundum, sicut pilam: & ex motu syderum opinati sunt cœlum uolui, sic astra, solemq; cũ occiderint, uolubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaq; ætherios orbes fabricati sunt, quasi ad figuram mundi: eosq; cælarunt portentosis quibusdam simulachris, quæ astra esse dicerẽt. Hanc igitur cœli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa. Quòd si ita esset, terram ipsam globo similem: neq; enim fieri posset, ut nõ esset rotundum, quod rotundo inclusum teneretur. Si autem rotunda etiã terra esset, necesse est, ut in omnes cœli partes eandem faciem gerat, id est montes erigat, campos tendat, mária consternat. Quod si esset, sequebatur illud extremum, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæterisq; animalibus incolatur. Sic pendulos istos Antipodas cœli rotunditas adinuenit. Quod si quæras ab ijs, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam cœli partem: hanc respondent rerum esse nauram, ut pondera in medium ferantur, & ad medium connexa sint omnia, sicut radios uidemus in rota. Quæ aut em leuia sunt, ut nebula, fumus, ignis, à medio deferantur, ut cœlum petant. Quid dicam de ijs nescio, qui, cum semel aberrauerint, constanter in stultitia perseuerant, & uanis uana defendunt, nisi quod eos interdum puto ioci causa philosophari, aut prudentes, & scios mendacia defendenda susci-

pere:

ſuſcipere: quaſi ut ingenia ſua in malis rebus exerceãt, uel oſtentent. At ego multis argumẽtis probare poſſem, nullo modo fieri poſſe, ut cœlum terra ſit inferius, niſi et liber iam concludendus eſſet, & adhuc aliqua reſtarent, quæ magis ſint præſenti operi neceſſaria: & quoniam ſingulorum errores percurrere non eſt unius libri opus, ſatis ſit pauca enarraſſe, ex quibus poſſint qualia ſint cætera intelligi.

Quot & quãta prædiſcẽda ſunt, & alias neceſſaria gentiliter philoſophãtibus vt philoſophiã nullus aſſequatur, aut rarus. Cap. XXV.

NVnc pauca nobis de philoſophia in communi dicenda ſunt, ut cõfirmata cauſa peroremus. Suarrus ille noſter Platonis imitator exiſtimauit philoſophiam non eſſe vulgarẽ, & quod eam nõ niſi docti homines aſſequi poſſent. Eſt (inquit) philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſulta ipſa fugiẽs. Nõ eſt ergo ſapientia, ſi ab hominũ cœtu abhorret. Quoniam ſi ſapientia homini data eſt, ſine vllo diſcrimine omnibus data eſt, ut nemo ſit prorſus, qui eam capere nõ poſſit. At illi uirtutem humano generi datam ſic amplexantur, ut ſoli omnium publico bono frui uelle uiderentur: tam inuidi, q̃ ſi uelint deligare oculos, aut effodere cæteris ne Solem uideãt. Nam quid eſt aliud hominis negare ſapientiam, q̃ mentibus eorum, nerum ac diuinum lumen auferre? Quod ſi natura hominis ſapientiæ capax eſt, oportuit opifices, & ruſticos, & mulieres, & omnes denique, qui humanã formã gerũt, docceri, ut ſapiant, populũq; ex omni lingua, & conditione, & ſexu, & ætate conſtari. Maximũ itaq; argumẽtum eſt, philoſophiam neq; ad ſapientiam tendere, neq; ipſam eſſe ſapientiam, quod myſterium eius barba tantum celebratur, & pallio. Senſerunt hoc adeo Stoici, qui & ſeruis et

mulieribus

mulieribus philosophandum esse dixerunt. Epicurus quoq;, quê rudes omnium literarum ad philosophiam inuitat. Item Plato, qui ciuitatem de sapientibus uoluit componere. Conati quidem sunt illi facere, quod ueritas exigebat: sed nõ potuit ultra uerba procedi. Primũ, quia multis artibus opus est, ut ad philosophiã possit accedi. Discendæ literæ istæ cõmunes propter usum legẽdi quia in tanta rerum uarietate, nec disci audiẽdo possunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoq; non parum operæ dandum est, ut rectam loquendi rationem scias. Id multos annos auferat necesse est. Nec oratoria quidẽ ignoranda est, ut ea, quæ didiceris, proferre, atq; eloqui possis. Geometria quoq;, ac musica & astrologia necessaria est, quod hæ artes cum philosophia habent aliquã societatem: quæ uniuersa perdiscere neq; fœminæ possunt, quibus intra puberes annos officia mox usibus domesticis profutura discenda sunt: neq; serui, quibus per eos annos uel maxime seruiendũ est, quibus possunt discere: neq; pauperes, aut opifices, aut rustici, quibus in diem uictus labore est quærendus. Ob eam causam Tullius ait abhorrerẽ à multitudine philosophiam. At enim rudes Epicurus accepit. Quomodo ergo illa, quæ de principijs rerum dicuntur intelligent: quæ perplexa, & inuoluta uix etiam politi homines assequuntur? In rebus igitur obscuritate implicitis, & ingentiorum uarietate confusis, & eloquentia utrorum exquisito sermone fucatis, quis imperito, ac rudi locus est? Deniq; nunquàm ullas mulieres philosophari docuerunt præter unam ex omni memoria Themisten. Neque seruos, præter unum Phædonem, quem male seruientem redemisse, ac docuisse Cebetem tradunt. Enumerant etiam Platonem, ac Diogenem, qui tamen serui nõ fuerunt, sed his seruitus euenerat, sunt enim capti. Platonem quidem redemisse Aniceris quidam traditur sestertijs octo. Itaq; insectatus est cõuitijs redemptorẽ Seneca, quod Platonẽ paruo æstimauerat. Furiosus, ut mihi quidẽ uidetur,

uidetur, qui homini fuerit iratus, quod nõ multum pecuniæ perdidit: scilicet aurum appendere debuit, tanquàm pro mortuo Hectore: aut tantum ingerere nummorum, quantum uenditor nõ poposcit? Ex Barbaris uero nullum, præter unum Anacharsim Schytam, qui philosophiam nẽ somniasset quidẽ, nisi et linguam & Græcas literas ante didicisset.

Quod doctrina cœlestis sapientiã sola largitur, quam natura cõmunis appetit, et quærens philosophiã non inuenit: Et quàm efficax sit lex Dei, et ecclesiæ sacramenta. Caput. XXVI.

QVod ergo illi poscente natura faciendum esse senserũt, sed tamen neq; ipsi facere potuerũt, neq; à philosophis fieri posse uiderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis, quæ sola sapiẽtia est. Illi scilicet persuadere cuiq; potuerunt, qui nihil persuadent etiam sibi? Aut cuiusq; cupiditates oppriment, iram terebrabunt, libidinem coërcebunt, quum ipsi & cedant uitijs, & fateantur plus ualere naturam? Dei autem præcepta, quia & simplicia, & uera sunt, quantum ualeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi uirum, qui sit iracũdus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei uerbis tam placidum, q̃ quem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi cum liberalem dabo, & pecuniam suam proprijs manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis: iam cruces, & ignes, et pericula, & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, & impudicum: iam sobrium, castum, continentem uidebis. Da crudelẽ, & sanguinis appetentem: iam in ueram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuo & æquus, & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia

omnis

omnis abolebitur. Tãta diuinæ sapiẽtiæ uis est, ut in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno simul impetu expellat. Ad quod efficiendũ, nõ mercede, nõ libris, non lucubrationibus opus est: Gratis ista fiunt, facile, cito, modo pateant aures et pectus sapientiam sitiat. Nemo uereatur nos, aquam nos uendimus, nec solem mercede præstamus. Dei fons uberrimus, atq; plenissimus patet cunctis, & hoc cœleste lumẽ uniuersis oritur, quicunq; oculos habẽt. Num quis hæc philosophorum aut unq; præstitit, aut præstare si uelit, potest? Qui cum ætates suas in studio philosophiæ conterant, neq; alium quenq;, neq; seipsos (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaq; sapientia eorum, ut plurimum efficiat, nõ excindit uitia, sed abscondit. Pauca uero Dei præcepta sic totum hominem immutant: & expolito uetere nouum reddunt, ut non cognoscas eundem esse.

Quod philosophi sæpe recte præcipiũt, et interdum vident verũ: et quare nõ sit eis credẽdũ. Cap. XXVII.

Quid ergo? Nihil ne illi uerisimile præcipiunt? Imò permulta, & ad uerum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta: quia sunt humana, & authoritate maiori, id est diuina illa carent. Nemo igitur credit: quia tam se hominem putat esse, qui audit, q̃ est ille qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod à scientia ueniat. Sed cum omnia coniecturis agantur, multa etiam diuersa, & uaria profe-rantur, stultissimi est hominis præceptis eorum uelle parère, quæ utrum uera sint, an falsa dubitatur. Et ideo nemo paret: quia nemo uult ad incertum laborare. Virtutem esse Stoici aiunt, quæ sola efficiat uitam beatam. Nihil potest uerius dici. Sed quid sit cruciabitur, aut dolore afficietur? Poterit ne quisq; inter carnifices beatus esse? Imo uero illatus corpori dolor materia uirtutis

est. Itaq;

est. Itaq; ne in tormentis quidē miser est. Epicurus multo fortius: Sapiens, inquit, semper beatus est, & uel inclusus in Phalaridis tauro hanc uocem emittet: Suaue est, & nihil curo. Quis cum non irriserit? Maxime, quod homo uoluptarius personam sibi uiri fortis imposuit, & quidē supra modū. Nō enim fieri potest ut quisq; cruciatus cōporis pro uoluptatibus ducat: cū satis sit ad officiū uirtutis implendū perferre, ac sustinere. Quid dicitis Stoici? Quid tu Epicure? Beatus est sapiens etiam cū torquetur. Si propter gloriam patientia non fruetur. In tormentis enim fortasse morietur. Si propter memoriā, aut non sentiet, si occidit animæ: aut si sentiet, nihil ex ea consequetur. Quis ergo alius fructus est in uirtute? Quæ beatitudo uitæ, ut æquo animo moriatur? Bonum mihi affertis unius horæ, aut fortasse momenti, propter quod non expediat in tota uita miscrijs, & laboribus cōfici. Quantū aūt temporis mors occupat, quæ cū uenit, utrum æquo animo, an iniquo eā subieris, iā nihil refert. Ita fit, ut nihil aliud ex uirtute captetur, nisi gloria. Sed hæc aut superuacua, & breuis est, aut prauis hominum iudicijs nō sequenda. Nullum igitur ex uirtute fructus est: ubi uirtus mortalis est, & caduca. Itaq; qui hæc locuti sunt, umbram quandam uirtutis uiderunt, ipsam uirtutem non uiderunt. Deflexi enim fuerunt in terrā, nec uultus suos in altum erigebant, ut eam possent intueri, quæ sese cœli regionibus ostendebat. Hæc causa est, cur præceptis eorum nullus obtemperet: quoniam aut ad uitia erudiunt, si uoluptatē defendunt: aut si uirtutem asserunt, neq; peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis: neq; uirtuti ullum præmium pollicentur, nisi solius honestatis, & laudis: cum dicant non propter aliud, sed propter seipsam expetendam esse uirtutem. Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed cum torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimū faciet. Est enim Deus, qui solus potest honorare uirtutem, cuius merces immortalitas

talitas sola est: quam qui nõ appetunt, nec religionem tenẽt, cui æterna subiacet uita: profecto neq; uirtutis uim sciunt, cuius præmium ignorant: neq; in cœlũ spectant, quod ipsi se facere putãt, cum res nõ inuestigabiles quæruntur: quia ratio in cœlũ spectandi nulla alia est, nisi aut religionem susapere, aut hanc animã suam immortalem esse credere. Quisquis enim aut deum colendũ esse intelligit, aut immortalitatis spem sibi propositam habet, mens eius in cœlo est. Et licet id nõ aspiãt oculis, animæ tamẽ lumine aspicit. Qui autẽ religionem non suscipiunt, terreni sunt: quia religio de cœlo est. Et qui animã putãt cũ corpore interire, æque in terrã spectãt: quia ultra corpus, quod est terra, nihil amplius uident, quod sit immortale. Nihil igitur prodest hominẽ esse ita fictum, ut recto corpore spectet in cœlũ, nisi erecta mente Deum cernat, & cogitatio eius in spe uitæ perpetuæ tota uersetur.

In quo solo nitatur conditio creaturæ, et vnde naturæ nomen, aut fortunæ: et quomodo philosophi suis inuicẽ gladiis pereũt. Quod fortuna nihil est, quã philosophi nõ modo deã, sed deũ mẽtiũtur. et quomodo hũc errorẽ dæmones immiserint eis, qui deum nesciebant, aut contemnebant. Caput. XXVIII.

QVapropter nihil aliud est in uita, quo ratio, quo conditio nostra nitatur, nisi Dei, qui nos genuit, agnitio, & religiosus, ac pius cultus. Vnde quoniam philosophi aberrauerunt, sapientes utiq; nõ fuerunt. Quæsierunt illi quidẽ sapientiã, sed quia nõ ritè quærebãt, prolapsi sunt longius, & in maximos errores inciderunt, ut etiam communem sapientiã non tenerent.

Non enim

Non enim tantum religionem asserere uoluerunt, uerumetiam sustulerunt: dum specie uirtutis falsæ inducti, conantur animos omni metu liberare: quæ religionis euersio naturæ nomen inuenit. Illi enim cũ aut ignorarent à quo esset effectus mundus, aut persuadere uellent, nihil esse diuina mente perfectum, naturam esse dixerunt rerum omnium matrem: quasi dicerent omnia sua sponte esse nata: quo uerbo plane imprudentiam suam confitentur. Natura enim remota prouidentia, & potestate diuina prorsus nihil est. Quod si deum naturam uocant, quæ peruersitas est naturam potius q̃ deum nominare? Si autem natura ratio est, aut necessitas, uel conditio nascendi, non est per seipsam sensibilis, quia necesse est mentem esse diuinam, quæ sua prouidentia nascendi principiũ rebus omnibus præbeat. Aut si natura est cælũ atq; terra, & omne quod natum est, non est deus natura, sed diui opus. Non dissimili errore credunt esse fortunam, quasi deam quandam, res humanas uarijs casibus illudentem: quia nesciunt, unde sibi bona, & mala eueniant, Cum hac se cõpositos ad præliandum putant, nec ullam tamen rationem reddunt à quo, & quam ob causam, sed tamen cum fortuna se digladiari munimentis omnibus gloriantur. Iam quicunq; alios consolati sunt ob interitum, amissionemq; charorum, fortunæ nomen acerrimis accusationibus prosciderunt: nec omnino ulla eorum disputatio de uirtute est, in qua non fortuna uexetur. M. Tullius in sua consolatione, pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamq; à se esse superatam, cũ fortiter inimicorum impetus retudisset: nec tum quidem se ab ea fractum, aut domo pulsus patria caruit. Tũ autem, cum amiserit charissimam filiam, uictum se à fortuna turpiter cõfitetur. Cedo, inquit, en manum tollo. Quid hoc homine miserius, qui sic iaciat? insipiẽter, inquis, sed qui profitetur se esse sapiẽtem. Quid ergo sibi uult assumptio nominis? Quid est contemptus ille rerũ, qui magnificis uerbis prætẽditur? Quid dispu-

cæteris

cæteris habitus? Aut cur omnino præcepta sapientiæ dantur, si nemo qui sapiat, adhuc inuentus est? Et quisq̃ nobis inuidiam facit, quia philosophos negamus esse sapientes? cũ ipsi nec scire quicq̃, nec sapere fateantur. Nam si quando ita defecerint, ut ne effingere quidem quicq̃ possint, quid faciunt in rebus cæteris? Tum uero ignorantiæ admonentur, & quasi furibundi exiliũt, et exclamãt, se cæcos esse, & excordes. Anaxagoras pronunciat circunfusa esse tenebris omnia. Empedocles angustas esse sensuũ semitas quæritur, tanq̃ illi ad cogitandum rheda, & quadrigis opus esset. Democritus quasi in puteo quodã tam alto, ut fundus sit nullus, ueritatem iacêre demersam: nimirum stultè, ut cætera. Non enim tanq̃ in puteo demersa est ueritas, quo uel descendere, uel etiam cadere illi licebat: sed tanq̃ in summo montis excelsi uertice, uel potius in cœlo, quod est uerissimum. Quid enim est, cur eam potius in imum depressam diceret, q̃ in summũ leuatam, nisi forte mentem quoq; in pedibus, aut in imis calcibus constituere malebat potius, q̃ in pectore, aut in capite? Adeò remotissimi fuerunt ab ea ueritate, ut eos ne status quidem sui corporis admoneret, ueritatem in summo illis esse quærendam. Ex hac desperatione cõfessio illa Socratis nata est: qua se nihil scire dixit, nisi hoc unum, quod nihil sciat. Hinc Academiæ disciplina manauit, si tamẽ disciplina dici potest: in qua ignoratio et discitur, & docetur. Sed ne illi quidem, qui scientiam sibi assumpserunt, idipsum quod se scire putabant, constanter defendere potuerũt. Qui quoniam ratio illis non quadrabat, per ignorantiam rerũ diuinarum, tam uarij, tam incerti fuerunt, sibiq; sæpe contrariæ dissentes: ut quid sentirent, quid uellent, satis statuere, ac dijudicare non possis. Quid igitur pugnes aduersus homines eos, qui suo sibi gladio pereunt? Quid labores, ut eos destruas, quos sua ipsos destruit, atq; affligit oratio? Aristoteles (inquit Cicero) ueteres philosophos accusauit: eos dit aut glorioſos, aut stultissimos

fuisse, qui existimassent philosophiam suis ingenijs esse perfectã, sed se uidere, quod paucis annis magna accessio facta esset, breui tempore philosophiam planè absolutam fore. Quod igitur fuit illud tempus? quo more, quando est aut à quibus absoluta? Nam quod ait stultissimos fuisse, qui putassent ingenijs suis perfectam esse sapientiam, uerum est. Sed ne ipse quidem satis prudenter, qui aut à ueteribus cœptam, aut à nouis auctam, aut mox à posterioribus perfectum iri putauit. Nunquàm enim potest immutari, quod non per uiam suam quæritur.

Item repetitio de fortuna, & natura, & definitione eius. Cap. XXIX.

SEd repetamus id, quod omisimus. Fortuna ergo per se nihil est, nec sic habendum est, tanq̃ sit in aliquo sensu. Siquidem fortuna est accidentium rerũ subitus, atq; inopinatus euẽtus. Veri philosophi, ne aliquando nõ errent, in re stulta uolũt esse sapientes: qui Fortunæ sexum mutant, eamq; nõ deam, sicut uulgus, sed Deũ esse dicunt. Eundẽ tamẽ interdũ naturã, interdũ fortunam uocant. Quod multa (inquit idem Cicero) efficiant inopinata nobis propter obscuritatẽ, ignorationemq; causarum. Cum igitur causas ignorent propter quas fiat aliquid, & ipsum qui faciat, ignorẽt necesse est. Idẽ in opere ualde serio, in quo præceptum deprompta ex philosophia filio dabat. Magnã (inquit) esse fortunæ uim, in utranq; partẽ, quis nescit? Nam & cum prospero flatu eius utimur, ad exitus peruenimus optatos: et cũ reflauerit, affligimur. Primum, qui negat sciri posse quicq̃, sic hoc dixit, tanq̃ & ipse, & omnes sciant. Deinde, qui etiam quæ clara sunt, dubia conatur efficere, hoc putauit esse clarum, quod illi esse dubium uel maxime dubium, nam sapienti omnino falsum est. Quis (inquit) nescit? Ego uero nescio. Doceat me (si potest) quæ sit illius, qui flatus iste, & qui reflatus. Turpe igitur est hominem ingenio-

sum

geniosum dicere id, quod si neges probare nõ possit. Postremo, quod is, qui dicit, assensus esse retinendos, quod stulti sit hominis rebus incognitis temere assentire: is inquã plane uulgi, & imperitorũ opinionibus credidit, qui fortunam putat esse, quæ hominibus tribuat bona, & mala. Nam simulachrũ eius cum copia, & gubernaculo finguntur: tanq; hæc opes tribuat, & humanarũ rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Vergilius assensit, qui fortunã omnipotentẽ uocat. Et historicus, qui ait: Sed profecto fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris dijs loci superest? Cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest: aut sola colitur, si omnia, uel si tantum mala immittit? Aliquid causæ proferant, cur si dea sit, hominibus inuideat, eosq; perditos cupiat, cum ab his religiose colatur? Cur æquior sit malis, iniquior autẽ bonis? Cur insidietur, affligat, decipiat, & exterminet? Quis illã generis hominum uexatricem constituit perpetuam? Cur deniq; tam malam sortita sit potestatem, ut res cunctas ex libidine magis, quàm ex ucro celebret, obscuretq;? Hæc inquam philosophos inquirere oportuit potius, quàm temere innocentem accusare fortunam, quæ etiam si sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quàm putatur. Itaq; illæ omnes orationes, quibus iniquitatem fortunæ lacerant, se suasq; uirtutes contra fortunam superbissime iactant, nihil aliud sunt, q̃ declamenta inconsyderatæ leuitatis. Quare non inuideant nobis, quibus aperuit ueritatem Deus: qui sicut scimus, nihil esse fortunam, ita scimus esse prauum, ac subdolum spiritum, qui sit inimicus bonis, hostisq; iustitiæ, qui contraria facit, quàm Deus: cuius inuidiæ causam in secundo libro explicauimus. Hic ergo insidiatur uniuersis: sed eos, qui nesciunt Deum, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circunfundit, ne quis possit ad diuini nominis peruenire notitiam: in quo uno & sapientia continetur, & uita perpetua. Eos autem, qui Deum sciunt, dolis, &

astutia aggreditur, ut cupiditate, ac libidine irretiat, ac peauti blandimentis deprauatos impellat ad mortem: uel si dolo nihil profecerit, & uiolētia deijcere conatur. Idcirco enim in primordijs transgressionis non statim ad pœnam detrusus à deo est, ut hominem malitia sua exerceat ad uirtutem: quæ nisi agitetur, ni assidua uexatione roboretur, nō potest esse perfecta. Siquidē uirtus est perferrendorū malorū fortis, ac inuicta patiētia. Ex quo fit, ut uirtus nulla sit, si aduersarius desit. Huius itaq; peruersæ potestatis cum uim sentirent uirtuti repugnantem, nomenque ignorarent, fortunæ uocabulum sibi inane finxerunt. Quod q̄ longe à sapientia sit remotum, declarat Iuuenalis his uersibus:

Nullum numen abest si sit prudentia, sed nos
Te facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Stultitia igitur & error, & cæcitas, & (ut Cicero ait) ignoratio rerum, atq; causarum naturæ, ac Fortunæ nomina induxit. Sed ut aduersarium suum nesciunt, sic nec uirtutem quidem sciūt: cuius scientia ab aduersario notione descendit. Quæ si cōiuncta est cū sapientia, uel (ut ipsi aiunt) eadem ipsa sapientia est, ignorent necesse est, in quibus rebus posita sit. Nemo enim potest ueris armis instrui, si hostē, contra quem fuerit armandus, ignorat. Nec aduersarium uincere, qui in dimicando non hostem uerum, sed umbram petit. Prosternetur enim qui alio intentus, uenientem uitalibus suis ictum nec præuiderit ante, nec cauerit.

Epilogus, quo docet quomodo transeundū sit à vanitate philosophorū, et ad verā sapiētiā aspirandū, scilicet ad verbū dei, in quo veritas inuenitur, et uirtus, et beatitudo: et ab eis, quæ dicta sunt, ad dicenda transitum facit. Cap. XXX.

Docui

Docui quantum mea mediocritas tulit, longe deuium philosophos iter à ueritate tenuisse. Sentio tamen q̃ multa prætricrim: quia non erat mihi propria contra philosophos disputatio. Sed huc necessario diuertendum fuit, ut ostenderem, tot, & tanta ingenia in rebus falsis esse cõsumpta, ne quis forte à prauis religionibus excluſus, ad eos se cõferre uellet, tanquam certi aliquid reperturus. Vna igitur spes homini, una salus in hac doctrina, quam defendimus, posita est. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat. Hoc nostrũ dogma, hæc sententia est. Quanta itaq; uoce possum testificor, proclamo, denũcio. Hoc est illud, quod philosophi omnes in tota sua uita quæsierunt, nec unq̃ tamen iuuestigare, comprehendere tenere ualuerunt, quia aut prauam religionem tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam uitã non instruunt, sed turbant. Quid enim docent? Aut quẽ instruunt, qui seipsos non instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ, cõferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid sciat? Aut Anaxagoras lumẽ in tenebris inueniat? aut Democritus ueritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesilas, & Carneades uideant, sentiant, perciant? Eæ uox de cœlo ueritatem docens, & nobis sole ipso clarius lumen ostendens: Quid nobis iniqui sumus, & sapientiam suscipere cunctamur? quam docti homines contritis in quærẽda ætatibus suis, nunq̃ reperire potuerunt. Qui uult sapiens, ac beatus esse, audiat dei uocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ norit, humana contemnat, diuina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus uniuersis, & omnibus quæcunq; in earum defensionẽ dicã uel solebant, uel poterant, refutatis, deinde cõuictis philosophiæ disciplinis, ad ueram religionem nobis, sapientiamq; ueniendũ est,

quoniam est (ut docebo) utrunq; coniunctum, ut eam uel argumentis, uel exemplis, uel idoneis testibus asseramus. Et stultitiã, quam nobis isti deorum cultores obiectare non desinunt, ut nullam penes nos, sic totam penes ipsos esse doceamus. Et quanq; prioribus libris, cum falsas arguerim religiones, & hic cum falsam sapientiam tollerem: ubi ueritas sit ostenderim: planius tamen, quæ religio, & quæ sapientia uera sit, liber proximus indicabit.

LIBRI TERTII FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM Institutionum aduersus genteis Liber Quartus, in quo docetur, quæ religio, & quæ sapientia uera sit.

Quomodo vnius seculi error in omnẽ sit transfusus ætatem, & orbem occupauerit: et Græcia post gloriã septẽ sapientũ studio perquirẽdæ ueritatis exarserit, & studiosi eius se maluerint philosophos quam sapientes appellari. Caput. I.

Cogitanti



Cogitanti mihi, & cũ animo meo sæpe reputanti, priorẽ illũ generis humani statum, & mirum pariter, & indignũ uideri solet, quod unius seculi stultitia religiones uarias suscipientis, deosq; multos esse credentis, in tantam subito ignorationem sui uentum est, ut ablata ex oculis ueritate, neq; religio ueri dei, neq; humanitatis ratio teneretur, hominibus non in cœlo summũ bonũ quærẽtibus, sed in terra. Quam ob causam profecto seculorum ueterũ mutata felicitas est. Cœperũt enim relicto parẽte, & constitutore omniũ Deo, insensibilia digitorũ suorũ figmẽta uenerari. Quæ prauitas quid fecerit, quid malorũ attulerit, res ipsa declarat: auersa nanq; à summo bono, quod ideo beatum et sempiternũ est, quia uideri, tangi, cõprehendi nõ potest, et à uirtutibus ei bono congruentibus, quæ sunt æque mortales, ad hos corruptos, & fragiles deos lapsi, & studentes ijs rebus, quibus solum corpus ornatur, alitur, delectatur, mortẽ sibi perpetuam cũ dijs, & cum bonis corporalibus quæsierunt: quia morti corpus omne subiectũ est. Insequuta est igitur huiusmodi religionis iniustitia, et impietas, sicuti fuerat necesse. Desierũt enim uultus suos in cœlũ tollere: sed deorsum mentes hominũ depressæ terrenis ut religionibus, sic etiã bonis inhærebant. Sequutum est diffidium generis humani, & fraus, & nefas omne: quia spretis sempiternis atq; incorruptis bonis, quæ solꝰ debẽt ab homine concupisci, tẽporalia, & breuia malucrunt: maiorq; ad malũ hominibus fides fuit, qui prauum recto, quia præsentius fuerat, prætulerunt. Sic humanã uitam prioribus seculis in clarissima luce uersatã caligo, & tenebræ cõprehenderunt. Et quod huic prauitati congruens erat, postquam sapientia sublata est, tum demum sibi homines sapientum nomẽ uendicare cœperunt. Tum autem

nemo sapiens uocabatur,cũ omnes erant.Vtinamq; nomen illud publicũ aliquãdo,quamuis ad paucos redactũ,tũ uim suã retineret. Possent enim fortasse pauci illi uel ingenio,uel authoritate, uel assiduis hortamentis liberare populũ uitijs et erroribus: sed adeò totũ sapiẽtia ceciderat,ut ex ipsa nominis arrogãtia nullũ eorũ,qui uocarentur,apparuerit fuisse sapientẽ. Et tamẽ priusq; hæc philosophia quæ dicitur,esset inuenta,septẽ fuisse traduntur primi omnium:qui,quia de rebus naturalibus quærere,ac disputare sunt ausi,sapientes haberi,appellariq; merucrunt.O miserũ calamitosumq; seculũ,quo per orbem totũ septẽ soli fuerunt,qui hominum uocabulo dcrentur.Nemo enim potest iure dia homo nisi qui sapiẽs est. Sed si cæteri omnes præter ipsos stulti fuerũt, ne illi quidem sapientes:quia nemo sapiens esse uere,iudicio stultorum potest.Adeò ab his abfuit sapientia,ut ne postea quidem increscente doctrina, & multis, magnisq; ingenijs in idipsum semper intentis nõ potuerit perspici ueritas,& cõprehendi.Nã post illorũ septem sapientũ gloriam incredile est,quanto studio inquirendæ ueritatis Græcia omnis exarserit. Ac primũ nomen ipsum sapientiæ arrogans putauerũt:seq; non sapientes,sed studiosos sapiẽtiæ uocauerũt.Quo facto & illos,qui temere sapientum sibi nomẽ asciuerant,erroris stultitiæq; damnauerunt,& sequoq; ipsos ignorantiæ,quam quidẽ non diffitebantur.Nã ubi cunq; rerũ natura ingenijs eorum, quasi manus opposuerat,ne rationem possent aliquam reddere, testificari solebant nihil se scire.nihil cernere. Vnde multo sapientiores inueniuntur,qui se aliqua ex parte uiderunt,quàm illi,qui sapere crediderant.

Quod ibi quærẽda est sapiẽtia,vbi gentibus est stultitiæ titulus: et quare Pythagoras et Plato literarũ perscrutatores,non accesserũt ad Iudæos. Cap. II.

Quare

QVare si neq; ulli fuere sapientes, qui sunt appellati, neq; posteriores, qui non dubitauerunt insipientiã confiteri: quid supereſt, nisi ut alibi sit quærenda sapientia, quãdo non est ubi quærebatur, inuẽta? Quid autẽ putemus fuisse causæ, cur tot ingenijs, totq; temporibus summo studio, & labore quæsita nõ reperiretur, nisi quod eã philosophi extra fines suos quæsierũt? Qui quoniã peragratis, & exploratis omnibus, nusq; ullam sapientiam cõprehenderunt: et alicubi esse illã necesse est: apparet illic potißimũ esse quærendã, ubi stultitiæ titulus apparet: cuius uelamento Deus, ne arcanũ sui diuini operis in propatulo esset, thesaurũ sapientiæ, & ueritatis abscondit. Vnde equidẽ solemus mirari, quod cũ Pythagoras, & posteà Plato, amore indagãdæ ueritatis accẽsi, ad Agyptios, et Magos, & Persas usq; penetrassent, ut earũ gentiũ ritus, & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiã in religione uersari) & ad Iudæos tamen non accesserunt: penes quos tũc solos erat, et quo facilius ire potuißent. Sed auersos esse arbitror diuina prouidẽtia, ne scire poßent ueritatem: quã nondum fas erat alienigenis hominibus religionẽ deũ ueri, iustitiãq; cognoscere. Statuerat enim Deus appropinquante ultimo tempore, ducem magnũ cœlitus mittere: qui eã perfido, ingratoq; populo ablatam, exteris gentibus reuelaret. Qua de re in hoc libro aggrediar disputare, si prius ostendero sapientiam cum religione sic cohærere, ut diuelli utrunq; non poßit.

Quod sapiẽtia et religio inseparabiliter cohærẽt, et quod necesse est eosdẽ nõ diuersos esse secretarios sapiẽtiæ, et numinis sacerdotes. Et quare cõtra naturã sit colere plures deos, et quomodo necessitate naturæ oportet dominũ esse vnum vnicuiq;, sic et patrem vnũ. Cap. III.

Deorum igitur cultus in priore libro docui non habuisse sapientiam ullo modo: quia diuinũ animal hominem terrenis, fragilibusq; substernit. Sed quia nihil ibi disseritur, quod proficiat ad mores excolendos, uitamq; formandam, nec habet inquisitionem aliquam ueritatis, sed tantummodo ritũ colendi: qui non officio mentis, sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa uera religio iudicanda: quia nullis iustitiæ, uirtutisq; præceptis erudit, effiatq; meliores. Itaq; philosophia quia in illis religionem, id est summam pietatem non habet, non est uera sapientia. Nam si diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus hominũ sustẽtat, et quasi paterna indulgentia fouet, uult profecto gratiam sibi referri, et honorẽ dari. Nec constare homini ratio pietatis potest, si cœlestibus beneficijs extiterit ingratus, quod non est utiq; sapientis. Quoniam igitur (ut dixi) philosophia, & religio deorũ disiuncta sunt, & longe discreta: siquidem alij sunt professores sapientiæ, per quos utiq; ad deos non aditur: alij religionis antistites, per quos sapere nõ discitur, apparet nec illam esse ueram sapientiam, nec hanc religionem. Idcirco nec philosophia potuit ueritatẽ comprehendere nec religio deorum rationem sui, qua carent, reddere. Vbi autem sapiẽtia cum religione inseparabili nexu cohæret, utrunq; uerũ esse necesse est: quia & in colendo sapere debemus, id est scire quid nobis, & quomodo sit colendum: & in sapiendo colere, id est re, & actu quod scierimus, implere. Vbi ergo sapientia cum religione cõiungitur? Ibi scilicet, ubi deus colitur unus, ubi uita, & actus omnis ad unum caput, & ad unam summam refertur. Deniq; ijdem sunt doctores sapientiæ, qui & dei sacerdotes. Nec tamen moueat quenq;: quia sæpe factũ est, & fieri potest, ut philosophus aliquis deorũ suscipiat sacerdotium: quod cum fit, nõ tamen coniungitur philosophia cum religione: sed & philosophia inter sacra cessabit, et religio, quando philosophia tractabitur.

bitur. Illa enim religio muta est, non tantum quia mutorum est, sed quia ritus eius in manu, et in digitis eius est, & non in corde aut lingua, sicut nostra, quæ uera est. Idcirco & in sapientia religio, & in religione sapientia est. Ergo non potest segregari: quia sapere nihil aliud est, nisi deum uerũ iustis, ac pijs cultibus honorare. Multorum autem deorum cultus non esse secundum naturam, etiam hoc argumento colligi potest, & comprehendi. Omnem deum, qui ab homine colitur, necesse est inter solennes ritus, & precationes patrem nuncupari. Non tantũ honoris gratia, sed & rationis: & quod antiquior est homine, & quod uitam, salutem, uictum præstat, ut pater. Itaq; & Iupiter à precantibus pater uocatur: & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps: quod Lucilius in deorum consilio irridet:

Vt nemo sit nostrum, quin pater optimus diuûm:
Vt Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars, Ianus,
Quirinus pater nomen dicatur ad unum.

Quod si natura nõ patitur, ut sint unius hominis plures patres (ex uno enim procreatur) ergo deos etiam multos colere contrà naturã est, contraq; pietatẽ. Vnus ergo colẽdus est, qui potest uerus pater nominari. Idem etiã dominus sit necesse est: quia sicut potest indulgere, ita etiã coërcere. Pater ideo appellãdus est, quia nobis multa, & magna largitur. Dominus ideo, quia castigandi & puniendi habet maximam potestatẽ. Dominũ uero eundem esse, qui sit pater, etiam iuris ciuilis ratio demõstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi habeat in eos dominij potestatẽ? Nec immerito paterfamilias dicitur, licet tantũ filios habeat, uidelicet nomen patris. Complectitur etiam seruos, quia familiã sequitur: et nomẽ familiæ complectitur etiam filios, quia pater antecedit: unde apparet eundem ipsum & patrẽ seruorũ, & dominũ filiorum. Deniq; & filius manu mittitur tanq̃ seruus, & seruus liberatus patroni nomen accipit tanq̃ filius. Quod si propterea

paterfa-

paterfamilias nominatur, ut appareat eũ duplici potestate præditum, quia & indulgere debet, quia pater est, & coërcere, quia dominus: ergo idem seruus est, qui & filius, & idem dominus, qui & pater. Sicut igitur naturæ necessitate non potest esse nisi unus pater, ita nec dominus nisi unus. Quid enim faciat seruus, si multi domini diuersa imperauerint? Ergo contra rationem, contraq; naturam sunt religiones multorum deorum. Siquidem nec patres multi possunt esse, nec domini: deos autem & patres, & dominos nuncupari necesse est. Teneri ergo ueritas non potest, ubi homo idem multis patribus, dominisq; subiectus est, ubi animus in multa dispersus huc atq; illuc diuagatur. Nec habere ullã firmitatem religio potest, quando certo, & stabili domicilio caret. Cultus ergo deorum ueri esse non possunt. Eodem modo, quo matrimonium dici non potest, ubi mulier uiros multos habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur: à qua enim pudor, castitas, fides abest, uirtute careat necesse est. Sic et religio deorũ impudica est, & incerta: quia fide caret: quia honos ille instabilis, & incertus, caput, atq; originem non habet.

Quod sapientia spectat ad filios, religio ad seruos, et utriusq; fons Deus unus solus, et verus: qui ingratũ abdicat filium, et fugitiuum punit seruum. Cap. IIII.

QVibus rebus apparet q̃ inter se coniuncta sunt sapientia et religio. Sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorẽ, Religio ad seruos, quæ quidem exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent, & honorare, sic hi dominum colere, & uenerari. Deus autem, qui unus est, quoniam utramq; personam sustinet, & patris, & domini: & amare eum debemus, quia filij

sumus,

sumus: & timere, quia serui: non potest igitur nec religio à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni: quia idem Deus est, qui & diligi, & intelligi debet, quod est sapientiæ: & honorari, quod est religionis. Sed sapientia præcedit, religio sequitur: quia prius est deum scire, consequens colere. Itaq; in his duobus nominibus una uis est, quamuis diuersa esse uideatur. Alterum enim positum est in sensu, alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus riuis uno fonte manantibus. Fons autem sapientiæ, & religionis Deus est: à quo hi duo riui si aberrauerint, aresçant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi. Sic fit, ut philosophi, & qui deos colunt, similes sint aut filijs abdicatis, aut seruis fugitiuis: quia neq; illi patrem quærunt, neq; hi dominum: & sicut abdicati hæreditatem patris non asse quuntur, & fugitiui impunitatem, ita neq; philosophi immortalitatem accipiunt, quæ est regni cœlestis hæreditas, id est summum bonum, quod illi maxime quærunt: neq; cultores deorum, pœnam sempiternæ mortis effugient, quæ est animaduersio ueri domini aduersus fugitiuos suæ maiestatis ac nominis. Deum uero esse patrem, eundemq; dominum utriq; ignorauerunt, tam cultores deorum, q̃ ipsi professores sapientiæ: quia aut nihil colendũ omnino putauerũt, aut religiones falsas approbauerunt: aut etiã si uim potestatẽq; summi Dei intellexerunt: ut Plato, qui ait unũ esse fabricatorem mundi Deum: & M. Tullius, qui fatetur hominem præclara quadam conditione à summo Deo esse generatũ: tamen ei debitum cultum tanq̃ summo patri non reddiderunt, quod erat consequens, ac necessarium. Deos autem neq; patres, neq; dominos esse posse, nõ tantum multitudo (ut supra ostendi) sed etiam ratio declarat: qua neq; fictum esse ab his hominẽ traditur, neq; deos ipsos antecedere originem hominis inuenitur: siquidem fuisse in terra homines anteq̃ Vulcanus, & Liber, & ipse Iupiter nascerẽtur, apparet. Sed neq; Saturno fictio hominis

neq; Cœlo

neq; Cœlo patri eius assignari solet. Quod si nullus eorũ qui colũtur, formasse à principio, atq; instituisse hominẽ traditur, nullus igitur ex his pater hominis nũcupari potest, ita ne Deus quidem: ergo fas nõ est uenerari eos, à quibus nõ sit homo generatus quia neq; à multis potest generari. Vnus igitur ac solus colí debet, qui Iouẽ, qui Saturnũ, qui Cœlum ipsum terramq; antecessit. Is enim necesse est hominem figurauerit, qui hominem, cœlum, terramq; perfecit. Solus pater uocandus est, qui creauerit: solus dominus nuncupandus, qui regit, qui habet uitæ ac necis ueram, ac perpetuam potestatem. Quem qui non adorat, & insipiens seruus est, qui dominum suum aut fugiat, aut nesciat: & impius filius, qui suum uerum patrem uel oderit, uel ignoret.

Quod oracula prophetarum solicite inspicienda sunt, quos diuinitus esse locutos rerum multo ante prædictarum conuincit euentus. Et quo tempore prophetauerit Moyses: quot annis Iosue rexerit populum. Quot annis præfuerint iudices. Quàm diu regnauerint reges. Quo tẽpore dominatus sit Cyrus. quod in prophetis est sapientiæ fundamentum. Caput. V.

NVnc quoniam docui sapientiam, & religionem nõ posse diduci, superest, ut de ipsa religione, ac sapientia differamus. Sentio quidem quàm sit difficilis de rebus cœlestibus disputatio: sed tamẽ audendum est, ut illustrata ueritas pateat, multiq; ab errore, atq; interitu liberentur: qui eã sub uelamento stultitiæ latentem aspernantur, ac respuunt. Sed prius quàm incipiam de

Deo, &

Deo,et operibus eius dicere,pauca mihi de prophetis ante dicẽda sunt,quorum testimonijs nunc utĩ necesse est, quod in prioribus libris nc facerem,temperaui. Ante omnia,qui ueritatem studet comprehendere, nõ modo intelligendis prophetarũ uocibus animum debet intendere,sed etiam tẽpora,per quæ quisq; illorũ fuerit,diligentissime inquirere,ut sciat & quæ futura prædixerint,& post quot annos prædicta cõpleta sint. Nec difficultas in his colligendis est ulla. Testati enim sunt sub quo quisq; rege diuini spiritus fuerit passus instinctũ. Multiq; scriptos libros de temporibus ediderunt, initium facientes à propheta Mose,qui Troianũ bellũ nongentos fere annos antecessit. Is autem,cũ per annos quadraginta populũ rexisset,successorem habuit Iosuem, qui septem & uiginti annis tenuit principatũ. Exinde sub iudicibus fuerunt per annos trecentos septuaginta:tũ mutato statu reges habere cœperunt, quibus imperiũ tenentibus per annos quadringentos sexaginta usq; ad Sedechiæ regnum:oppugnati à rege Babylonico,captiq; Iudæi diuturnum seruitiũ pertulerũt donec septuagesimo post anno Cyrus maior captiuos Iudæos terris ac sedibus suis redderet:qui per idem tempus in Persas suscepit imperiũ,quo Rhomæ Tarquinius Superbus. Quare cum omnis temporum series ex Iudaicis,& ex Græcis,Rhomanisq; historijs colligatur, etiam singulorum prophetarum tempora colligi possunt:quorum sane ultimus Zacharias fuit,quem constat sub Dario rege,secundo anno regni eius,octauo mense cecinisse. Adeò antiquiores esse Græcis scriptoribus prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eò profero, ut errorem suum sentiant,qui scripturam sacram coarguere nituntur,tanquàm nouam, & recens fictam:ignorantes ex quo fonte sanctæ religionis origo manauerit. Quod si quis collectis, perspectisq; temporibus fundamentum doctrinæ salubriter iecerit, & ueritatem penitus comprehendet,& errorem cognita ueritate deponet.

Quod

Quod deus creator omnium coomnipotentem genuit filiũ, & per eũ creauit vniuersa. Testes sunt Sibylla, Trismegistus, & oracula consona prophetis & sapientissimo Solomoni. Caput. VI.

DEus igitur machinator, constitutorq; rerum, sicuti in secundo libro diximus, anteq̃ præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum, & incorruptibilem, et incomprehensibilem spiritum genuit, quem filiũ nuncuparũt. Et quamuis alios posteà innumerabiles per seipsum creauisset, quos angelos dicimus, hũc tamen solum primogenitum diuini nominis appellatione dignatus est, patria scilicet uirtute, ac maiestate pollentem. Esse autem summi dei filium, qui sit potestate maxima præditus, non tantum congruentes in unum prophetarum uoces, sed etiam Trismegisti prædicatio, & Sibyllarum uaticinia demonstrant. Hermes in eo libro qui Ο λόγος τέλειος *inscribitur, his usus est uerbis:* Ο κύριος καὶ τῶν πάντων ποιητής, ὃν θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν, ἐπὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε θεὸν ὁρατὸν καὶ αἰσθητόν. αἰσθητὸν δὲ φημὶ οὐ διὰ τὸ αἰσθέσθαι αὐτόν (πρεῖ γὰρ τοῦτον οὐκ ἔστι πότερον αὐτὸς αἰσθοιτο) ἀλλ' ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑποπέμπει καὶ ἐς νοῦν. ὅτι οὖν τοῦτον ἐποίησε πρῶτον καὶ μόνον καὶ ἕνα. καλὸς δὲ αὐτῷ ἐφάνη καὶ πληρέστατος πάντων τῶν ἀγαθῶν. ἡγιάσετε καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς ἴδιον τόκον.

Id est: Dominus, atq; omniũ creator, quẽ deum uocare censemus, quia secundũ deũ fecit uisibilẽ, & sensibilẽ. Sensibilẽ autẽ assero, non ideo, quia ipse sentit (hoc enim non est utrum ipse sentiat) sed quia ipse in sensum mittit & mentem. Quoniam ergo hunc fecit primũ, & solũ, et unum: pulcher autem ei uisus est, et plenissimus

omnium

omniũ bonorũ: sanctificauitq́;, et amauit quasi proprium filium. Sibylla Erythræa in carminis sui principio, quod à summo Deo exorsa est, filium Dei ducem, & imperatorem omnium his uersibus prædicat:

παντατρόφον κτίστην ὅστις κλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
κάτθετο χἠγηθῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε.

Id est: Omniũ nutritorẽ, creatoremq́;, qui dulcẽ spiritũ omnibus
Apposuit, ac principem omnium deorum fecit.

Et rursus in fine eiusdem carminis:

Αὐτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσσι γεραίρειν.

Id est: Eum dedit deus fidelibus uiris honorare.

Et alia Sibylla præcipit hunc oportere cognosci:

Αὐτὸν σὸν γίνωσκε θέον θεοῦ ἠὸν ἐόντα.

Id est: Ipsum tuum cognosce deum, qui dei filius est.

Videlicet & ipse est Dei filius, qui per Solomonẽ sapientissimũ regem diuino spiritu plenum locutus est. Ea subiecimus: Deus condidit me in initio suarum uiarum in opera sua ante secula. Fundauit me in principio anteq̃ terram faceret, anteq̃ abyssos constitueret, priusquam prodirent fontes aquarum, ante omnes colles genuit me dominus, fecit regiones, et terras inhabitabiles sub cœlo. Cum pararet cœlos, aderam illi: & cũ secerneret suam sedem, cum super uentos faceret ualidas nubes, & cum confirmatos poneret montes sub cœlo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens. Ego eram, cui adgaudebat: quotidie autem iucundabar ante faciem eius, cum lætaretur orbe perfecto. Idcirco autem Trismegistus δημιουργὸν τοῦ θεοῦ id est: Opificem dei, dixit. Et Sibylla συμβουλων id est: Cõsiliarium, appellat, qui tanta sapientia, & uirtute sit instructus à Deo patre, ut consilio, & manibus uteretur in fabricatione mundi.

Quod nomen filii,& angelis & hominibus sit ignotum,licet nomen habeat, quod ab vtrisq; adoratur, & vnde dicatur Iesus, & vnde Christus. Cap. VII.

FOrtasse quæret aliquis hoc loco, quis sit iste tam potens, tam Deo charus,& quod nomen habet, cuius prima nativitas non modo antecesserit mundum,uerumetiam prudentia disposuerit, uirtute construxerit. Primum, scire nomen eius non conuenit hominibus,neq; angelis quidem notum est,qui morantur in cœlo,sed ipsi soli,ac Deo patri.Nec ante id publicabitur, ut est sanctis literis traditũ,q̃ dispositio Dei fuerit impleta. Deinde nec enũciari posse hominis ore,sicut docet Hermes, hæc dicẽs: ἀιτία δ' ἐστὶν τοῦ ἀιτίου ἡ τοῦ θείου ἀγαθοῦ βούλησις καὶ θεὸν προήνεγκεν οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρώπινῳ σώματι λαληθῆναι. Id est: Causa autẽ huius causæ est, diuini boni uoluntas,cuius nomen non potest humano ore dici. Et paulo post ad filium: ἔστι γάρ τις ὦ τέκνον ἀπόῤῥητος λόγος σοφίας ὅσιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου ὃν εἰπεῖν ὑπὲρ ἄνθρωπόν ἐστι. Id est: Est enim fili, secretus quidam sermo sapientiæ sanctus de solo domino, quem dicere supra hominem est. Sed quamuis nomen eius,quod ei à principio pater summus imposuit,nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen et inter angelos aliud uocabulum,& inter homines aliud.Iesus quippe inter homines nominatur. Nam Christus non propriũ nomen est, sed nuncupatio potestatis,& regni. Sic enim Iudæi reges suos appellabant.Sed exponenda huius nominis ratio est propter ignorantiũ errorem, qui eũ immutata litera Chrestum solent dicere. Erat Iudæis ante præceptum,ut sacrũ conficerent unguentũ,

unguentum, quo perungi possent ij, qui uocabantur ad sacerdotium, uel ad regnum. Et sicut nunc Rhomanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ, sic illis unctio sacræ unguenti nomen, ac potestatem regiam conferebat. Verum quoniam Græci ueteres χρίεσθαι dicebant ungi, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus uersus ille:

αὐτοὺς δ' ἑ δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Id est: Eos autem famulæ lauerunt, & unxerunt oleo

Ob hãc rationẽ nos eũ Christum nuncupamus, id est unctũ, quẽ Hebraice Messias dicitur. Vnde in quibusdam Græcis scripturis, quæ male de Hebraicis interpretatæ sunt κλειμμοὺθ, id est, ungẽdo curatus. scriptũ inuenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι id est: ab ungendo. Sed tamen ultrolibet nomine rex significatur: non quod ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cuius capiendi nondum tempus aduenit, sed quod cœleste, ac sempiternũ est: de quo disseremus in ultimo libro: nunc uero de prima eius natiuitate dicamus.

Quòd filius bis natus est, æternaliter de patre, tẽporaliter de virgine matre, sed natiuitate inexcogitabili, & ineffabili & quare dicatur verbũ: & in quo ab aliis angelis differat: & quare illi nõ dicantur verbũ Dei vel verba: & quare hominis spiritus dissolubilis: & quid Dauid, & Solomon prophetauerint de hoc verbo: & quod Solomon præcesserit Troianũ bellum: & quid Ioannes Euangelista de eodem verbo. Caput. VIII.

IN primis enim testificabimur illum bis esse natũ: primum in spiritu, postea in carne. Vnde apud Hieremiam ita dicitur: Prius q̃ te formarẽ in utero, noui te. Et item apud ipsum. Beatus, qui erat ante, q̃ nasceretur, quod nulli alij cõtigit præter Christũ. Qui, cum esset à principio filius Dei, regeneratus est denuo secundum carnem, quæ duplex natiuitas eius magnum intulit humanis pectoribus errorem, circumfunditq; tenebras etiã ijs, qui ueræ religionis sacramenta retinebant. Sed nos id plane, dilucideq; monstrabimus, ut amatores sapientiæ facilius, ac diligẽtius instituantur. Qui audit Dei filium dici, non debet tantum nefas mente concipere, ut existimet ex connubio, ac permistione fœminæ alicuius Deum procreasse, quod non facit nisi animal corporale, mortiq; subiectum. Deus autem, cum solus adhuc esset, qui permiscere se potuit? aut cum esset tantæ potestatis, ut quicquid uellet efficere, utiq; ad creandum societate alterius non indigebat. Nisi forte existimabimus Deum, sicut Orpheus putauit, & marem esse, & fœminam, quod aliter generare nequiuerit, nisi haberet uim sexus utriusq;, quasi ut ipse secum coiret, aut sine coitu non potuerit procreare. Sed Hermes in eadem fuit opinione, cũ dicit ἄυτοπάτορα καὶ αὐτομήτορα. Hoc est: ipsum sui patrẽ et ipsum suã matrẽ. Quod si ita esset, ut à prophetis pater dicitur sic etiã mater diceretur. Quomodo igitur procreauit? Primum, nec sciri à quoq; possunt, nec narrari opera diuina, sed tamen sanctæ literæ docent: in quibus cautũ est, illum dei filium, dei esse sermonem. Itemq; cæteros angelos dei spiritus esse. Nam sermo est spiritus cum uoce aliquid significante prolatus. Sed tamen quoniam spiritus et sermo diuersis partibus proferuntur, siquidem spiritus naribus, ore sermo procedit, magna inter hunc dei filium, cæterosq; angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, qui non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministeriũ dei creabantur. Ille uero cum sit et ipse spiritus, tamen

cum uoce

cum uoce,ac ſono ex Dei ore proceſſit,ſicut uerbum: ea ſcilicet ratione,quia uoce eius ad populũ fuerat uſurus: id eſt quod ille magiſter futurus eſſet doctrinæ dei,et cœleſtis arcani ad hominẽ † proferendi † Aliter perferendi. Quod ipſum primo loquutus eſt,ut per eum ipſe ad nos loqueretur: & ille uocem Dei,ac uoluntatem nobis reuelaret. Merito ergo ſermo,& uerbum dei dicitur,quia dominus procedentem de ore ſuo uocalem ſpiritum, quem non utero,ſed mente conceperat, inexcogitabili quadam maieſtatis ſuæ uirtute ad effigiem,quæ proprio ſenſu,ac ſapientia uigeat,comprehendit: & alios item ſpiritus in angelos figurauit. Noſtri ſpiritus diſſolubiles ſunt: quia mortales ſumus. Dei autem ſpiritus & uiuunt, & manent, & ſentiunt: quia ipſe immortalis eſt,& ſenſus,& uitæ dator. Noſtræ uoces licet auræ miſceantur,atq; euaneſcant,tamen plerunq; manent literis comprehenſæ: quanto magis Dei uocem credendum eſt & manere in æternum,& ſenſu,ac uirtute comitari,quã de Deo patre tanq̃ riuus de fonte traduxit. Quod ſi quis miratur ex Deo Deũ prolatione uocis, ac ſpiritus potuiſſe generari: ſi ſacras uoces prophetarum cognouerit,deſinet profecto mirari. Solomonem, patremq; eius Dauid potentiſſimos reges fuiſſe,& eoſdem prophetas,etiam ijs fortaſſe ſit notum, qui diuinas literas non attigerunt: quorum alter,qui poſterius regnauit,Troianæ urbis excidium centum & quadraginta annis anteceſſit. Huius pater diuinorum ſcriptor hymnorum in pſalmo. XXXII. ſic ait: Verbo Dei cœli ſolidati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Item rurſus in pſalmo quadrageſimo quarto: Eructauit cor meũ uerbũ bonũ,dico ego opera mea regi. Conteſtans uidelicet,nulli alij opera Dei eſſe nota,niſi filio ſoli,qui eſt uerbũ Dei, & quẽ regnare in perpetuũ neceſſe eſt. Item Solomon ipſum uerbũ Dei eſſe demõſtrat,auius manibus opera iſta mũdi fabricata ſunt. Ego inquit,ex ore altiſſimi prodiui ante omnem creaturã: ego cœlos

feci, ut oriretur lumen indeficiens, & nebula texi omnem terram. Ego in altis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Ioannes quoq; ita tradidit: In principio erat uerbum: et uerbum erat apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.

Quod melius à Græcis λόγος, quàm à latinis verbum: & quid de Deo senserint gentiles philosophi Zenon, & Trismegistus. Cap. IX.

SEd melius Græci λόγον dicunt, quàm nos uerbum, siue sermonem: λόγος enim & sermonem significat, et rationem: quia ille est uox, & sapientia Dei. Hunc sermonem diuinum ne philosophi quidem ignorauerũt. Siquidem Zeno rerum naturæ dispositorem, atq; opificem uniuersitatis λόγον prædicat: quem & fatum, & necessitatem rerum, & Deum, & animum Iouis nuncupat: ea scilicet consuetudine, qua solent Iouem pro Deo accipere. Sed nihil obstant uerba, cum sententia congruat ueritati. Est enim spiritus Dei, quem ille animum nominauit: nam Trismegistus, qui ueritatem pene uniuersam nescio quomodo inuestigauit, uirtutem, maiestatemq; uerbi sæpe descripsit: sicut declarat superius illud exemplum, quo fatetur esse ineffabilem quendam sanctumq; sermonem, cuius enarratio modum hominis excedat. Dixi de natiuitate prima breuiter, ut potui. Nunc de secunda, quoniam controuersia est in ea maxima, latius disserendum est, ut ueritatem scire cupientibus, lumen intelligentiæ proferamus.

De secunda

De secunda natiuitate filii, quã prophetæ multo ante prædixerũt. Et quomodo eductus sit Israel ab Aegypto: & quibus ingratus beneficiis caput bouis in memoriam Apis dei Aegyptiorũ figurauerit. Et quod ordo publicarũ fuerit potestatũ vsq; ad dominĩ passionem. Cap. X.

IN primis igitur scire oportet, homines sic à principio præcessisse dispositionem summi Dei, ut esset necesse appropinquante seculi termino dei filium descendere in terram: ut constitueret Deo templum, doceretq; iustitiam. Veruntamen non in uirtute angeli, aut potestate cœlesti, sed in figura hominis, & conditione mortali: ut cũ magisterio functus fuisset, traderetur in manus impiorum, mortemq; susciperet: ut ea quoq; per uirtutem domita resurgeret, et homini, quem induerat, quem gerebat, & spem uincendæ mortis afferret, & ad præmia immortalitatis admitteret. Hanc ergo dispositionem ne quis ignoret, docebimus prædicta esse omnia, quæ in Christo uidemus esse completa. Nemo assseuerationi nostræ fidẽ commodet, nisi ostendero prophetas ante multam temporum seriem prædicasse, fore, ut aliquando filius Dei nasceretur sicut homo, & mirabilia faceret, & cultum Dei per totam terram seminaret: & postremo patibulo figeretur, & tertia die resurgeret. Quæ omnia cum probauero eorum temporum literis, qui Deum suum mortali corpore utentem uiolauerunt: quid aliud obstabit, quo minus ueram sapientiam clarum sit in hac sola religione uersari? Nũc à principio totius sacramẽti origo narranda est. Maiores nostri qui erant principes Hebræorum, cum sterilitate, atq; inopia laborarent, transierunt in Aegyptum rei frumẽtariæ gratia: ibiq;

diutius commorantes, cum intolerabili seruitutis iugo premerentur, tum misertus eorum Deus, eduxit eos, ac liberauit de manu regis Aegyptiorum, post annos trecentos triginta, duce Moyse, per quem postea illis lex à Deo data est, in qua eductione ostendit uirtutem suæ maiestatis deus. Traiecit enim populum medio mari rubro, præcedente angelo, atq; scindente aquam, ut populus per siccum gradi posset, quem uerius (ut ait Poëta)

Curuata in montis faciem circunstetit unda.

Qua re audita, tyrannus Aegyptiorum cũ magna suorũ manu insecutus est: & mare adhuc patens temere ingressus, coëũtibus aquis cũ exercitu delectus est. Hebræi uero egressi in solitudine multa mirabilia uiderũt. Nam cum sitim paterentur, ictu uirgæ rupe peraussa prosilijt fons aquæ, populũq; recreauit, quo rursus esuriente, cœlestis alimẽti pluuia descẽdit, quinetiã coturnices in castra eorũ uentus induxit: ut non modo pane cœlesti, sed etiam instructioribus epulis saturarẽtur. Pro his tam diuinis beneficijs honorem Deo non reddiderũt: sed depulsa iam seruitute, iam sitis fameq; depositâ in luxuriam prolapsi, ad profanos Aegyptiorũ ritus animos transtulerũt. Cũ enim Moyses dux eorũ ascẽdisset in montẽ, atq; ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bouis, quem uocãt ipsi Apin, quod eos signo præcederet, figurarunt. Quo peracto, ac scelere offensus Deus, impiũ, & ingratum populũ pro merito pœnis grauibus affecit: et legi, quã per Moysen dederat, subiugauit. Postea uero cũ in deserta quadam partẽ Syriæ consedisset, amiserũt uetus nomen Hebræi. Et quoniã primeps corũ examinis Iudas erat, Iudæi sunt appellati: et terra, quã incoluere, Iudæa. Et primo quidem non domino regum subiecti fuerunt, sed populo, ac legi: ciuiles iudices præsidebant, non tamen in annum constituti sunt, sicut Rhomani cõsules, sed perpetua in ciuitate ditione subnixi. Tũ sublato iudicũ nomine, potestas regalis inducta est. Verum regimen eorum iudicibus tenentibus, praua

religionis

religiones sæpe susceperant: atq; offensus ab his deus toties alie-
nigenis subiugabat, donec rursus pœnitentia populi mitigatus,
liberaret eos seruitute. Item sub regibus finitimorũ bellis ob de-
licta uexati, postremo capti, abductiq; Babylonem, pœnas impie
tatis suæ graui seruitio pepẽderũt, donec Cyrus ueniret in regnũ
qui statim Iudæos restituit edicto. Exinde Tetrarchas habuerũt
usq; ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberij Cæsaris: cuius
anno quintodecimo, id est duobus geminis consulibus ante diem
septimam Calendarum Aprilium Iudæi Christum cruci affixe-
runt. Hic rerum textus, hic ordo in arcanis sanctarum literarũ
continetur. Sed prius ostendam qua de causa in terram uenerat
Christus, ut fundamentum diuinæ religionis, & ratio claresçat.

Quæ fuerit causa incarnationis Christi. Cap. XI.

CVm sæpe Iudæi præceptis salutaribus repugnarent, atq;
à diuina lege desciscerent aberrãtes ad impios cultus deo
rum, quum deus iustos, & electos Sancto spiritu implebat pro-
phetas in medta plebi constituens: per quos peccata ingrati po-
puli uerbis minacibus increparet, et nihilominus ad pœnitentiã
sceleris agendã hortaretur: quam nisi egissent, atq; abiectis uani
tatibus ad deũ suũ redissent, fore ut testamentũ suum mutaret: id
est hæreditatẽ uitæ immortalis ad exteras conuerteret nationes,
aliumq; sibi populũ fideliorem ex alienigenis congregaret. Illi
autẽ à prophetis increpati, nõ modo uerba corũ respuerunt, sed
quod sibi peccata exprobrarẽtur offensi, eos ipsos exquisitis cru
ciatibus necauerũt: quæ omnia diuinæ literæ signata conseruãt.
Dicit enim propheta Hieremias: Misi ad uos seruos meos, pro-
phetas ante lucẽ mittebã, & nõ audiebatis me, neq; intẽdebatis
auribus uestris, cũ dicerẽ uobis. Cõuertatur unusquisq; à uia sua
mala, & à nequissimis affectationibus uestris: & habitabitis

in terra

in terra ista, quam dedi uobis, & patribus uestris à seculo usq; in seculum. Nolite ambulare post deos alienos, ut seruiatis eis, et ne inàtetis me in operibus manuum uestrarum, ad disperdendos uos. Hesdras autem propheta, qui fuit eiusdem Cyri temporibus à quo Iudæi sunt restituti, sic loquitur: Desciuerunt à te, & abiecerunt legem tuam post cor tuum, & prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos, ut reuerterentur ad te. Item Helias in libro Ἐπιστολῶν tertio: Acmulãs æmulatus sum domino deo omnipotenti: quia dereliquerunt te filij Israel, & altaria tua demolierunt, & prophetas tuos interfecerũt gladio, & remansi ego solitarius, & quærunt animam meam auferre à me. Propter has illorum impietates abdicauit eos in perpetuum: itaq; desijt prophetas mittere ad eos. Sed illum filium suum primogenitum illum opificem rerum, & consiliatorem suum labi iussit è cœlo, ut religionem sanctam dei transferret ad gẽtes, id est ad eos, qui deum ignorabant: docereq; iustitiam, quam perfidus populus abiecerat, quod iampridem annunci auerat se esse facturum. Sic Malachias indicat, dicens: Non est mihi uoluntas circa uos, dicit dominus, & sacrificium acceptũ non habeo ex manibus uestris, quoniam à solis ortu usq; ad occasum clarificabitur nomen meum apud gentes. Item Dauid in psalmo XVII. Constitues me in capite gentium: populus, quem non cognoui, seruiet mihi. Isaias quoq; sic loquitur: Venio colligere omnes gentes, & linguas: & uenient, & uidebunt claritatem meam, et mittã super eos signũ. Et mittam ex his conseruatos in gentes, quæ longe sunt, quæ nõ audierunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in gentes. Volens igitur deus metatorem templi sui mittere in terrã noluit eum in potestate, & claritate cœlesti mittere, ut ingratus in deum populus in errorem maximum inducerctur, ac pœnas pro facinoribus suis lueret: qui dominum, ac deum suum non receperat, quod olim prophetæ eccinerant sic esse facturum. Isaias enim, quem

enim, quem ipsi Iudæi serra confectum crudelissime necauerunt, ita dicit: Audi cœlum, & percipe auribus terra: quoniam dominus locutus est: filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepium domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Hieremias quoq; similiter ait: Cognouit tempus suum turtur, & hirundo, & ruris passeres custodierunt tempora introitus sui, populus autem meus non cognouit iudicium domini. Quomodo dicitis, sapientes sumus, & lex domini nobiscum est? Incassum facta est metatura, falsi scribæ, & confusi sunt: sapientes trepidauerunt, & capti sunt, quoniam uerbum domini reprobauerunt. Ergo (ut cœperam dicere) cum statuisset deus doctorē uirtutis mittere ad homines, renasci eū denuo in carne præcepit, & ipsi homini similem fieri: cui dux, & comes, et magister esset futurus. Sed tamen quoniam clemens est, & pius erga suos deus, ad eos ipsos eum misit, quos oderat, ne illis in perpetuum salutis uiam clauderet, sed daret his liberam facultatem sequendi deum, ut & præmium uitæ adipiscerentur, si eum secuti fuissent, quod plurimi eorum faciunt, atq; fecerunt: & culpa sua in pœnam mortis incurrerent, si regem suum repudiassent. Apud illos igitur & ex corū semine regenerari eum iussit, ne si fuisset alienigena, iustam possent excusationem de lege prætendere, quod eum non susceperint: simul ut nulla omnino gens esset in terra, cui spes immortalitatis negaretur.

De conceptu, & partu virginis prædicto à prophetis: De passione, resurrectione, & ascensione, & iudicio. Cap: XII.

Descendens itaq; de cœlo spiritus ille dei, sanctam uirginē cuius utero se insinuaret, elegit. At illa, diuino spiritu hausto

hausto repleta concepit: & sine ullo attactu uiri repente uirgi-
nalis uterus intumuit. Quod si animalia quædã uento & aura
concipere solere omnibus notũ est, cur quisq̃ mirum putet, cum
spiritu dei, cui est facile quicquid uelit, grauatam esse uirginem
dicimus? Quod sane incredibile posset uideri, nisi hoc futurum
multa ante secula prophetæ cecinissent. Solomon sic ait: Infirma
tus est uterus uirginis, & accepit fœtũ, & grauata est, & facta
est in multa miseratione mater uirgo. Itẽ propheta Isaias, cuius
uerba sunt hæc: Propter hoc dabit deus ipse signum: Ecce uirgo
concipiet in utero, & pariet filium; & uocabitur nomen eius
Hemanuel. Quid hoc manifestius dici potest? Legebãt ista Iudæi
qui eũ negauerunt: si quis nos hæc fingere arbitratur, ab his re-
quirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimoniũ est ad
probandam ueritatẽ, quod ab ipsis perhibetur inimicis. Hema-
nuel nunq̃ uocatus est, sed Iesus, qui latine dicitur salutaris, siue
saluator: quia cunctis gentibus salutifer uenit. Sed propheta de-
clarauit hoc nomẽ, quod deus ad homines in carne ũcturus esset.
Hemanuel autem significat nobiscum deus, scilicet quia illo per
uirginem nato, confiteri homines oportebat deum secum esse, qui
est in terra, & in carne mortali. Vnde Dauid in psalmo octogesi-
simo quarto: Veritas (inquit) de terra orta est: quia deus, in qui
ueritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis uiam salutis ape-
riret. Item Isaias ipse: Ipsi autem non crediderunt, & exacerba-
uerunt spiritum sanctum. Et conuersus est eis ad inimicitiam.
Et ipse expugnauit, & recordatus est dicrum seculi, qui suscita-
uit de terra pastorem ouiũ. Quis autem futurus esset ille pastor,
declarauit alio loco, dicens: Exultent cœli desuper, & nubes in-
duant iustitiam: aperiatur terra, & pullulet saluatorẽ. Ego enim
dominus deus creaui eum. Saluator uero est (ut supra diximus)
Iesus. Sed alio loco idem propheta sic prædicauit: Ecce natus est
nobis puer, et datus est nobis filius, cuius imperiũ super humerum
eius: &

eius: & uocatum est nomen eius magni consilij nuncius. Idcirco missus est à deo patre, ut uniuersis gentibus, quæ sub cœlo sunt, singularis et ueri dei sanctum mysteriũ reuelaret ablatũ perfido populo, qui aduersus deũ sæpe deliquit. Daniel quoq; similia præ locutus est: Videbã (inquit) in uisu noctis, et ecce in nubibus cœli ut filius hominis ueniens, & usq; ad uetustum dierũ peruenit. Et qui assistebant obtulerunt eũ, & datum est ei regnũ, & honor, & imperiũ, & omnis populus, tribus linguæ seruient ei: & potestas eius æterna, quæ nunq̃ transibit: & regnum eius, quod nõ corrumpetur. Quomodo igitur Iudæi & confitentur, & sperãt Christum dei? qui hunc idcirco reprobauerunt, quia ex homine natus est. Nam cũ ita sit à deo constitutum, ut idem Christus bis ueniat in terrã: semel, ut unũ deũ gẽtibus nunciet: deinde, rursus ut regnet, quomodo in secundũ eius aduentũ credũt, qui in primũ nõ crediderũt? Atqui propheta utroq; aduẽtus eius paucis uerbis cõprehendit: Ecce (inquit) in nubibus cœli ut filius hominis ueniẽs: nõ dixit ut filius dei, sed filius hominis: ut ostẽderet, quod carne indui deberet in terra, ut susceptæ hominis figura, & conditione mortali doceret homines iustitiam. Et cum mandatis dei functus, ueritatẽ gentibus reuelasset, multaretur etiam morte, ut inferos etiam uinceret, ac resignaret, atq; demum resurgens ad patrẽ proficiscereturin nube sublatus. Adiecit enim propheta, et ait, usq; ad antiquum dierũ peruenit, et oblatus est ei. Antiquũ dierũ appellauit summum deum, cuius ætas & origo non potest comprehendi, quia solus à seculis fuit, & erit semper in secula. Christum autem post passionem, & resurrectionem ascensurum esse ad deum patrẽ, Dauid in psalmo centesimo nono cõtestatus est his uerbis: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, quoadusq; ponã inimicos tuos suppedaneum pedum tuorũ. Qui propheta cum rex esset, quem appellare dominum suum posset, qui sederet ad dexteram Dei, nisi Christum filium Dei, qui est

rex regum,

rex regum,& dominus dominorũ? Quod Isaias apertius ostendit,dicens:Sic dicit dominus deus Christo domino meo:cuius tenui dextram:obaudire ante eum gentes faciam,& fortitudinem regum disrumpam. Aperiam ante illum portas,& ciuitates non claudentur. Ego antecibo,& montes deplanabo,& fores æreas conteram, & seras ferreas confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos,inuisibiles:ut scias, quia ego sum dominus deus,qui uoco nomen tuum,deus Israel. Deniq; ob uirtutem & fidem,quã deo exhibuit in terra.datum est ei regnũ,& honor,& imperium & omnes populi,tribus,linguæ seruiẽt ei:& potestas eius æterna,quæ nunq̃ transibit:& regnum eius nõ corrumpetur. Quod quidem duobus modis intelligitur:quia & nunc habet perpetuã potestatem,cum omnes gentes,& omnes linguæ nomen eius uenerantur,maiestatem confitentur,doctrinam sequuntur, uirtutes imitantur: habet imperium,habet honorem, cum omnes tribus terræ præceptis eius obtemperant: & idem postea, cum rursus aduenerit in potestate,ac claritate, ut omnem animam iudicet & iustos ad uitam restituat,tunc uero totius terræ regimen obtinebit. Tunc sublato de rebus humanis omni malo, aureum seculum (ut Poëtæ uocant) id est iustum,ac pacificum tempus oriatur. Sed hæc uberius in ultimo libro dissremus,cum de secundo aduentu loquemur:nunc de primo,ut cœpimus,explicemus.

Quod filius à patre est secundum deitatẽ: & quod geminæ substãtiæ esse conuincitur ex operibus propriis:tũ ex oraculis prophetarũ,& etiam Apollinis Milesii testimonio: & quare nec ad Solomonẽ, nec ad aliũ quàm ad Christũ referri possunt vaticinia prophetarũ. Ca. XIII.

Summa

SVmmus igitur Deus, ac parẽs omnium, cum religionem suã transferre uoluisset, doctorem iustitiæ misit è cœlo, ut nouis cultoribus nouam legem in eo, uel per eum daret. Nõ sicut ante fecerat, per hominem, sed tamen nasci eum uoluit tanq̃ hominẽ, ut per omnia summo patri similis existeret. Ipse enim deus pater & origo, & principium rerum, quoniam & parentibus caret, ἀπάτωρ atq; ἀμήτωρ à Trismegisto uerissime nominatur, quod ex nullo sit procreatus. Idcirco etiã filiũ bis nasci oportuit, ut ipse fieret ἀπάτωρ atq; ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate spiritali ἀμήτωρ fuit: quia sine officio matris à solo Deo patre progeneratus est. In secunda uero carnali ἀπάτωρ fuit: quoniam sine patris officio uirginali utero procreatus est: ut mediam inter deum & hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem, imbecillemq; naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere, factus est Dei filius per spiritum, & hominis per carnem, id est & deus & homo. Dei uirtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit: fragilitas hominis ex passione, quam pertulit: quam cur susceperit, Paulo post docebo. Interim & deũ fuisse, & hominem ex utroq; genere permistum prophetis uaticinantibus discimus. Isaias deum fuisse testatur his uerbis: Fatigata est Aegyptus, & negotiatio Aethiopum, & Saba: uiri alti ad te transgredientur, & tui erunt serui, & post te ambulabũt, uincti compedibus, & adorabunt, & te precabuntur: quoniam in te deus est, & non est alius deus præter te. Tu enim deus es, et nesciebamus, deus Israel saluator. Cõfundentur, et reuerebuntur omnes, qui aduersantur tibi, & cadent in confusionem. Item propheta Hieremias sic ait: Hic Deus noster, & non deputabitur alius absq; illo, qui inuenit omnem uiam prudentiæ, & dedit eã Iacob puero suo, et Israël dilecto sibi. Post hæc in terris uisus est & cum hominibus uersatus est. Item Dauid in psalmo. XLIIII. Thronus tuus deus in secula seculorum, uirga æquitatis, uirga

regni tui.

regni tui. Dilexisti iustitiam, & odio habuisti iniustitiam: propterea unxit te deus, deus tuus oleo exultationis. Quo uerbo & nomē ostendit: siquidem (ut supra docui) ab unctione appellatus est Christus. Deinde hominem fuisse eundem Hieremias docet, dicens. Et homo est, et quis cognouit eum? Item Isaias: Et mittet eis Deus hominem, & saluabit eos, iudicans sanabit eos. Sed & Moyses in Numeris ita loquitur: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israël. Propterea Milesius Apollo consultus utrum ne Deus, an homo fuerit, hoc modo respondit Græce:

θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ χαλδάιων κρίτων ὅπλοις συλληφεὶς,
γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

Hoc est: Mortalis erat secundum carnem, sapiens portentificis operibus,
Sed sub iudicibus Chaldæis armis comprehensus,
Clauis & cruce amarum tolerauit finem.

Primo quidem uersu uerum dixit: sed argute consultorē fefellit, sacramentum ueritatis penitus nescientem. Videtur enim negasse illum deum: sed cum fatetur secundum carnem fuisse mortalem, quod nos etiam prædicamus, consequens est, ut secundum spiritū deus fuerit, quod nos affirmamus. Quid enim fuerat necesse carnis facere mentionem, cum satis esset dicere fuisse mortalem? Sed † ueritatem prorsus † Aliter ueritate pressus negare nō potuit, quemadmodum res se haberet. sicut illud, quod ait fuisse sapientē. Quid ad hoc Apollo respondes? Si sapiēs est, ergo doctrina eius sapientia est, nec ulla alia: & sapientes, qui sequuntur, nec ulli alij. Cur igitur uulgo pro stultis, & uanis, & ineptis habemur, qui sectamur magistrum, etiam ipsorum deorum confessione sapientem? Nā quod ait portētifica illū opera fecisse, quo maxime diuinitatis fidem meruit, assentiri nobis iam uidetur, cum dicit eadē, quibus nos gloriamur. Sed colligit se tamē, et ad dæmoniacas

fraudes

fraudes redit. Cum enim uerum necessitate dixisset, iam deorũ, ac sui proditor uidebatur: nisi quod ab eo ueritas extorserat, menadacio fallẽte cælasset. Ait ergo illum fecisse opera miranda, ueriũ non diuina uirtute, sed magica. Quid mirum, si hoc Apollo ueritatem ignorantibus persuasit: cum Iudæi quoq; cultores (ut uidebantur) summi dei idem putauerint? cum ante oculos eorum quotidie fierent illa miracula: nec tamen tantarum uirtutum contemplatione impelli potuerunt, ut deum crederent quem uidebant. Propterea Dauid, quem inter cæteros prophetas uel maxime legunt, in psalmo. XX. sic eos damnat: Redde illis retributionem eorũ: quoniam non intellexerunt opera domini. Ex huius ipsius domo Christũ generatum uti secundum carnem, & ipse Dauid, & alij prophetæ annunciauerunt. Apud Isaiam ita scriptũ est: Et erit in die illa radix Iesse, & qui exurget principari in nationes, in eum gentes sperabunt, & erit requies eius in honore. Et alio loco: Exiet uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus dei, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus pietatis, & implebit illum spiritus timoris dei. Iesse autem fuit pater Dauid, ex cuius radice ascensurum esse florem prælocutus est, eum scilicet, de quo Sibylla dicit.

Ἀνθήσει δ' ἄνθος καθαρὸν μ.

Hoc est, Floreſcet autem flos purus.

Item in Βασιλείων libro secundo. Propheta Nathan missus est ad Dauid uolentem deo templum fabricare, & fuit uerbum domini ad Nathan dicens. Vade, & dic seruo meo Dauid, hæc dicit dominus omnipotens. Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum, sed cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, & parabo semen eius. Hic ædificabit mihi domũ in nomine meo, & erigã † thronũ † Aliter regnum eius usq; in seculum, & ego ero ei in patrem, &

ipse erit mihi in filiũ, & fidẽ consequetur domus eius, & regnũ eius usq; in seculũ. Sed hæc ut Iudæi nõ intelligerẽt, illa fuit causa quod Solomon filius Dauid deo templũ ædificauit, & ciuitatẽ quã de suo nomine Hierosolyma nũcupauit. Itaq; ad ipsum quæ à propheta dicta sunt, retulerunt. Solomon autem ab ipso patre imperij regimen accepit. Prophetæ uero de eo loquebantur, qui tũ nascerctur, postq̃ Dauid cum patribus suis requieuisset. Præterea Solomonis imperiũ perpetuũ nõ fuit, annis enim XL. regnauit. Deinde quod nunq̃ filius dei dictus sit, sed filius Dauid, et domus quã ædificauit, nõ est fidẽ cõsecuta, sicut ecclesia, quæ est uerũ tẽplũ dei: quod nõ in parietibus est, sed in fide, ac corde hoĩm, qui credũt in eũ, ac uocãtur fideles. Illud uero Solomoniũ tẽplũ, quia manu factũ est, manu ecciderit. Deniq; pater eius in psalmo. 127. de operibus filij sui prophetauit hoc modo: Si dominus nõ ædificauerit domũ, sine causa laborãt, qui ædificant eã. Si dominus nõ custodierit ciuitatem, sine causa uigilant qui custodiunt eam.

De æterno Christi sacerdotio, quod prophetæ, sicut & cætera, prædixerunt: sic exprimentes Iesum Christum, ut oracula, nec ad filium Naue, nec ad filium Iosedech valeant retorqueri, & de uiis, quas docuit Christus, qui nunquam suũ honorẽ quæsiuit, sed patris. Cap. XIIII.

Quibus ex rebus apparet, prophetas omnes denunciasse de Christo, fore aliquando, ut ex genere Dauid corporaliter natus constitueret æternum templũ deo, quod appellatur ecclesia: & uniuersas gentes ad religionẽ ueram dei conuocaret. Hæc domus fidelis, hoc immortale templum: in quo si quis non sacrifica-

sacrificauerit,immortalitatis præmiũ non habebit.Cuius templi & magni & æterni, quoniam Christus fabricator fuit, idem necesse est habeat in eo sacerdotium sempiternũ.Nec potest nisi per eum,qui constituit templũ,ad aditũ templi,& ad conspectũ dei peruenire.Dauid in psalmo.CIX.idipsum docet,dicẽs: Ante luciferum genui te. Iurauit dominus,& non pœnitebit eum.Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Item in Ἐκκλησιαστῶ libro primo: Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem,qui omnia,quæ sunt in corde meo,faciat:& ædificabo ei domum fidelem,& transibit in conspectu meo omnibus diebus. Quis autem futurus esset, cui deus æternum sacerdotium pollicebatur,Zacharias etiã nomine posito apertissime docuit,sic enim dixit: Et ostendit mihi dominus deus Iesum sacerdotem magnũ stantẽ ante faciem angeli domini: et diabolus stabat ad dextrã ipsius,ut aduersaretur ei: Et dixit dominus ad diabolum: Imperet tibi dominus uitæ,qui elegit Hierusalem:et ecce titio eiectus ab igne, & Iesus erat indutus uestimentis sordidis, & stabat ante faciem angeli,& respondit,& dixit ad circunstantes ante faciem eius: Ferte uestimenta sordida ab eo,& induite eum tunica talari,& ponite cydarim mundam super caput ipsius, & cooperuerunt eum uestimento, & imposuerunt cydarim mundam super caput ipsius: & angelus domini stabat,& testificabatur ad Iesum dicens:Hæc dicit dominus omnipotens:si in uijs meis ambulaueris, & præcepta mea seruaueris, tu iudicabis domum meam,& dabo tibi qui conuersentur in medio horum circunstantium. Audi itaq; Iesu sacerdos magne. Quis non igitur captos mentibus tum fuisse Iudeos arbitretur, qui cum hæc legerent, & audirent, nefandas manus suas Deo suo intulerunt? Atqui ab eo tempore,quo Zacharias fuit usque ad annum quintum decimum imperij Tiberij Cæsaris, quo Christus crucifixus est,anni quingenti numerantur: siquidem Darij, & Alexandri

adoleuit ætate, qui fuerunt non multo post, q̃ Tarquinius Super-
bus exactus est: sed illi rursus eodem modo falsi, deceptiq; sunt
putãtes hæc de Iesu esse dicta filio Naue, qui suæssor fuit Moy-
si: aut de sacerdote Iesu filio Iosedech: in quos nihil cõgruit eo-
quæ propheta narrauit. Non enim sordidati illi unq̃ fuerunt, cũ
alter corũ princeps potentissimus fuerit, alter sacerdos: aut pe-
pessi sunt aliquid aduersi, ut tanq̃ titio eiectus ex igne putare-
tur. Aut aliquando in conspectu Dei, & angelorum steterunt:
aut propheta de præteritis loquebatur potius q̃ de futuris. Lo-
cutus est igitur de Iesu filio Dei, ut ostenderet eum primo in hu-
manitate, & carne esse uenturum: hæc enim est uestis sordida, ut
pararet templũ Deo, & sicut titio igni combureretur: id est ab
hominibus cruciamenta perferret, & ad ultimũ extingueretur.
Titionem enim uulgus appellat extractũ foco torrem, semiustũ,
extinctum. Quomodo autem, & cum quibus mandatis à Deo
mitteretur in terrã, declarauit spiritus dei per prophetã, docens
futurum, ut cum uoluntatem summi patris fideliter, & constan-
ter impleret, acciperet iudicium, atq; imperium sempiternum. Si
in uijs meis, inquit, ambulaueris, et præcepta mea seruaueris, tu iu-
dicabis domum meam. Quæ fuerint uiæ Dei, & quæ præcepta
eius, nec ambiguum, nec obscurum est. Deus enim, cum uidere
malitiam, & falsorum deorũ cultus per orbem terræ inualuisse,
ut iam nomen eius ex hominum memoria fuisset pene sublatum
(siquidem Iudæi quoq;, quibus solis arcanum Dei creditũ fuerat,
relicto Deo, ad colenda figmenta irretiti dæmonum fraudibus
aberrassent, nec increpiti per prophetas reuerti ad deũ uellent)
filiũ suum principem angelorũ legauit ad homines, ut eos con-
uerteret ab impijs & uanis cultibus, ad cognoscendũ et colendũ
uerum Deũ: item ut eorum mentes à stultitia ad sapientiam, ab
iniquitate ad iustitiæ opera traduceret. Hæ sunt uiæ Dei, in qui-
bus ambulare eũ præcepit. Hæc præcepta, quæ seruãda mãdauit

Ille uero

Ille uero exhibuit Deo fidē: docuit enim quod unus deus sit: cūq; solū coli oportere: nec unq̄ se deum esse dixit, quia non seruaßet fidem, si missus, ut deos tolleret, et unum asseereret, induceret aliū præter unum. Hoc erat non de uno Deo facere præconium, nec eius, qui miserat, sed suum proprium negotium gerere: ac se ab eo, quem illustraturus uenerat, separare. Propterea quia tam fidelis extitit, quia sibi nihil prorsus assumpsit, ut mandata mittentis impleret, & sacerdotis perpetui dignitatem, & regis summi honorem, & iudicis potestatem, & Dei nomen acepit.

De baptismo Christi, & miraculis, quæ gessit in carne ante passionem: quæ non modo à prophetis prenunciata sunt, sed etiam vaticinio Sibyllarū, sicut Cicero, & Varro testātur: sed oracula ante Christi aductū nō potuerūt intelligi. Ca. XV.

Quoniam de secunda natiuitate diximus, qua se hominibus in carne mōstrauit, ueniamus ad illa opera mirāda, quæ cum essent uirtutis cœlestis indicia, magū Iudæi putauerūt. Cum primū cœpit adolescere, tinctus est à Ioanne propheta in Iordane flumine: ut lauacro spiritali peccata, non sua, quæ utiq; nō habebat, sed carnis, quam gerebat, aboleret: ut quemadmodū Iudæos susceptā circuncisione, sic etiam gentes baptismo, id est, purifici roris perfusione saluaret. Tunc uox de cœlo audita est: filius meus es tu, ego hodie genui te. Quæ uox apud Dauid prædicta inuenitur: et descendit super eum spiritus dei formatus in speciem columbæ candidæ. Exinde maximas uirtutes cœpit operari, non præstigijs magicis, quæ nihil ueri, ac solidi ostentant: sed uī ac potestate cœlesti, quæ etiam pridem prophetis nuntiabantur canebatur. Quæ opera tam multa sunt, ut unus liber ad

implenda omnia satis non sit. Enumerabo igitur illa breuiter, ut generatim sine ulla personarum, ac locorum designatione: ut ad exponendam passionis eius, crucisq; rationem possim peruenire quò iamdudũ festinat oratio. Virtutes eius fuerunt, quas Apollo portentificas appellauit: quod quacunq; iter faciebat, ægros, ac debiles. et omni morborum genere laborantes, uno uerbo, uno momento reddebat incolumes: adeò, ut membris omnibus captis, receptis repente uiribus, roborati ipsi lectulos suos reportarẽt, in quibus fuerãt paulo ante delati. Claudis uero, ac pedum uitio afflictis, non modo gradiendi, sed etiam currendi dabat facultatem. Tunc quorum cæca lumina in altissimis tenebris erant, eorũ oculos in pristinũ restituebat aspectum. Mutorũ quoq; linguam in eloquium, sermonemq; soluebat. Item surdorum patefactis auribus, insinuabat auditum: pollutos, ac aspersos maculis repurgabat. Et hæc omnia non manibus, aut aliqua medela, sed uerbo ac iussione faciebat, sicut etiam Sibylla prædixerat:

πάντα λόγῳ πρήσσων, πασάμ νόσον θεραπεύων.

Hoc est: Omnia uerbo agens, omnem infirmitatem curans.

Nec utiq; mirum, quod uerbo faciebat mirabilia, cum ipse esset dei uerbum, cœlesti uirtute, ac potestate subnixum. Nec satis fuit quod uires imbecillibus redderet, quod debilibus integritatem, quod ægris, & languẽtibus sanitatẽ, nisi etiã mortuos suscitaret uelut è somno solutos, ad uitamq; reuocaret. Quæ uidentes tunc Iudæi, dæmoniaca potentia fieri arguebant, cũ omnia sic futura ut facta sunt, arcanæ illorũ literæ continerent. Legebant quippe tum aliorum prophetarum, tum Isaiæ uerba, dicentis: Confortamini manus resolutæ, & genua debilia consolamini. Qui estis pusilli animi, nolite timere, nolite metuere, dominus noster iudicium retribuet, ipse uenict, & saluos faciet nos. Tunc aperiẽtur oculi cæcorũ, et aures surdorũ audient. Tũc salict claudus sicut cerous & plana erit lingua mutorũ, quia rupta est in deserto aqua, & riuus in

riuus in terra sitienti. Sed et Sibylla eadem cecinit his uersibus:

Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται,
Καὶ χωλῶν δρόμος ἔστ' ὠκὺς, καὶ κωφὸς ἀκούσει,
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες.

Hoc est. Mortuorum autem surrectio erit,
Et claudorum cursus erit uelox, & surdus audiet,
Et cæci uidebunt, & muti loquentur.

Ob has eius uirtutes, et opera diuina, cũ magna illum multitudo sequeretur uel debilium, uel ægrotorum, uel eorum, qui curandos suos offerre cupiebant, ascẽdit in montẽ quendam desertũ, ut ibi adoraret, ubi cũ triduo moraretur, ac fame populus laboraret, uocauit discipulos, quærens quantos secũ cibos gestarent. At illi quinq; panes, et duos pisces in pera se habere dixerũt. Afferri ea iussit, ac multitudinẽ per quinquagenos distributã discumbere. Quod cum discipuli facerent, frangebat ipse panem minutatim carnemq; piscium comminuebat, et utraq; in manibus eius augebantur. Et cum apponi illa populo discipulis imperasset, saturata sunt quinq; millia hominum, & insuper duodecim cophini de residuis fragminibus impleti. Quid aut dici, aut fieri potest mirabilius? At id Sibylla futurum cecinerat olim his uerbis,

Εἰν ἄρτοισ ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύεσσει δοιοῖσιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάματα πάντα
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Hoc ist, In panibus simul quinq;, & piscibus duobus
Hominum millia in deserto quinq; saciabit,
Et reliquias tollens post fragmenta omnia,
Duodecim cophinos implebit in spem multorum.

Quæro, quid hic potuerit ars magica moliri, cuius peritia ad nihil aliud, quàm ad circunscribendos oculos ualet? Item secessurus orandi gratia, sicut solebat in montem, præcepit discipulis,

ut nauiculã sumerent: seq; præcederent. At illi urgente iã uespere profecti, contrario uento laborare cœperunt. Cumq; iam mediũ fretum tenerent, tum pedibus mare ingressus, consecutus est eos tanq̃ in solido gradiens: non ut poëtæ Orionem mentiuntur in pelago incedentẽ, qui demersa corporis parte, humero superemi net undas. Et rursus cũ obdormiuisset in naui, & uentus usq; ad extremũ periculũ sæuire cœpisset, excitatus somno, silere protinus uentũ iussit, & fluctus, qui maximi ferebãtur, conquiescere, statimq; sub uerbo eius, tranquillitas insecuta est. Mentiũtur fortasse literæ sanctæ, docentes tantam fuisse in eo potestatẽ, ut imperio suo cogeret uentos obsequi, mária seruire, morbos cedere, inferos obedire? Quid quod eadem Sibyllæ carminibus suis ante docuerunt? quarum una, cuius supra fecimus mentionem, sic ait.

Τοῦσ ἀνέμουσ παῦσει τὲ λόγῳ στρώσει θάλασσαν
Μαινομένην, ποσὶν εἰρήνησ πίστει τὲ πατήσασ.

Hoc est, Ventos compescet, sternet autem mare
Insanum, pedibus pacis fideq; calcatum.

Et rursus alia, quæ dicit,

Κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων ἀπολύσει,
σήσει τεθνύσκοντασ, ἀπώσετ' ἄλγεα πολλοῖσ,
Εκ δὲ μιᾶσ πηγῆσ ἄρτου κόρος ἔσσετ' ἀνδρῶν.

Hoc est, Flumina perambulabit, morbos hominum resoluet,
Viuificabit mortuos, arcebit dolores multis,
Ex uno autem fonte panis sacietas erit uiris:

His testimonijs quidam reuicti solent eo confugere, ut aiant, nõ illa esse carmina Sibyllina, sed à nostris ficta, atque composita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronẽ, Varronemq; legerit, aliosq; ueteres, qui Erythræam Sibyllã, cæterasq; commemorant, ex quarũ libris ista exempla proferimus, qui authores obierint anteq̃ Christus secundum carnem nasceretur. Verum non dubito quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramento sint habita,

habita, cũ ea nemo intelligeret. Deuũciabãt enim mõstrosa quæ dã miracula, quorũ nec ratio, nec tẽpus, nec author designabatur. Deniq; Erythræa fore ait, ut diœretur insana, et mẽdax, ait enim

φήσουσι σιβύλλην
Μαινομένην, ψευστρίαν ἐπὰν δὲ γένηται ἅπαντα
Τηνίκα μου μνήμην ποιήσετε κοὐκέτι μ' οὐδεὶς
Μαινομένην φήσει μεθεοῦ μεγάλοιο προφήτην.

Hoc est, Dicent uatem
Insanam, & mendacem, quum autem facta fuerint uniuersa,
Tum mei memineritis, neq; me iam quisquam
Mendacem dicet dei magni prophetam.

Latuerunt igitur multis seculis, postea uero animaduersa sunt, quæ Christi natiuitas, et passio patefecit arcana, sicut etiã uoces prophetarũ, quæ tũ per annos mille quingentos, uel eo amplius, lectæ fuissent à populo Iudæorum, nec tamen intellectæ sunt, nisi postquàm Christus, & uerbo, & operibus interpretatus est. Illum enim prophetæ annunciauerunt, nec ullo modo poterant quæ illi loquebantur, intelligi, nisi fuissent uniuersa completa.

De passione Christi, quę Iudęis est scandalo, & stultitiæ gẽtibus: quomodo summam virtutem contineat, & verã, & singularem sapientiam, & veritatem, sicut prophetæ fuerunt prælocuti. Cap. XVI.

Venio nunc ad ipsam paßionem, quæ uelut opprobrium nobis obiectari solet, quod & hominem, & ab hominibus insigni supplicio affectum, & excruciatum colamus: ut doceam eam passionem ab eo cum magna & diuina ratione susceptam: & in ea sola ad uirtutem, & ueritatem, & sapientiam contineri. Neq; enim si beatißimus in terra fuisset, & per omnẽ

uitam in

uitam in summa felicitate regnasset, quisq̃ illum sapiens aut deũ credidisset, aut honore diuino dignum iudicasset: quod faciunt uerae religionis expertes, qui caducas opes, & fragilem potentiã & alieni beneficij bona non tantum suscipiunt, ucrumetiã consecrant, & scientes memoriae mortuorum deseruiunt, fortunam iam extinctam colentes: quam ne uiuam quidem, praesentemq; sapientes colendam sibi unq̃ putauerunt. Nec enim potest aliquid in rebus terrenis esse uenerabile, coeloq; dignũ: sed sola est uirtus, sola iustitia, quae potest uerum bonum, & coeleste, & perpetuum iudicari: quia nec datur cuiq̃, nec aufertur: qua uirtute, ac iustitia quoniam Christus instructus uenit in terrã, imo uero quoniam ipse est uirtus, et ipse iustitia, descendit, ut eam doceret, hominẽq; formaret. Quo magisterio, ac dei legatione perfunctus ob eam ipsam uirtutem quam simul & docuit & fecit, ab omnibus gentibus & meruit et potuit deus credi. Ergo cũ magnus populus ad eum, uel ob iustitiam, quam docebat, uel ob miracula quae faciebat, subinde confluceret, & praecepta eius audiret, & à deo missum, deiq; filium crederet: tum primores Iudaeorum, & sacerdotes ira stimulati, quod ab eo tanq̃ peccatores increpabantur: & inuidia depraua ti, quod confluente ad eum multitudine, contemni se ac deseri uidebant, & quod caput sceleris illorum fuit stultitia & errore caecati, & immemores praeceptorum coelestium, ac prophetarum, coierunt aduersus eum, impiumq; consilium de eo tollendo, cruciandoq; ceperunt, quod prophetae multo ante scripserant. Nã & Dauid in principio psalmorũ suorũ praeuidens in spiritu, quantum facinus admissuri essent, beatum esse ait, qui nõ abierit in consilio impiorũ. Et Solomon in libro Sapientiae his uerbis usus est: Circunueniamus iustũ, quoniã insuauis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis: promittit se scientiã dei habere, et filiũ dei se nominat: factus est nobis in traductionẽ cogitationũ nostrarũ: grauis est nobis etiã ad uidẽdũ:

quoniam

quoniã dissimilis est alijs uita illius, et immutatæ sunt uiæ illius: tanquam nugaces æstimati sumus ab eo: cõtinet se à uijs nostris quasi ab immunditijs, et præfert nouissima iustorũ, et gloriatur patrem se habere deum. Videamus ergo si sermones illius ueri sunt, et tentemus quæ uentura sunt illi. Cõtumelijs, & tormentis interrogemus eum, ut sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt. Excæcauit enim illos stultitia ipsorũ & nescierunt sacramenta dei. Nonne ita descripsit nefarium illud consiliũ ab impijs initum contra deum, ut plane interfuisse uideatur? Atqui à Solomone qui hæc cecinit, usq; ad id tempus, quo gesta res, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos fingimus, nihil addimus. Habebant hæc qui fecerunt: legebant, in quos hæc dicta sunt: sed & nunc hæredes nominis & sceleris illorum hæc & habent, & damnationem suorum, prophetarum uoce prædictã, quotidianis lectionibus personãt: nec aliquando in cor suum, quæ pars est & causa damnationis, admittunt. Increpiti ergo sæpe à Christo Iudæi exprobrante illis peccata, & iniustitias, & à populo pene deserti, concitati sunt ad eum necandum. Cuius rei audaciam illis dedit humilitas eius. Nam cum legerent cum quanta uirtute, & claritate filius dei uenturus esset è cœlo Iesum autem cernerent humilem, quietum, sordidum, informem, non credebant filium dei esse, ignorantes duos aduentus eius à prophetis esse prædictos. Primum in humanitate carnis obscurum. Secundum in fortitudine maiestatis manifestum. De primo Dauid in psalmo septuagesimo primo sic ait: Descendet sicut pluuia in uellus, & orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna. Sicut enim pluuia si descendat in uellus, animaduerti non potest: quia strepitum non facit, ita Christum in terram sine cuiusquam suspicione uenturum esse dixit, ut iustitiam docoret & pacem. Isaias quoque ita tradidit:

Domine

Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Annunciauimus coram ipso sicut pueri, & sicut radix in terra sitienti: non est figura eius, neq; claritas, & uidimus illum, & non habuit figuram, neq; decorem, sed figura eius sine honore, & deficiẽs præter cæteros homines, homo in plaga positus est, sciens ferre imbecillitatem: quia auersus est, & non est cõputatus. Hic peccata nostra portat, & pro nobis hic dolet & non putauimus ipsum esse in dolore, & in plaga, & uexatione. Ipse autẽ uulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra: doctrina pacis nostræ super illũ, liuore eius nos sanati sumus. Omnes sicut oues errauimus, et deus tradidit illũ pro peccatis nostris. Et Sibylla eodẽ modo ait:

Οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος, ἐν οἰκτροῖς ἐλπίδα δώσει

Hoc est: Miserabilis, ignominiosus, informis, ut miserabilibus spem præbeat.

Propter hanc humilitatem, deum suum non agnoscentes, inierũt consilium detestandum, ut priuarent eum uita, qui ut eos uiuificaret, aduenerat.

Quod calumniati sunt eum quasi legis destructorem: & quid præfigurauerit circũcisio: & quare in illo iussa sit fieri membro. Et quare prohibitũ sit carne suilla vesci. Caput. XVII.

SEd iræ, atq; inuidiæ suæ, quã in cordibus suis gerebant intus inclusam, alias causas præferebant: quod legẽ Dei per Moysen datam solueret, id est quod sabbatis non uacaret operans in salutem hominum: quod circuncisionem uacue faceret, quod abstinentiam suillæ carnis auferret. In quibus rebus Iudaicæ religionis sacramenta consistunt. Ob hæc itaq; cætera pars populi,

quæ non-

quæ nondum à Christo secesserat, à sacerdotibus incitabatur, ut impium iudicaret eum, quod legem Dei solueret: cum hoc ille nõ suo iudicio, sed ex dei uoluntate, & secundum prædicta faceret prophetarum. Micheas enim nouam legem daturum denunciauit hoc modo: Lex de Sion proficiscetur, & sermo domini ex Hierusalem, & iudicabit inter plurimos populos, & reuinciet, et diriget in ualidas nationes. Illa enim prior lex, quæ per Moysen data est, nõ in monte Sion, sed in monte Oreb data est, quam Sibylla fore ut à filio Dei solueretur, ostendit:

Αλλ' ὅτε ταῦτ' ἅπαντα τελειωθῇ ἅπερ εἶπον,
Εισ αὐτὸν πᾶσ λυσετ) νόμοσ.

Hoc est: Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi,
In ipsum omnis lex soluetur.

Sed & ipse Moyses, per quem datam sibi legem dũ pertinaciter tuentur, exciderunt à deo, & deum nõ agnouerunt: prædixerat fore, ut propheta maximus mitteretur à deo, qui sit supra legem qui uoluntatem Dei ad homines perferat. In Deuteronomio ita scriptum reliquit: Et dixit dominus ad me: Prophetã excitabo eis de fratribus eorum sicut te, & dabo uerbum meum in os eius & loquetur ad eos ea, quæ præcepero ei: et quisquis nõ audierit ea, quæ loquetur propheta ille in nomine meo, ego uindicabo in eum. Denunciauit scilicet dominus per ipsum legiferum, quod filium suum, id est uiuam, præsentemq; legem missurus esset, & illam ueterem per Moysen datam soluturus, ut denuo per eum, qui esset æternus, legem sanciret æternam. Item de circuncisione soluenda: Isaias ita prophetauit: Hæc dicit dominus uiris Iuda, qui habitant in Hierusalem: Reuocate inter uos nouitatem, & ne seminaueritis in spinis. Circuncidite uos domino deo uestro, et circuncidite præputium cordis uestri: ne exeat ira mea sicuti ignis, & non sit qui extinguat. Item Moyses ipse: In nouissimis diebus circuncidet dominus cor tuum ad dominnm deum tuum

amandum.

amandum. Item Iesus Naue successor eius: Et dixit dominus ad Iesum. Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & sede, et circuncide secũdo filios Israel. Secundam circuncisionem futuram esse dixit, nõ carnis, sicut fuit prima, qua etiã nũc Iudæi utuntur, sed cordis, ac spiritus, quam tradidit Christus, qui fuit uerus Iesus. Nõ enim propheta sic ait: Et dixit dominus ad me: sed, ad Iesum ut ostenderet quod non de se loqueretur, sed de Christo, ad quem tunc deus loquebatur. Christi enim figurã gerebat ille Iesus: qui cum primum Auses uocaretur, Moyses futura præsentiens iussit eũ Iesum uocari, ut dux militiæ delectus esset aduersus Amalech, qui oppugnabat filios Israel: & aduersarium debellaret per nominis figuram, & populum in terram promissionis induceret. Et idcirco Moysi etiam successit, ut ostenderet nouam legem per Iesum Christũ datam ueteri legi successurã, quæ data per Moysen fuit: Nam illa carnis circũcisio caret utiq; ratione: quia si deus id uellet, sic à principio formasset hominem, ut præputium non haberet: sed huius secundæ circuncisionis figura erat significãs nudandum esse pectus, id est aperto, & simplici corde oportere nos uiuere: quoniam pars illa corporis, quæ circunãditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda. Et ob hanc causam deus nudari eam iussit, ut hoc argumẽto nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id est ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta uellemus. Hæc est cordis circunãsio, de qua prophetæ loquuntur, quam deus à carne mortali ad animã trãstulit, quæ sola mãsura est. Volens enim uitæ, ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circuncisione proposuit, ut si cor nudauerimus, id est peccata cõfessi satis deo fecerimus, ueniã consequamur: quæ contumacibus, & admissa sua cælãtibus denegatur ab eo, qui nõ faciẽ sicut homo sed intima et arcana pectoris intuetur. Eodẽ etiã spectat carnis suillæ interdictio: à qua cũ eos abstinere iussit deus, id potissimũ

uoluit

noluit intelligi,ut se à peccatis atq; immunditijs abstinerent. Est enim lutulentũ hoc animal: et immundũ,nec unq̃ cœlum aspicit, & in terra toto corpore proiectum & orè: uentri semper,& pabulo seruit: nec ullum alium, dum uiuit,præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ uel sedendi uehiculũ præbent,uel in cultibus agrorum uiuunt,uel plaustra collo trahant, uel onera tergo gestant,uel indumentum exuuijs suis exhibent, uel copia lactis exuberant,uel custodiendis domibus inuigilant. Interdixit ergo,ne porcina carne uescerentur,id est ne uitam porcorũ imitarentur,qui ad solam mortem nutriuntur: nec uentri ac uoluptatibus seruientes,ad faciendam iustitiam inutiles essent,ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent sicut sus, quæ se cœno ingurgitat, uel ne terrenis seruiant simulachris,ac se luto inquinent: lutũ enim se oblinunt,qui deos,id est qui lutum terramq; uenerantur. Sic uniuersa præcepta Iudaicæ legis ad exhibendam iustitiam spectant: quoniam per ambages data sunt, ut per carnalium figuram spiritalia noscerentur.

Quę causa,& quis fuerit ordo dominicæ passionis: & quibus sit prænunciata oraculis.

Cap. XVIII.

CVm igitur ea,quæ deus uoluit fieri, quæq; per prophetas suos multis seculis ante prædixit,Christus impleret: ob ea incitati,& diuinas literas nescientes cœperunt ut deum suum condemnarent. Quod cum sciret futurum,ac subinde diceret,oportere se pati,ac interfici pro salute multorum,secessit tamen cum discipulis suis,non ut uitaret quod necesse erat perpeti, ac sustinere,sed ut ostenderet,quod ita fieri oporteret in omni persecutione,ne sua quis culpa incidisse uideatur: ac denunciauit fore,ut ab uno eorum proderetur. Itaq; Iudas præmio illectus tradidit

filium

filium dei Iudæis. At illi comprehensum,ac Pontio Pilato,qui tũ legatus Syriam regebat,oblatum,cruci affigi postulauerunt:ob- ijcientes ei nihil aliud,nisi quod diceret se filium dei esse,& regẽ Iudæorum. Item quod dixerat: Si solueritis hoc templum,quod ædificatum est annis.XLVI.ego illud sine manibus in triduo re- suscitabo:significans breui futuram passionem suam,& se à Iu- dæis interfectum,tertio die resurrecturum. Ipse enim erat uerum dei templum. Has uoces eius tanq̃ infaustas,& impias insecta- bantur. Quæ cũ Pilatus audisset,& ille in defensionem sui nihil diceret,pronunciauit nihil in eo damnatione dignum uideri. At iniustissimi accusatores cum populo, quem incitauerant,succla- mare cœperunt,& crucem eius uiolentis uocibus flagitare. Tũ Pontius & illorum clamoribus,& Herodis Tetrarchæ instiga- tione metuentis ne regno pellerctur, uictus est. Nec tamen ipse sententiam protulit,sed tradidit eum Iudæis, ut ipsi de illo secun- dum legẽ suã iudicarent. Duxerunt ergo eum flagellis uerberatũ & prius q̃ cruci affigerent,illuserunt:indutum enim coloris pu- nicei uestẽ,ac spinis coronatum, quasi regem salutauerunt,& dederunt ei cibum fellis,& miscuerunt ei acceti potionem. Post hæc conspuerunt in faciem eius, & palmis ceciderunt. Cumq; ipsi carnifices de uestimentis eius cõtenderent,sortiti sunt inter se de tunica & pallio. Et cum hæc omnia fierent,nullam uocem ex ore suo,tanq̃ si mutus esset emisit. Tum suspenderunt eũ inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant, cruci affixerunt. Quid hic ergo in tanto facinore deplorem? Aut qui- bus uerbis tantũ nefas conquerar? Non enim Cannianam crucẽ describimus,quam M.Tullius uniuersæ eloquentiæ suæ uerbis,& uiribus,uelut effusis totius ingenij fontibus prosecutus est:facti- nus indignum esse proclamans,ciuem Rhomanum cõtra omnes leges in cruce esse sublatum. Qui quamuis innocẽs fuerit,& illo supplicio indignus,mortalis tamen:& ab homine scelesto, qui

iustitiam

iustitiam ignoraret, affectus est. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua deus à cultoribus dei suspensus, atq; suffixus est? Quis tam facundus, & tanta rerum uerborumq; copia instructus existet? quæ oratio tantæ affluentiæ ubertate decurrens ut illam crucem merito deploret, quam mundus ipse, & tota elementa luxerunt? Hæc autem sic futura fuisse, & prophetarum uocibus, et Sibyllinis carminibus denunciatum est. Apud Isaiam ita scriptum inuenitur: Non sum contumax, neq; contradico: dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas: faciem autem meã non auerti à fœditate sputorũ. Similiter Dauid in psalmo. 34. Congregata sunt super me flagella, & ignorauerunt: dissoluti sunt, nec compuncti sunt: tentauerunt me, & deriserunt derisu, et stridérunt dentibus suis super me. Sibylla quoq; eadem futura monstrauit:

Εισ ἀνόμων χ ̣ρασ, ηϱὴ ἀπίσων ὕσεϱομ ἥξ ̣ι
Δώσουσι δὲ θεῷ ϱαπίσματα χερσὶμ ἀναγνοισ
Καὶ σόμασιμ μιαῤῥοῖσι τὰ πτύσματα φαεμακόεντα
Δώσει δ' εἰσ μάσιγασ ἁ ̣ωλῶσ ἀγνὸμ τότε νῶτομ.

Hoc est. In manus iniquorum & infidelium postea ueniet,
Dabunt ei alapas manibus incestis,
Et faucibus immundis expuent saliuas uirulentas,
Dabit autem in uerbera simpliciter innocens tunc dorsum.

Itẽ de silẽtio eius quod usq; ad mortẽ pertinaciter tenuit, Isaias sic locutus est: Sicut ouis ad immolãdũ ductus est, et sicut agnus coram tondẽtibus sine uoce, sic nõ aperuit os suũ. Et Sibylla supradicta:

Καὶ κολαφιζόμενοσ σιγήσει, μήτισ ἐπιγνῶ
Τὸν λόγον, ἢ πόθεμ ἦλθεμ, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ.
Καὶ στέφανομ φοϱέσει τὸμ ἀκάνθινομ.

Hoc est: Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat
Quod uerbum, & unde uenit, ut mortuis loquatur,
Et coronam portabit spineam.

De cibo uero, et potu, quē anteq̄ eū figerēt, illi obtulerūt, Dauid in psalmo. 73. sic ait: Et dederūt in escam meā fel, & in siti mea potauerūt me aceto. Idē hoc futurū etiā Sibylla concionata est:

Εισ δὲ το βρῶμα χολήν, κ᾽ εισ δίψαν ὄξοσ ἔδωκαν
Τῆσ ἀφιλοξενίησταν τὴν δείξουσι τράπεζαν.

Hoc est: In cibum autem fel, in sitim acetum dabunt,
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.

Et alia Sibylla Iudæam terram his uerbis increpat:

Αυτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
παίζοντ᾽ ἐν θνητοῖσι νοίμασιν ἀλλά γ᾽ ἀκάνθαισ,
Εστεψασ στεφάνω, φοβερήν τε χολὴν ἐκέρασσασ.

Hoc est: Ipsa enim stulta deum tuum non cognouisti
Ludentem inter mortales cogitationes, sed & spinis
Coronasti corona, horridumq; fel miscuisti.

Fore autem ut Iudæi manus inferrent deo suo, eūq; interficerēt, testimonia prophetarum hæc antecesserunt. Apud Esdram ita scriptum est: Et dixit Esdras ad populum: Hoc pascha saluator noster est, & refugiū nostrū: cogitate, et ascendat in cor uestrū, quoniā habemus humiliare eū in ligno: & post hæc sperabimus in eū, ne deseratur hic locus in æternū tēpus, dicit dominus deus uirtutū. Si non credideritis in eū, neq; exaudieritis anuunciationem eius, eritis derisio in gentibus. Vnde apparet Iudæos nullā aliā spem habere, nisi se abluerint à sanguine, ac sperauerint in eumipsum, quē negauerunt. Isaias, cum facinus eorum designat, dicit: In humilitate eius iudiciū sublatum est. Natiuitatem eius quis enarrabit? quoniā aufertur à terra uita eius: à facinoribus populi mei abductus est ad mortē: & dabo malos pro sepultura eius, et diuites pro morte eius: quia facinus nō fecit, neq; inuētus est dolus in ore eius. Propterea ipse hæreditabit multos, & fortium diuidet spolia: propterea quod traditus est ad mortē. et inter facinorosos deputatus est: & ipse peccatū multorum pertulit, &

propter

propter facinora illorum traditus est. Dauid quoq; in psalmo XCIII. Captabant in animam iusti,& sanguinem innocentem condemnabunt,et factus est mihi dominus in refugium. Et Hieremias: Domine significa mihi,& cognoscam,tunc uidi meditationes eorũ: ego sicut agnus sine macula perductus sum ad uictimam: in me cogitauerunt cogitationẽ dicẽtes: Venite, mittamus lignũ in panem eius,& eradamus è terra uitam eius,& nomen eius non erit in memoria amplius. Lignũ autem crucẽ significat & panem corpus eius: quia ipse est cibus,& uita hominum,qui credunt in carnẽ,quam portauit,& in crucem,in qua pependit. De qua tamen apertius ipse Moyses in Deuteronomio ita prædicauit: Et erit pendens uita tua ante oculos tuos,et timebis die ac nocte,& non credes uitæ tuæ. Idem rursus in Numeris: Non quasi homo Dominus suspenditur,neq; quasi filius hominis minas patitur. Zacharias etiam sic tradidit, Et intuebuntur in me, quem transfixerunt. Item Dauid in psalmo. XXI. Effoderunt manus meas, et pedes meos, dinumerauerũt omnia ossa mea: ipsi autẽ contemplati sunt,& uiderũt me: diuiserunt sibi uestimẽta mea,et super uestem meam miserunt sortẽ. Quæ utiq; propheta non de se locutus est. Fuit enim rex, & nunq̃ illa perpessus est. Spiritus dei per illũ loquebatur, qui fuerat illa passurus post annos mille & quinquaginta. Tot enim colliguntur anni à regno Dauid usq; ad crucẽ Christi. Sed et Solomon filius eius, qui Hierosolymam condidit, eã ipsam perituram esse in ultionẽ sanctæ crucis prophetauit, Quod si auertimini à me, dicit Dominus,& non custodieritis ueritatẽ meã, reijciam Israel à terra, quam dedi illis: & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo, proijciam illã omnibus: & erit Israel in perditionẽ,& in opprobriũ populo,& domus hæc erit deserta: & omnis, qui transibit per illam, admirabitur, & dicet: Propter quam rem fecit dominus terræ huic,& domui huic hæc mala? Et dicent: Quia reliquerũt

dominum deum suum, et persecuti sunt regem suum dilectissimũ Deum, & cruciauerunt illum in humilitate magna, propter hoc importauit Deus illis mala hæc.

De miraculis, quæ in passione domini contigerunt: de sepultura, & resurrectione, & à quibus testimoniis prophetarum fides roboretur istorum. Cap. XIX.

QVid amplius de facinoribus Iudæorũ dici potest, quàm excæcatos tum fuisse, atq; insanabili furore correptos: qui hæc quotidie legentes, nec intellexerunt, neq; quin facerent, cauere uoluerunt? Suspensus igitur, atq; affixus exclamauit ad dominum uoce magna, & ultro spiritum posuit. Eadem hora terræmotus factus est. Et uelum templi, quod separabat duo tabernacula, scissum est in duas partes: & sol repente subductus est. & ab hora sexta usq; ad nonam tenebræ factæ sunt. Qua de re Amos propheta testatur: Et erit in die illo dicit dominus, occidet sol meridie, & tenebrabitur dies lucis: & conuertam dies festos uestros in luctum, & cantica uestra in lamentationem. Item Hieremias: Exterrita est quæ parit, & tæduit animam, & occidit sol ei, cum adhuc medius dies esset, confusa est, & maledicta: reliquos eorum in gladium dabo, in conspectu inimicorum eorum. Et Sibylla ait:

Ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ.
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

Hoc est: Templi uero scindetur uelum, & medio die
Nox erit tenebrosa ingens tribus horis.

Cum hæc facta essent, ne prodigijs quidem cœlestibus facinus suum intelligere quieuerunt. Sed quoniam prædixerat se tertio die ab

die ab inferis resurrecturum, metuentes ne à discipulis surrepto, & amoto corpore uniuersi resurrexisse eum crederent, & fieret multo maior in plebe confusio, detraxerunt eum cruci: & conclusum in monumento firmiter, militari custodia circundederũt. Verum tertio die ante lucem terræmotu facto repente patefactũ est sepulchrum: & custodibus, quos attonitos obstupefecerat pauor, nihil uidentibus, integer è sepulchro, ac uiuus egressus, in Galilæã profectus est, ut discipulos suos quæreret: in sepulchro uero nihil repertum est, nisi exuuiæ, quibus inuolutum corpus incluserant. Illum autẽ apud inferos non remansurum, sed tertio die resurrecturum prophetæ cecinerant. Dauid in psalmo. XL. Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctũ tuum uidere interitum. Item in tertio: Ego dormiui, & somnum cepi, & resurrexi: quoniam dominus auxiliatus est mihi. Osee quoq; primus. XII. prophetarum de resurrectione eius testificatus est: Hic filius meus sapiens, propter quod nunc non resistet in tribulatione filiorum suorum, & de manu inferorum eruam eum. Vbi est iudicium tuum mors, aut ubi est aculeus tuus? Idem alio loco: Viuificabit nos post biduum die tertio. Et ideo Sibylla impositurum esse morti terminum dixit post triduanũ somnum:

Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
Καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀνακνίψας εἰς φάος ἥξει
πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Hoc est: Mortis fatum finiet triduum sopitus,
Et tunc à mortuis egressus in lucem ueniet,
Primus resurrectionis uocatis initium ostendens
Vitam enim nobis acquisiuit morte superata.

Nulla igitur spes alia consequendæ immortalitatis homini datur nisi crediderit in eum, et illam crucem portandam, patiendamq; susceperit.

Quod profectus Galilæam dominus, post resurrectionẽ discipulis scripturarũ reserauit arcana. Et quare lex, vetus dicatur testamentũ, nec potuerit intelligi ante mortẽ domini. Et quod nouũ testamentũ veteris adimpletio est, & quibus hoc ante prędictũ sit testimoniis. Ca. XX

PRofectus ergo in Galilæã (noluit enim se Iudæis ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, atq; impios seruaret) discipulis iterũ congregatis scripturæ sanctæ literas, id est prophetarũ arcana patefecit, quæ anteq̃ pateretur, perspici nullo modo poterant, quia ipsum, passionemq; eius annunciabant. Idcirco Moyses, & ijdem ipsi prophetæ legẽ, quæ Iudæis data erat, testamentum uocant, quia nisi testator mortuus fuerit, nec cõfirmari testamentum potest, nec sciri quid in eo scriptũ sit. quia clausum et obsignatum est. Itaq; nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, id est reuelari, & intelligi mysterium dei non potuisset. Verum scriptura omnis in duo testamenta diuisa est. Illud quod aduentum domini, paßionemq; anteceßit, id est lex, et prophetæ, uetus dicitur. Ea uero, quæ post resurrectionẽ eius suprà scripta sunt, nouum testamentũ nominatur. Iudæi ueteri utuntur, nos nouo. Sed tamen diuisa non sunt, quia nouum ueteris adimpletio est, & in utroq; idem testator est Christus, qui pro nobis mortem suscepit, nos hæredes æterni regni fecit, abdicato, & exhæredato populo Iudæorum, sicut Hieremias propheta testatur, cum loquitur talia. Ecce dies uenient, dicit dominus, & consummabo domui Israel, & domui Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut illos educerem è terra Aegypti: quia ipsi

quia ipsi non perseuerauerũt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Item alio loco similiter ait: Dereliqui domũ meam, dimisi hæreditatem meam in manu inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea, sicut leo in sylua: dedit super me uocem suam, ideo odi eam, cum sit hæreditas eius cœleste regnum. Non utiq; ipsam hæreditatem se odisse dicit, sed hæredes: qui aduersus eum ingrati, & impij extiterunt. Facta est (inquit) hæreditas mea mihi, sicut leo, id est præda, & deuoratio factus sum hæredibus meis, qui me immolauerunt sicut pecus: dedit super me uocem suam, id est sententiam aduersus me mortis, crucisq; dixerunt. Nam quod superius ait consummaturum se domũ Iuda testamentum nouum, ostendit uetus illud testamentum, quod per Moysen datum est, non fuisse perfectum: id, quod per Christum dari haberet, consummatum fore. Domus autem Iudæ & Israel non utiq; Iudæos significat, quos abdicauit, sed nos: qui ab eo conuocati ex gentibus in illorum locũ, adoptionemq; succesimus: & appellamur filij Iudæorum: quod declarat Sibylla, cum dicit:

Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανίωνων.

Hoc est, Iudæorum beatorum diuinum genus cœlestium.

Quod autem futurum esset id genus Isaias docet, apud quem pater summus ad filium loquitur, dicens. Ego Dominus Deus uocaui te ad iustitiam, & tenebo manum tuam, & confirmabo te, et dedi te in testamentum generis mei in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex uinculis alligatos, & de domo carceris sedentes in tenebris. Cũ igitur nos antea tanquàm cæci & tanquàm carcere stultitiæ inclusi sederemus in tenebris, ignorantes deum, & ueritatem, illuminati sumus, qui nos testamento suo adoptauit, & liberatos uinculis malis, atq; in lucem sapientiæ productos in hæreditatem regni cœlestis asciuit.

De ascensione domini, diuisione discipulorum ad nascẽtis ecclesiæ fundamentum iaciendum,& roborandum, & miraculis corũ:& quomodo Petrus & Paulus Rhomã venientes prophetauerunt regẽ in breui venturum, qui Hierosolymam destrueret,& Iudęos deleret,eodẽ modo quo postea contigit. Cap. XXI.

ORdinato uero discipulis suis Euangelio, ac nominis sui prædicatione,circunfudit se repẽte nubes,eumq; in cœlũ sustulit,quadragesimo post passionẽ die,sicut Daniel fore ostenderat,dicens:Et ecce in nubibus cœli filius hominis ueniens usq; ad uetustũ dierũ peruenit.Discipuli uero per prouincias dispersi fundamenta ecclesiæ ubiq; posuerunt,faciẽtes & ipsi in nomine magistri dei magna,& pene incredibilia miracula:quia descendens instruxerat eos uirtute,ac potestate,qua posset nouæ annunciationis ratio fundari,& cõfirmari:sed & futura aperuit illis omnia,quæ Petrus & Paulus Rhomæ prædicauerũt:& ea prædicatio in memoriam scripta permansit, in qua cum multa alia mira,tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breue tẽpus immitteret deus regem,qui expugnaret Iudæos,et ciuitates eorũ solo adæquaret.Ipsos autem fame,sitiq; confectos obsideret.Tũ fore,ut corporibus suorũ uescerentur,& consumerent se inuicẽ. Postremo,ut capti uenirent in manus hostium: & in conspectu suo acerbissime cõiuges suas uexari ærnerẽt,uiolari,ac prostitui uirgines,diripi pueros,allidi paruulos,omnia deniq; igni, ferro uastari,captiuos in perpetuum terris suis exterminari: eo quod exultauerunt super amantissimum,et probatissimum dei filium.

Itaq;

Itaq; post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Iudæorum gentem, & nomen Vespasianus extinxit: fecitq; omnia, quæ illi futura prædixerant.

Quod argumentis reuincendi sunt, qui diuinis detrahũt sacramẽtis: & quibus argumentis vtantur infideles, vt dominicæ incarnationis fidem euacuent. Cap. XXII.

CONfirmata sunt (ut opinor) quæ falsa, & incredibilia putantur ab ijs, quos uera cœlestium literarum doctrina nõ imbuit: sed tamen ut refellantur à nobis etiam illi, qui nimium, non sine malo suo sapiunt, rebusq; diuinis fidem detrahunt, argumentisq; illorum coarguamus errorem: ut tandem aliquando uideant ita fieri oportuisse, sicut nos ostẽdimus factũ. Et quanq; apud bonos iudices satis habeant firmitatis, uel testimonia sine argumentis, uel argumenta sine testimonijs, nos tamen non contenti alterutro sumus: cum suppeditet nobis utrunq;, nc cui peruerse ingenioso aut non intelligendi, aut contra disserendi locũ relinquamus. Negant fieri potuisse, ut naturæ immortali quicq; decederet. Negant deniq; deo dignum, ut homo fieri uellet: seq; infirmitate carnis oneraret, ut passionibus, ut dolori, ut morti se ipse subijceret, quasi non facile illi esset, ut citra corporis imbecillitatem se hominibus ostenderet, eosq; iustitiã doceret: siquidẽ id ualebat maiore authoritate (ut aiunt) professi dei. Tunc enim cunctos fuisse præceptis cœlestibus parituros, si ad ea uirtus, ac potestas dei præcipientis accederet. Cur igitur (aiunt) ad docendos homines, nõ ut Deus uenit? Cur se tam humilẽ, imbecillemq; constituit, ut ab hominibus & contemni, et pœna affici posset? cur uim ab imbecillibus & mortalibus passus est? cur nõ manus

hominum

hominum aut uirtute repulit, aut diuinitate uitauit? cur non manifestatem suam sub ipsa saltem morte patefecit? sed ut inualidus in iudicium ductus est, ut nocens damnatus, ut mortalis occisus. Refutabo hæc diligenter, nec quenquam patiar errare. Illa enim magna, & mirabili ratione sunt facta, quæ quicunq; perceperit non tantum mirari desinet, deum ab hominibus esse cruciatum, uerumetiam facile peruidebit, ne Deum quidem potuisse credi, si ea ipsa, quæ arguit, facta non essent.

Quod præceptoris morum vacillat authoritas, si nō facit ipse quod docet: sicut in philosophis patet, qui cōtra sua præcepta viuebāt: sed Christus primo fecit, postea docuit. Caput. XXIII.

QVicunq; præcepta dat hominibus ad uitā, moresq; suos dirigit aliorum, quæro debeat ne facere quæ præcipit, an non? Si non fecerit, soluta præcepta sunt. Si enim bona sunt, quæ præcipiuntur, si uitam hominū in optimo statu collocant, nō se debet ipse præceptor à numero, cœtuq; hominū segregare, inter quos habitat ipse: & ipsi eodē modo uiuendū est, quo docet esse uiuendū: ne si aliter uixerit, ipse præceptis suis fidē detrahat, ac uoremq; doctrinā suā faciat, si re ipsa resoluat, quod uerbis nitatur astruere. Vnusquisq; enim, cū audit præcipientem, nō uult sibi imponi necessitatē parēdi, tanq; sibi ius libertatis adimatur, itaq; respōdebit doctori hoc modo: Nō possum facere quæ iubes quoniā sunt impossibilia. Vetas me irasci, uetas cupere, uetas libidine commoueri, uetas dolorem, aut mortē timere: sed hoc adeo contra naturā est, ut his affectibus animalia uniuersa subiecta sint: uel si adeo putas repugnari posse naturæ, et tu ipse quæ præcipis, fac, ut sciam fieri posse. Cum autem ipse non facias, quæ

insolentia

insolētia est, ut homini libero imponere uis leges, quibus ipse nō pareas? Prius disce, quid doces: & anteq̄ mores aliorū corrigas, tuos corrige. Quis neget iustam esse hanc responsionē? quin etiā in contemptum ueniet huiusmodi doctor, & eludetur uicissim: quia uidebitur et ipse deludere. Quid ergo faciet ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita? quomodo adimet excusationem consuetudinibus, nisi ut præsentibus factis, doceat possibilia se docere? Vnde euenit, ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla q̄ uerba: quia loqui facile est, præstare difficile. Vtinam quidem tam multi bene facerēt, quàm multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab eis fides. Et si homines fuerint, contemnuntur ut leues: si deus, opponetur ei fragilitatis humanæ excusatio. Superest, ut factis uerba firmentur, quod & philosophi facere nequeunt. Itaq; cū ipsi præceptores uincantur affectibus, quos uinci prædicant oportere, neminem possunt ad uirtutem, quam falso prædicant, erudire: ob eamq; causam putant neminem adhuc perfectum esse sapientem: id est in quo summæ doctrinæ, ac scientiæ summa uirtus & perfecta iustitia consenserit: quod quidem uerum fuit. Nemo enim post mundū conditū talis extitit, nisi Christus, qui et uerbo sapientiam tradidit, & doctrinam præsenti uirtute firmauit.

Quod cœlestē doctorem perfectū esse oporteat, & quare perfectus esse non possit sine corporis assumptione mortalis. Ca. XXIIII.

AGe, nunc consydcremus, an doctor è cœlo missus possit nō esse perfectus. Nondum de hoc loquor, quem uenisse adeo negant. Fingamus è cœlo aliquem esse mittendū, qui uitam hominum rudimentis uirtutis instituat, & ad iustitiam formet. Nemini dubiū potest esse, quin is doctor, qui cœlitus mittitur, tā

scientia

sciẽtia sit rerum omnium, quàm uirtute perfectus: ne nihil inter cœlestem, terrenumq; differat. Nam in homine interna, & propria doctrina nullo pacto potest. Nec enim mens terrenis uisceribus inclusa, et tabe corporis impedita, aut comprehendere per se potest, aut capere ueritatẽ, nisi aliunde doceatur. Et si maxime possit, summam tamen uirtutẽ capere nequeat, et omnibus uitijs resistere, quorum materia in uisceribus continetur. Eo fit, ut terrenus doctor perfectus esse non possit. At uero cœlestis, cui scientiam diuinitas, uirtutem immortalitas tribuit, in docendo quoq; sicut in cæteris perfectus, & consummatus sit necesse est. At id omnino fieri nõ potest, nisi mortale corpus assumat: cur autem fieri non possit, ratio clara est. Nã si ad homines ueniat, ut deus, ut omittam, quod mortales oculi claritatem maiestatis eius conspicere, ac sustinere non possunt, ipse certe deus uirtutem docere non poterit, quia expers corporis nõ faciet, quæ docebit: ac per hoc doctrina eius perfecta non erit. Alioqui si uirtus summa est, dolorem patienter pro iustitia, officioq; perferre: si uirtus est, mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere. Debet ergo doctor ille perfectus, & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo: quia qui dat præcepta uiuendi, amputare debet omnium excusationum uias, ut imponat hominibus parendi necessitatem, non aliqua ui, sed pudore: & tamen libertatem relinquat, ut & præmium sit constitutũ parentibus: quia poterant non parere, si uellent. Quomodo ergo poterit amputari excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi præuius, & manum porrigat secuturo? Quemadmodum potest facere quæ docet, si non sit ei similis quem docet? Nam si nulli subiectus sit passioni, potest ei docẽti homo sic respondere: Volo equidem non peccare, sed uincor: indutus enim sum carne fragili, & imbecilla: hæc est, quæ irascitur, quæ concupiscit, quæ dolet, quæ mori timet. Itaq; ducor inuitus, & pecco, non quia uolo, sed

quia

quia cogor. Sentio me etiã ipse peccare, sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum. Quid ad hæc respondebit præceptor ille iustitiæ? quomodo refutabit, ac redarguet hominẽ qui delictis suis excusationem carnis ostendet, nisi & ipse carne fuerit indutus, ut ostendat etiam carnem posse capere uirtutem? Contumacia enim redargui non potest, nisi exemplo. Nam habere nõ possunt, quæ doceas, firmitatẽ, nisi ea prior feceris: quia natura hominum procliuis in uitia, uideri uult non modo cum uenia, sed etiam cum ratione peccare. Oportet & magistrum, doctoremq; uirtutis, homini simillimum fieri: ut uincẽdo peccatũ doceat hominem, uinci ab eo posse peccatum. Si uero sit immortalis, exemplum proponere homini nullo modo potest. Existet enim constans aliquis, ac dicet: Tu quidem non peccas, quia liber es ab hoc corpore: non concupiscis, quia immortali nihil est necessarium. Mihi uero multis rebus opus est, ut tucar hanc uitam. Mortem non times, quia in te ualere non potest. Dolorem contemnis, quia nullam uim pati potes. At ego mortalis utrunq; timeo, quia cruciatus mihi grauissimos inferunt, quos tolerare infirmitas carnis non potest. Doctor itaq; uirtutis etiam hanc excusationem debuit hominibus auferre: ne quis quod peccat, necessitati potius ascribat, quàm culpæ suæ. Ergo ut perfectus esse possit, nihil ei debet opponi ab eo, qui docendus est: ut si forte dixerit, impossibilia præcipis: respõdeat, ecce ipse facio: ego carne indutus sum, cuius est peccare propriũ: at ego eandem carnẽ gero, & tamẽ peccatũ in me nõ dominatur. Mihi opes contemnere difficile est, quia uiui aliter non potest in hoc corpore. Ecce mihi corpus est, & tamen pugno contra omnem uoluptatem. Non possum pro iustitia, nec dolorem ferre, nec mortem, quia fragilis sum. Ecce & in me dolor, ac mors habet potestatem: & ea ipsa, quæ times uinco, ut uictorẽ te faciam doloris, ac mortis. Prior uado per ea, quæ sustineri nõ posse prætẽdis: si præapientẽ

sequi non

ſequi nō potes,ſequere antecedentem.Sublata eſt hoc modo omnis excuſatio,& fatert hominē neceſſe eſt,ſua culpa iniuſtū eſſe qui doctorē uirtutis,et eundē ducē nō ſequatur.Vides ergo quanto perfectior ſit mortalis doctor, qui dux eſſe mortali poteſt, q̄ immortalis:quia patientiā docere nō poteſt,qui ſubiectus paſſionibus nō eſt.Nec hoc tamē eo pertinet, ut hominē deo præferā: ſed ut oſtendam,neq; hominē perfecta doctrina eſſe poſſe,niſi ſit idem deus,ut authoritate cœleſti neceſſitatē parendi hominibus imponat: neq; deum, ſi mortali corpore induatur,ut præcepta ſua factis adimplendo, cæteros parendi neceſsitate conſtringat. Liquido ergo apparet,cū,qui uitæ dux,& iuſtitiæ ſit magiſter, corporalem eſſe oportere:nec aliter fieri poſſe,ut ſit illius plena & perfecta doctrina,niſi habeat radicem,& fundamentum,ſtabiliſq; apud homines,ac fixa permaneat.Ipſum autē ſubire carnis,ac corporis imbecillitatē,uirtutemq; in ſe recipere doctoris, ut eam ſimul & uerbis doceat,et factis.Item ſubiectum eſſe morti,& paſſionibus cunctis:quoniam & in paſſione toleranda,et in morte ſubcunda,uirtutis officia uerſantur:quæ omnia(ut dixi) conſummatus doctor perferre debet,ut doceat poſſe perferri.

Quod Chriſtus licet mortalitatē noſtrā ſumpſerit,nō tamen natus eſt, vt alii homines, ſed ex carne virginis: & quare,cū immunis eſſet à culpa, ſpōte ſubierit pœnā. Ca.XXV.

DIſcant igitur homines,et intelligant, quare deus ſummus cum legatum,ac nuncium ſuum mitteret,ad erudiendam præceptis iuſtitiæ ſuæ immortalitatem,mortali uoluerit cum carne iudui, & cruce affigi, & morte multari. Nam cum iuſtitia nulla eſſet in terra,doctorē miſit,quaſi uiuā legem: ut nomen,ac templum

templum nouum conderet,ut uerum,ac pium cultum per omnem terram urbis & exemplo seminaret. Sed tamen ut certum esset à Deo missum,non ita illum nasci oportuit,sicut homo nascitur ex mortali utroq; concretus:sed ut appareret illum etiam in homine esse cœlestẽ.creatus est sine opera genitoris.Habebat enim spiritalẽ patrem deũ,& sicut pater spiritus eius deus sine matre ita mater cœporis eius uirgo sine patre.Fuit igitur deus et homo inter deum atq; hominem medius constitutus.Vnde illum Græci μεσίτην uocant, ut hominem perduœre ad deum posset,id est ad immortalitatem:quia si deus tantum fuisset(ut superius dictũ est)exempla uirtutis homini præbere non posset:si homo tantũ nõ posset homines ad iustitiam cogere,nisi authoritas,ac uirtus homine maior accederet.Etenim cum constet homo ex carne,et spiritu, & oporteat spiritum iustitiæ operibus emereri, ut fiat æternus:caro quia terrena est,ideoq; mortalis, copulatum sibi spiritum trahit secum, & ab immortalitate ducit ad mortem. Ergo spiritus carnis expers,dux esse homini ad immortalitatem nullo pacto poterat:quoniam caro impedit spiritum,quo minus deum sequatur.Est enim fragilis,& subiecta peccato. Peccatum autem pabulum mortis est.Itaq; idcirco mediator aduenit,id est deus in carne,ut caro eũ sequi posset,& eriperet morti hominẽ, cuius est † damnatio † Aliter dominatio in carnem. Ideo carne se induit,ut desyderijs carnis edomitis doceret, non necessitatis esse peccare, sed propositi, ac uoluntatis. Vna enim nobis & magna,& præcipua cum carne luctatio est,cuius infinitæ cupiditates premunt animam,nec deum retinere patiuntur: sed eam uoluptatibus,& illecebris suauibus mancipatam,morte afficiũt sempiterna.Quibus ut repugnare possemus,deus nobis uiam superandæ carnis & aperuit,& ostendit.Quæ uirtus perfecta,et omnibus numeris absoluta,coronam uincentibus, & mercedem expetendæ nobis immortalitatis impartit.

De mysterio

De mysterio dominicæ crucis, & virtute & significatione eorum, quę Christus gessit, aut pertulit: & quomodo pręfiguratus sit immolatione agni legalis. Cap. XXVI.

DIxi de humanitate, et fragilitate, et paßione, cur hæc deus subire maluerit: nunc ipsius crucis ratio reddenda est, et uis enarranda, quid summus pater à principio disposuerit: & quemadmodum cuncta quæ gesta sunt ordinauerit, non tantum diuinatio prophetarum, quæ in Christum uera præcessit, sed etiã ratio ipsius passionis docet. Quæcunq; enim paßus est, nõ fuerũt inania, sed habuerũt figuram, sed significationem magnam: sicut etiam diuina illa opera, quæ fecit, quorũ uis, & potestas ualebat quidem in præsens, sed declarabat aliud in futurum. Aperuit cæcorum oculos uirtus cœlestis, & lucem non uidentibus reddidit. Et hoc facto significauit fore, ut conuersus ad gentes, quæ deum nesciebant, insipientium pectora illuminaret luce sapientiæ: & ad ueritatem contemplandam oculos cordis aperiret. Vere enim cæci sunt, qui cœlestia non uidentes, & tenebris ignorantiæ circunfusi, terrena & fragilia uenerantur. Patefecit aures surdorũ. Non utiq; hactenus uis illa cœlestis operata est: sed declarabat breui fore, ut qui erant ueritatis expertes, & audirent, & intelligerẽt diuinas Dei uoces. Vere enim surdos dixeris, qui cœlestia & uera, & facienda non audiunt. Mutorum linguas in eloquiũ soluit: admirabilis etiam cum fieret potentia: sed inerat huic uirtuti alia significatio, quæ ostenderet mox futurum, ut rerum cœlestium nuper ignari, percepta sapientiæ disciplina, de Deo, & ueritate dissererẽt. Nã qui rationem diuinitatis ignorat, is uere elinguis & mutus est, licet sit omniũ disertissimus. Lingua enim

cum uerum

etum uerum loqui cœperit, id est uirtutem, maiestatemq; Dei singularis interpretari, tum demum officio naturæ suæ fungitur: quàm diu autem falsa loquitur, in suo usu non est: et ideo infans sit necesse est, qui diuina proloqui non potest. Pedes quoq; claudorum ad officium gradiendi reformauit. Laudabilis diuini operis fortitudo: sed figura id continebat, quod cohibitis erroribus uitæ secularis, ac deuiæ, iter ueritatis aperiretur: per quod gradientur ad dei gratiam consequendam. Is enim uere claudus existimandus est, qui caligine, aut tenebris insipientiæ implicatus, & quò tendat ignarus, offensibilibus, & caducis gressibus per uiam mortis incedat. Item labes, & maculas inquinatorum corporum repurgauit. Non exigua immortalis potētiæ opera: uerū id protendebat hæc uis, quod peccatorum labibus, ac uitiorum maculis inquinatos, doctrina eius purificatura esset eruditione iustitiæ. Leprosi enim, atq; elephantici debent haberi, quos uel infinitæ cupiditates ad scelera, uel insatiabiles uoluptates ad flagitia compellunt: & dedecorum maculis iustos labe afficiunt sempiterna. Iacentia mortuorū corpora erexit, eosq; nominibus proprijs inclamatos à morte reuocauit. Quid cōgruentius deo? Quid miraculo dignius omnium seculorum, q̄ decursrm uitam resignasse, completisq; hominum temporibus tempora adiecisse perpetua, arcana mortis reuelasse? Sed hæc inenarrabilis potestas imago uirtutis maioris fuit: quæ demonstrabat, tantam uim habituram esse doctrinam suam, ut gentes in orbe toto, quæ alienæ à deo subiectæ morti fuerunt, cognitione ueri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia peruenirent. Eos enim recte mortuos existimaueris, qui datorem uitæ deum nescientes, atq; animas suas à cœlo in terrā deprimentes, in laqueos æternæ mortis incurrūt. Quæ igitur tum faciebat in præsens, imagines erant futurorum: quæ illæsis, affectisq; corporibus adhibebat, ea spiritaliū figurā gerebant: ut in præsenti uirtutis nobis terrenæ opera mōstraret,

& in futurũ potestatẽ suæ cœlestis maiestatis ostenderet. Erga siaut opera eius significantiã quoq; maioris potestatis habuerũt ita passio nõ simplex, nec superuacua, nec fortuita præcessit. Sed ut illa quæ fecit, magnã uirtutẽ, ac potestatẽ doctrinæ eius significabant, sic ea quæ passus est, odio futurã esse sapientiã nunciabant: aceti enim potus, ac fellis cibus acerbitates, et amaritudines in hac uita sectatoribus ueritatis polliebatur. Et quanq; ipsa per se acerba, & amara specimẽ nobis futurorũ tormentorũ dabat: quæ morãtibus nobis in hoc seculo, uirtus ipsa proponit: tamẽ illiusmodi cibus, & potus in os doctoris nostri ueniẽs, pressuræ nobis laborũ ac miseriarũ præbebat exemplũ. Quæ omnia tolerari, ac perpeti necesse est eos, qui ueritatẽ sequũtur, quoniã ueritas est acerba, & inuisa omnibus, qui ueritatis expertes uitã suã mortiferis uoluptatibus dederũt. Nã corona spinea capiti eius imposita id declarat fore, ut diuinã sibi plebẽ de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur circunstãs in orbe populus. Nos autẽ, qui ante cognitionẽ dei fuimus spinæ, id est iniusti, mali, & nocẽtes eramus, ignorãtes quid esset bonũ, & à iustitiæ notione atq; operibus alieni, omnia scelere, ac libidine pollucbamus: plecti uero ex dumis, ac sentibus sanctum dei caput cingimus: quia cõuocati ab ipso, & circũfusi undiq; ad eũ, magistro et doctori assistimus, regemq; illum mundi, & omnium uiuentium dominũ coronamus. Quod uero ad crucem spectat, magna in ea uis, ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus nanq; (sicut superius exposui) cum statuisset hominem liberare, magistrũ uirtutis legauit in terrã: qui & præceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, & operibus, factisq; præsentibus iustitiæ uiam panderet: qua gradiens homo, & doctorem suũ sequens ad uitã æternam perueniret. Is igitur corporatus est, & uestẽ carnis indutus, ut homini, ad quem docendum uenerat, uirtutis exempla, et incitamenta præberet. Sed cũ in omnibus uitæ officijs iustitiæ

ſpecimen præbuiſſet, ut doloris quoq; patientiam, mortisq; contemptum, quibus perfecta, et conſummata fit uirtus, traderet homini, uenit in manus impiæ nationis, cum & uitare potuiſſet, ſcientia futuri, quam gerebat, & repellere eadem uirtute, qua mirabilia faciebat. Suſtinuit ergo cruciatus ac uerbera, & ſpinas. Poſtremo etiam mortẽ ſuſcipere non recuſauit, ut homo illo duce ſubactam, & catenatã mortem cũ ſuis terroribus triumpharet. Cur autẽ ſummus pater id potiſſimũ genus mortis elegerit, quo affici cũ ſineret: hæc ratio eſt. Dicat enim fortaſſe aliquis, cur ſi deus fuit, & mori uoluit, nõ ſaltẽ aliquo honeſto mortis genere affectus eſt? Cur potiſſimum cruce? Cur infami genere ſupplicij? Quod etiã homini libero, quamuis nocenti, uideatur indignum. Primũ, quod is, qui humilis aduenerat, ut humilibus, & infirmis opẽ ferret, & in omnibus ſpem ſalutis oſtẽderet, eo genere affici endus fuit, quo humiles, & infirmi ſolent, ne quis eſſet omnino qui eũ nõ poſſet imitari. Deinde, ut integrum corpus eius ſeruaretur, quẽ die tertio reſurgere ab inferis oportebat. Nec hoc aũ ignorandũ eſt, quod ipſe ante de ſua paſſione prædicans, etiã id notũ fecerit, habere ſe poteſtatẽ, cũ uellet, deponendi ſpiritũ, & reſumendi. Suffixus itaq; cũ ſpiritũ ſponte depoſuiſſet, neceſſariũ carnifices non putauerunt oſſa eius ſuffringere (ſicut mos eorũ ferebat) ſed tantummodo latus eius perforauerunt. Sic integrum corpus patibulo detractũ eſt, & ſepulchro diligenter incluſum. Quæ omnia idcirco facta ſunt, ne læſum, ac diminutum corpus ad reſurgendum inhabile redderetur. Illa quoq; præcipua fuit cauſa, cur deus crucem maluerit, quod illa cum exaltari fuit neceſſe, & omnibus gentibus paſſionem Dei noteſcere. Nam quoniam is, qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior. Crux potius electa eſt, quæ ſignificaret illũ tã conſpicuum, tamq; ſublimen futurum, ut ad eum cognoſcendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent.

Deniq; nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, ad aut passio eius, aut sublimitas maiestatis ignota sit. Extendit in passione manus suas orbēq; dimensus est: ut iā tunc ostēderet ab ortu solis usq; ac occasum magnū populū ex omnibus linguis & tribubus congregatū sub alas suas esse uenturū, et signū illud maximū, atq; sublime, frontibus suis suscepturū. Cuius rei figurā Iudæi etiā nunc exhibent, cū limina sua cruore agni notēt. Deus enim percussurus Aegyptios, ut ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præceperat his, ut agnū candidū sine macula immolarent, ac signū liminibus suis de sanguine eius imponerent. Itaq; cū Aegyptiorū primogenita una nocte interisent, Hebræi soli signo sanguinis tuti fuerunt: nō quia cruor pecudis tantā in se uim haberet, ut hominibus saluti esset, sed imago fuit rerum futurarum. Nam agnus candidus sine macula Christus fuit, id est innocens, & iustus, et sanctus, qui ab eisdem Iudæis immolatus, saluti est omnibus, qui signis sanguinis, id est crucis, qua sanguinē fudit, sua in fronte conscripserūt. Frons enim summū limē est hominis, & limē sanguine delibutū, crucis significatio est. Deniq; immolatio pecudis ab ijs ipsis, qui faciunt pascha, nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia passionis est figura, quā deus præscius futurorū tradidit per Moysen populo suo celebrandā. Sed tamen figura ualuit in præsenti ad depellendū periculum, ut appareat quantū ueritas ipsa ualitura sit ad plebē dei protegēdā in extrema totius orbis necessitate. Quomodo autem, uel in qua plaga tuti homines sint futuri, qui signū hoc ueri, et diuini sanguinis in summo corporis sui notauerūt, in nouissimo libro docebo.

De potētia signi crucis, quantæ efficatiæ sit inuocatio nominis crucifixi: & quantum à dæmoniis timeatur signū crucis. Cap. XXVII

Nunc

NVnc satis est me de huius signi potentia quantum ualeat exponere: quanto terrori sit dæmonibus hoc signũ sciet qui uiderit quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, uniuersos dæmonas uerbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, et nomine magistri sui, & signo possionis excludunt. Cuius rei nõ difficilis est probatio. Nam cum dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. Nec responsa potest consultus reddere uates. Et hæc sæpe causa præcipua institiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidã nostrorũ sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos eorum fugauerunt, ne possent in uisceribus hostiarũ futura depingere. Quod cũ intelligerent aruspices, instigantibus ijsdem dæmonibus, quibus prosecrarant, conquerentes profanos homines sacris interesse, adegerũt principes suos in furorem, ut expugnarent dei templum: seq; uero sacrilegio contaminarent, quod grauissimis persequentium pœnis exptaretur. Nec tamen ex hoc ipso cæci homines intelligere possunt, aut hanc esse ueram religionem, cui ad uincendum tanta uis ineat: aut illam falsam, quæ subsistere, aut congredi non potest. Sed aiunt hoc deos non metu, uerum odio facere, quasi quisquam posit odisse nisi eũ, quì aut noceat, aut posit nocere, imo uero congruens maiestati fuit ut eos, quos oderant præsentibus pœnis afficerent potius, quàm fugerent. Sed quoniam neq; accedere ad eos possunt, in quibus cœlestem notam uiderint, nec ijs nocere, quos signum immortale munierit, tanq; inexpugnabilis murus, lacessunt eos per homines & manibus persequũtur alienis, quos profecto si esse cõfitẽtur, uicimus. Necesse est enim, hanc esse ueram religionem, quæ & rationem dæmonũ nouit, & astutiam intelligit, et uim retundit:

t eos spiritalibus armis domitos, ac subactos cedere sibi cogit. Si negant, testimonijs poëtarum, ac philosophorum refellentur. Quod si et malos esse infidas nõ eunt, quid supcrest, nisi ut alios dicant esse deos, alios dæmones? Exponant igitur nobis differentiam generis utriusq;, ut sciamus quid colendũ, quid execrandũ sit. Habent ne inter se aliquod consortiũ, an ucro inimici sunt? Si sunt aliqua necessitudine copulati, quatenus eos discernemus? Aut quomodo utriusq; generis honorem, cultumq; miscebimus? Si autem sunt inimici, aut dæmones, deos non timent, aut dij dæmones fugare non possunt. Ecce aliquis instinctu dæmonis percitus dementia effertur, insanit: ducamus istum in Iouis optimi maximi templũ: uel quia sanare homines Iupiter nescit, in Aesculapij uel Apollinis fanum iubeat utriuslibet sacerdos dei sui nomine, ut nocens ille spiritus excedat ex homine, nullo id pacto fieri potest. Quæ igitur deorũ uis est, si subiectos sibi dæmones nõ habent? At ucro ijdem dæmones adiurati per nomẽ ucri Dei, protinus fugiũt. Quæ ratio est, ut Christũ timeãt, Iouẽ aũt nõ timeãt: nisi quod ijdẽ sunt dæmones, quos uulgus deos opinatur? Deniq; si cõstituatur in medio & is, quẽ cõstat incursum dæmonis perpeti, Delphici Apollinis uates eodẽ modo dei nomẽ horrebit: & tam celeriter excedet de suo uate Apollo, q̃ ex homine spiritus ille dæmoniacus: & adiurato, fugatoq; deo suo, uates in perpetuum conticescet. Ergo ijdem sunt dæmones, quos fatentur execrandos esse: ijdem dij quibus supplicant. Si nobis credendũ esse non putant, credant Homero, qui summum illum Iouem dæmonibus aggregauit: sed et alijs poëtis, ac philosophis, qui eosdẽ modo dæmonas, modo deos nuncupant: quorum alterum ucrum alterum falsum est. Illi enim nequissimi spiritus ubi adiurantur, ibi se dæmonas confitentur: ubi coluntur, ibi se deos mentiuntur, ut errores hominibus immittant, & auocent à ucri dei notione, per quã solã potest mors æterna uitari. Iidem sunt, qui deijciendi

hominis

hominis causa uarios sibi cultus peruersa religione condiderũt, mentitis tantum, assumptisq; nominibus ut fallerent. Nam quia diuinitatẽ per ipsos affectare non poterant, asciuerunt sibi nomina potentiũ regũ: sub quorum titulis honores sibi deorũ uendicarent. Qui error discuti potest, & in lucẽ ueritatis protrahi. Nam si quis studet altius inquirere, cõgreget eos, quibus peritia est ciere ab inferis animas. Euocent Iouẽ, Neptunũ, Vulcanum, Mercuriũ, Apollinẽ, patremq; omniũ Saturnũ. Respondebũt ab inferis omnes, & interrogati loquentur, & de se, & de Deo fatebuntur. Post hæc euocent Christum: nõ aderit, non apparebit, quia nõ amplius q̃ biduo apud inferos fuit. Quid hac probatione certius poferri potest? Ego uero nõ dubito quin ad ueritatẽ Trismegistus hãc aliqua ratione peruenerit, qui de deo patre omnia, et de filio locutus est multa, quæ diuinis continentur arcanis.

De uera, & singulari religione, & unde dicatur religio, uel secundũ Ciceronem, uel alios. Cap. XXVIII.

QVæ cũ ita se habeant (ut ostẽdimus) apparet nullã aliã spẽ uitæ homini esse propositã, nisi ut abiectis uanitatibus, et errore miserabili, deũ cognoscat, et deo seruiat: nisi huic temporali renunciet uitæ, ac se rudimentis iustitiæ ad cultum ueræ religionis instituat. Hac enim cõditione gignimur, ut generati nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur. Hoc uinculo pietatis obstricti deo, & relegati sumus. Vnde ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, à relegendo, qui in libro de natura deorum secundo dicit ita: Non enim philosophi solum, uerum etiam maiores nostri superstitionem à religione seperauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui sibi filij superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Qui autem

omnia,quæ ad cultum deorum pertinerent,retractarent,et tanq̃ relegerent,ij dicti sunt religiosi ex religendo : tanq̃ ex eligendo eligentes,& ex deligendo deligentes,& ex intelligendo intelligentes.His enim omnibus ineſt uis legendi eadem,quæ in religioso,ita factum est in superstitioso,ac religioso: alterũ uitij nomẽ, alterũ laudis.Hæc interpretatio quàm inepta sit,ex re ipsa licet cognoscere. Nam si in ijsdem dijs colendis & religio,& superstitio uersatur,exigua,uel potius nulla distantia est. Quid enim mihi affert causæ,cur precari pro salute filiorum semel religiosi & idem decies facere, superstitiosi esse hominis arbitretur? Si enim semel facere optimum est, quanto magis sæpius? Si hora prima,ergo & tota die. Si una hostia placabilis,placabiliores utiq; hostiæ plurimæ:quia multiplicata obsequia merẽtur potius q̃ offendunt. Non enim nobis odiosi uidentur ij famuli,qui assidui, & frequentes ad obsequium fuerint, sed magis chari. Cur igitur sit in culpa & nomen reprehensibile accipiat, qui aut filios suos magis diligit, aut deos satis honorat, laudetur autem qui minus? Quod argumentum etiam è contrario ualet.Si enim totos dies precari, & immolare criminis est,ergo & semel. Si superstites filios subinde optare uitiosum est, superstitiosus est igitur ille, qui raro id optauerit. Aut cur uitij nomen sit abortum,quo nihil honestius, nihil iustius optari potest? Nam quod ait religiosos à religendo appellatos,qui ea retractent diligenter,quæ ad cultum deorum pertineant : cur illi,qui hoc sæpe in die faciunt,religiosorum nomen amittant : cum multo utiq; diligentius ex assiduitate ipsa religant ea, quibus dij coluntur? Quid ergo est? Nimirum religio ueri cultus,superstitio falsi.Et omnino quid colas interest,non quemadmodum colas, aut quid precaris:sed quia religiosos deorum cultores se putant, cum sint superstitiosi, nec religionem possunt à superstitione discernere, nec significantiã nominũ exprimere. Diximus nomẽ religionis

à uinculo

à uinculo pietatis esse deductũ, quod hominẽ sibi deus religarit, & pietate constrinxerit: quia nos seruire ei, ut domino, & obsequi, ut patri necesse est. Eo melius ergo id nomẽ Lucretius interpretatus est, quia ait, religionum se nodos exoluere. Superstitiosi autem uocantur, non qui filios suos superstites optant, omnes enim optamus: sed aut ij, qui superstitem memoriam defunctorum colunt: aut qui parentibus suis superstitibus, colebant imagines eorum domi tanquam deos penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebant, ut in deorum uicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putãbant, hos superstitiosos uocabant. Eos uero, qui publicos, & antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Vnde Virgilius:

Vana superstitio ueterumq; ignara deorum.

Sed cum ueteres quoq; deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitũ, superstitiosi ergo qui multos, ac falsos deos colunt. Nos autem religiosi, qui uni, & uero deos supplicamus.

De vnitate patris & filii, vt liqueat quo modo vnius dei possunt esse cultores, qui duos colunt, alterũ patrẽ, alterũ filiũ, patrẽ immortalem, filiũ mortalẽ, de quo superius dictum est. Cap. XXIX.

Fortasse quærat aliquis, quomodo, cum deum unum nos colere dicamus, duos tamẽ assecuremus, deum patrem, & deũ filium: quæ assecuratio plerosq; in maximum impegit errorem. Quibus cum probabilia uideantur esse, quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, quod & alterum, & mortalem deum fateamur. De immortalitate iam diximus, nunc de unitate docebimus. Cum dicimus deum patrem, & deum filium, non diuersum dicimus, nec utrumq; secernimus: quia nec pater sine filio esse

potest,

potest, nec filius à patre secerni: siquidem nec pater sine filio nuncupari, nec filius potest sine patre generari. Cum igitur & pater filium faciat, & filius patrem, una utriq; mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tanq; defluens eo riuus: ille tanquam sol, hic tanquam radius ex sole porrectus: qui quoniã summo patri & fidelis & charus est, non separatur, sicut nec riuus à fonte, nec radius a sole: quia & aqua fontis in riuo est, & solis lumen in radio æque. Neq; uox ab ore seiũgi, nec uirtus, aut manus a corpore diuelli potest. Cũ igitur a prophetis idem manus Dei, uirtus, et sermo dicatur, utiq; nulla discretio est: quia & lingua sermonis ministra est, et manus in qua est uirtus, indiuiduæ sunt corporis portiones. Propiore exemplo uti libet: cũ quis habet filiũ quem unice diligit, qui tamen sit in domo, & manu patris, licet ei nomẽ domini potestatemq; concedat, ciuili tamẽ iure & domus una, & unus dominus nominatur. Sic hic mundus una dei domus, & filius & pater, qui unanimes incolunt mundũ, deus unus: quia et unus est tanq; duo, & duo tanq; unus. Neq; id mirum, cum & filius sit in patre, quia pater diligit filium, & pater in filio, quia uoluntati patris fideliter paret: nec unq; faciat aut fecerit, nisi quod pater aut uoluit, aut iußit. Deniq; unum deum esse tam patrem, quàm filium Isaias in illo exemplo, quod superius posuimus, ostendit, tum diceret: Adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in te deus est, & non est alius deus præter te. Sed & alio loco similiter ait: Sic dicit dominus deus rex Israel, & qui eruit eũ Deus æternus, ego primus, & ego nouissimus, & præter me nemo est deus, cum duas personas proposuisset, dei regis, id est Christi, & dei patris, quì eum post passionem ab inferis excitauit: sic ostendisse diximus Oseam prophetam, qui ait: Et de manu inferorum eruam eum. Tamen ad utranq; personam referens intulit, & præter me non est deus: cum posset dicere, præter nos: sed fa-

non erat

non erat plurali numero separationẽ tantæ necessitudinis fieri. Vnus est enim solus liber deus, summus, carens originc: quia ipse est origo rerum, & in eo simul & filius, & omnia continentur. Quapropter cũ mens, et uolũtas alterius in altero sit, uel potius in utroq; una, merito unus deus uterq; appellatur: quia quicquid est in patre, ad filiũ transfluit, et quicquid in filio, a patre descendit. Nõ potest igitur ille summus, ac singularis deus nisi per filiũ coli: qui solum patrem se colere putat, sicut filium non colit, ita nec patrem quidem colit. Qui autem filium suscipit, & nomen eius gerit, is uero cum filio simul & patrem colit: quoniam legatus, & nuncius, & sacerdos summi patris est filius. Hic tẽpli maximi ianua est, hic lucis uia, hic dux salutis, hic ostium uitæ.

De hæresibus, quas non modo prophetæ, sed etiam Christus, & apostoli prædixerunt emersuras esse, & vitandas. Et quod illa sola ecclesia catholica est, & vera, in qua est confessio. & medicina peccatorum per pœnitentiam, & fidei sacramenta. Caput. XXX.

SEd quoniam multæ hæreses extiterunt, & instinctibus dæmonum populus dei sæpius est, determinãda est nobis breuiter ueritas, ac in suo proprio domicilio collocanda: ut si quis aquam uitæ cupit haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent uenam, sed uberrimum dei fontem nouerit, quo irrigatus perenni luce potiatur. Ante omnia scire nos conuenit, & ipsum, & legatos eius prædixisse, quod plurimæ sectæ, & hæreses haberent existere, quæ concordiam sancti corporis rumperent: ac monuisse summa prudentia caueremus, ne quando in laqueos et fraudes illius aduersarij nostri, cũ quo luctari deus nos uoluit,

uoluit,incideremus.Tum dediſſe certa mandata,quæ in perpetu
cuſtodire deberemus.Quorũ pleriq; immemores,deſerto itine
cœleſti,uias ſibi deuias per anfractus,& præcipitia condider
per quam partem plebem incautam, & ſimplicem ad tenebra
mortemq; deducerent.Quod quatenus acciderit,exponam: Fue
runt quidam noſtrorum,uel minus ſtabilita fide,uel minus docti
uel minus cauti,qui diſsidium facerent unitatis, & eccleſiam diſ
ſiparent.Sed ij,quorum fides lubrica fuit, cum deum noſſe ſe,&
colere ſimularent,augendis opibus,& honori ſtudentes affecta
bant maximum ſacerdotium: & à potioribus uicti ſecedere cũ
ſuffragatoribus ſuis maluerũt,quàm eos fines facere propoſitos
quibus concupierant ipſi ante præponi. Quidam uero nõ ſatis
cœleſtibus literis eruditi,cum ueritatis accuſatoribus reſpondere
non poſſent,obijcientibus uel impoßibile, uel incongruens eſſe,
ut deus in uterum ſe mulieris includeret,nec cœleſtem illam ma
ieſtatem ad tantam infirmitatem potuiſſe deduci, ut hominibus
contemptui,deriſui,contumeliæ,& ludibrio eſſet:Poſtremo etiã
cruciamenta perferret,atq; inexecrabili patibulo figeretur,quæ
omnia, cum neq; ingenio, nec doctrina defendere, ac refutare
poſſent(nec enim uim,rationemq; penitus peruidebant) depra
uati ſunt ab itinere recto,et cœleſtes literas corruperũt,ut nouã
ſibi doctrinam ſine ulla radice,ac ſtabilitate componerẽt. Non
nulli autem falſorum prophetarum uatiãnio illecti,de quibus et
ueri prophetæ,& ipſe prædixerat,exciderunt à doctrina dei,et
traditionem ueram reliquerunt.Sed illi omnes dæmoniacis frau
dibus irretiti,quas proſpicere,& cauere debuerant,diuinum no
men & cultũ per imprudentiam perdiderunt. Cũ enim Phryges
aut Nouatiani,aut Valentiniani,aut Marcionitæ, aut Anthro
piani,aut Arriani, ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe
deſierunt,ij,qui Chriſti nomine amißo,humana, & extrema no
cabula inducrunt. Sola igitur catholica eccleſia eſt, quæ uerum

cultum

cultum retinet. Hic est fons ueritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum dei: quò si quis non intrauerit, uel à quo si quis exierit, à spe uitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de uita, & salute: cui nisi caute, & diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quiq; cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse catholicam ecclesiam putant, sciendum est illam esse ueram, in qua est religio, confessio, & pœnitentia: quæ peccata & uulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat. Hæc interim paucis admonendi gratia retuli, ne quis errorem fugere cupiēs, maiori implicetur errore, dum penetrale ueritatis ignorat. Postea plenius, & uerius contra omnes mendacium sectas proprio, separatoq; opere pugnabimus. Sequitur, ut quoniam satis de religione uera, & sapientia locuti sumus, in proximo libro de iustitia disseramus.

LIBRI QVARTI FINIS.

L. COELII

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM Institutionum aduersus genteis Liber Quintus, De Iustitia ad Constantinum Imperatorem.

Quod iniquum, & impiũ est ante damnare vel personã, vel causam, quàm de merito eius cognoscere. Et quare sapiẽtia iungenda sit religioni. Et quare sapientia huius mundi literas sacras cõtempserit. Et quod eloquẽtia seruit seculo: & quod plerunq; vt amplius eluceſcat, ex industria impugnat veritatẽ, quę fere semper idoneis assertoribus indiget. Cap. I.

NON est apud me dubium Constantine Imperator maxime, quin hoc opus nostrum, quo singularis ille rerum conditor & huius immensi operis rector asseritur si quis attigerit ex istis inepte religiosis (ut sunt nimia superstitione impatiẽtes) insectetur etiam maledictis: ut uix lecto fortasse principio, affligat, proijciat, execretur, seq; inexpiabili scelere contaminari, atq; astringi putet, si hæc aut legat patiẽter aut audiat. Ab hoc tamen, si fieri potest, humanitatis iure postulamus, ut non prius damnet, quàm uniuersa cognouerit. Nam si sacrilegii,

sacrilegis,& proditoribus,& ueneficis potestas defendendi sui datur,nec prædamnari quenq; incognita causa licet,nõ iniuste pe tere uidemur,ut si quis erit ille,qui inciderit in hæc,si leget,per legat:si audiet sententiam,differat in extremũ.Sed noui hominũ pertinaciã,nunq; impetrabimus.Timent enim ne a nobis reuicti manus dare aliquando clamante ipsa ueritate cogantur.Obstre punt igitur,& intercedunt ne audiant:oculos suos opprimunt, ne lumen uideant,quod offerimus.Quo plane ipsi diffidentiã suæ perditæ rationis ostendũt,cũ neq; cognoscere,neq; cõgredi au dẽt,quia sciũt se facile superari.Et idcirco disceptatione sublata

Pellitur è medio sapientia,ui geritur res.

Vt ait Ennius.Et quia student damnare tanq; nocẽtes,quos utiq; sciunt innocentes,constare de ipsa innocentia nolũt: quasi uero maior iniquitas sit,probatã innocentiã damnasse,q; inauditam. Sed(ut dixi)uerẽtur,ne si audierint,damnare nõ possint. Et ideo cultores dei summi.hoc est iustos homines torquent,interficiunt exterminant:nec causas odiorũ ipsi reddere possunt,qui tã uehe menter oderũt:quia ipsi errãt,irascũtur ijs,qui uiã uerã sequũtur et cũ corrigere se possint, errores suos insuper crudelibus factis coaceruant,innocentiũ cruore maculãtur,& dicatas Deo mẽtes cuisceratis corporibus detorquent.Cum talibus nunc congredi, & disputare contendimus. Hos ad ueritatem ab inepta persua sione traducere, qui sanguinem facilius hauserint, quàm uerba iustorum.Quid igitur? Operam ne perdemus? Minime. Nam si lucrari hos a morte,ad quam concitatissime tendunt,non potue rimus,si ab illo itinere de morte ad uitam,lucemq; reuocare,quo niam ipsi saluti suæ repugnant, nostros tamen confirmabimus: quorũ nõ est stabilis,ac solidis radicibus fundata,et fixa sentẽtia. Nutant enim plurimi,et maxime qui literarũ aliquid attigerũt. Nam & in hoc philosophi, & oratores, & poëtæ pernicioſi sunt: quod incautos animos facile irretire possunt suauitate

sermonis,

sermonis,& carminum dulci modulatione currentiũ. Ob eamq; causam uolui sapientiam cum religione coniungere, ne quid studiosis illa inanis doctrina possit officere: ut iam scientia literarũ non modo nihil noceat religioni, atq; iustitiæ, sed etiam prosit quamplurimum: si is, qui eas didicerit, sit uirtutibus instructior, & ueritate sapientior. Præterea etiam si nulli alij, nobis certe proderit: delectabit se conscientia, gaudebit mens se in ueritatis luce uersari, quod est animæ pabulum incredibili quadam iucunditate perfusum. Verum non est desperandum fortasse, non canimus surdis. Nec enim tam in malo statu res est, ut desint sanæ mentes, quibus & ueritas placeat, & monstratum sibi rectum iter, & uideant, & sequantur. Circumliniatur modo poculum cœlestis sapientiæ melle, ut possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari, dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi sub prætextu suauitatis occultat. Nã hæc in primis causa est, cur apud sapiẽtes, & doctores, & principes huius seculi scriptura sancta fide careat: quod et prophetæ communi, ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaq; ab ijs, qui nihil audire uel legere nisi expolitũ, ac disertum uolunt: nec quicq̃ inhærere animis corũ potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet. Illa uero, quæ sordida uidentur, anilia, incepta, uulgaria existimantur. Ideo nihil uerum putant, nisi quod auditu suaue est: nihil credibile, nisi quod potest inducere uoluptatem. Nemo rem ueritate ponderat, sed ornatu. Non ergo credunt diuinis, quia fuco carẽt: sed ne illis quidem. qui eas interpretãtur: quia sunt et ipsi aut omnino rudes, aut certe parũ docti. Nam ut plene sint eloquentes, perraro contingit: cuius rei causa in aperto est. Eloquentia enim seculo seruit, populo se iactare, & in rebus malis placere gestit. Siquidem ueritatẽ sæpius expugnare conatur, ut uim suam monstret, opes expetit, honores concupiscit, summum denicq; gradum dignitatis exposcit. Ergo

hæc qua

hæc quasi humilia despicit, arcana tanquàm contraria sibi fugit: quippe quæ publico gaudeat, & multitudinem, celebritatemq; desyderet. Eo fit, ut sapientia, & ueritas idoneis præconiabus indigeat. Et si qui forte literatorum se ad eam contulerunt, defensioni eius non suffecerunt. Ex ijs qui mihi noti sunt, Minutius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Huius liber cui Octauio titulus est, declarat, quàm idoneus ueritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Septimius quoq; Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis inuenit. Vnus igitur præcipuus, & clarus extitit Cyprianus, qui magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, & admodũ multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suaui, & (quæ sermonis maxima est uirtus) aperto: ut discernere nequeas, utrum ne ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit. Hic tamen placere ultra uerba sacramentum ignorantibus non potest: quoniam mystica sunt, quæ locutus est, & ad id præparata ut solis fidelibus audiantur. Deniq; à doctis huius seculi, quibus forte scripta eius innotuerunt, derideri solet. Audiui ego quendã hominem disertum sanc, qui eum immutata una litera † Capriānum † aliter Coprianum uocaret, quasi quod elegans ingenium & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset. Quod si accidit hoc ei, cuius eloquentia non insuauis est, quid tandem putemus accidere illis, quorum sermo ieiunus est, & ingratus: qui neq; uim persuadendi, neq; subtilitatem argumentandi, neq; ullam prorsus acerbitatem ad reuincendum habere potuerunt?

Quod ex defectu doctorum data est temerariis hominibus audacia impugnandi veritatem ignotã: & hoc probat exemplo duorum philosophorum, quos viderat in Bithynia. Cap. II.

ERgo quia defuerũt apud nostros idonei, peritiq; doctores qui uehementer, qui acriter errores publicos redarguerẽt, qui causam omnẽ ueritatis ornate, copioseq; defenderẽt: prouocauit quosdã hæc ipsa penuria, ut auderẽt scribere cõtra ignotã sibi ueritatẽ. Omitto eos, qui prioribus eam tẽporibus ne quidẽ lacesserunt. Ego cum in Bithynia literas oratorias acatus docerem, contigisset q; eodem tempore, ut dei templum euerteretur: duo extiterũt ibidem, qui iacẽti, atq; abiectæ ueritati, nescio utri superbius, an oportunius insultarent, quorum alter antistitem se philosophiæ profitebatur. Verum ita uitiosus, ut cõtinentiæ magister non minus auaritia, quàm libidinibus arderet: in uictu tã sumptuosus, ut in schola uirtutis assertor, parsimoniæ, paupertatisq; laudator, in palatio pcius cœnaret, quàm domi. tamen uitia sua capillis, & pallio, & (quod maximum est uelamentum) diuitijs prætegebat: quas ut augeret, ad amicitias iudicum miro ambitu penetrabat: eosq; sibi repente authoritate falsi nominis obligabat: non modo, ut eorum sententiam uenderet, uerumetiam confines suos, quos ædibus agrisq; pellebat à suo repetendo, hac potentia retardaret. Hic uero, qui suas disputationes moribus destruebat, uel mores suos disputationibus arguebat, ipse aduersus se grauis censor, et accusator acerrimus, eodem ipso tempore, quo iustus populus nefarie lacerabatur, tres libros euomuit contra religionem, nomenq; Christianum professus ante omnia philosophi officium esse, erroribus hominum subuenire, atque illos ad

illos ad ueram uiam reuocare, id est ad cultus deorum: quorum numine, ac maiestate (ut ille dicebat) mundus gubernaretur: nec pati, homines imperitos quorundã fraudibus illiã: ne simplicitas eorum prædæ, ac pabulo sit hominibus astutis. Itaq; se suscepisse hoc munus philosophia dignũ, ut præferret nõ uidentibus lumẽ sapientiæ: non modo ut susceptis deorũ cultibus resanescant, sed etiam ut pertinaci obstinatione depositã, corporis cruciamenta deuitẽt, nec sæuas membrorũ lacerationes frustra perpeti uelint. Vt autẽ appareret cuius rei gratia opus illud elaborasset, effusus est in principum laudes. quorum pietas, & prouidentia (ut quidem ipse dicebat) tum in cæteris rebus humanis, tum præcipue in defendendis deorum religionibus claruisset: consultum esse tandem rebus humanis, ut cohibita impia, et anili superstitione, uniuersi homines legitimis sacris uacarent, ac propitios sibi deos experirentur. Vbi autem religionis eius, cõtra quam perorabat, infirmare uoluit rationem, ineptus, uanus, ridiculus apparuit: quia grauis ille consultor utilitatis alienæ, non modo quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nesciebat. Nam si qui nostrorum affuerunt, quamuis temporis gratia conticescerent, animo tamen derisere, utpote cum uiderent hominem profitentem, se illuminaturum alios, cum ipse cæcus esset: reducturum alios ab errore, cũ ipse ignoraret, ubi pedes suos poneret: eruditurũ alios ad ueritatẽ, cuius ille ne scintillã quidem unã uidisset aliquando: quippe cum sapientiæ professor profligare sapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant, quod illo potissimũ tempore id operis esset aggressus, quo furebat odiosa crudelitas. O philosophum adulatorem, ac tempori seruientem. Verũ hic pro sua inanitate contemptus est, qui & gratiam, quam sperauit, non est adeptus: & gloria, quam captauit, in culpam, reprehensionemq; conuersa est. Alius eandem materiam mordacius scripsit, qui erat tunc e numero iudicum, & qui author in primis faciendæ

persecutionis fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecutus est. Composuit enim libellos duos non contra Christianos, ne inimice insectari uideretur, sed ad Christianos, ut humane & benigne consulere putaretur: in quibus ita falsitatem scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria: nam quædam capita, quæ repugnare sibi uidebantur, exposuit, adeò multa, adeò intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse uideatur. Quod si fuit, quis eũ Demosthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis, cui fuerat assensus: & fidei, cuius nomen inducrat: & sacramenti, quod acceperat, proditor factus est: nisi forte casu in manus eius diuinæ literæ inciderunt. Quæ igitur temeritas erit, id audere dissoluere, quod illi nemo interpretatus est bene, quod aut nihil dicit, aut nihil intellexit? Tantum enim abest à diuinis literis repugnantia, quantum ille abfuit à ucritate, & fide: præcipuæ tamen Paulum, Petrumq; lacerauit, cæteros q; discipulos, tanquàm fallaciæ seminatores: quos eosdem tunc rudes, & indoctos fuisse testatus est: nam quosdam corum piscatorio officio quæstum fecisse: quasi ægre ferret, quod illam rem non Aristophanes aliquis aut Aristarchus commentatus sit.

Quod discipulis Christi voluntas mentiendi abfuit, qui vitam exercebant contrariam vitiis. & quod respondendũ fuit blasphemiæ eorum, qui Christum magum fuisse mentiti sunt, & sibiipsis contraria docuerunt. Cap. III.

ABfuit ergo ab his fingendi uoluntas, & astutia: quoniã rudes fuerunt. Aut quis posset indoctus, apta inter se, & cohærentia fingere: cum philosophorum doctissimi, Plato, & Aristotelcs,

Aristoteles, & Epicurus, & Zenon, ipsi sibi repugnantia, & contraria dixerint? Hæc est enim mendaciorum natura, ut cohærere non possint. Illorum autem traditio, quia uera est, quadrat ubiq;, ac tota sibi consentit: & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est. Non igitur quæstus, & commodi gratia religionem istam commenti sunt: quippe qui & præceptis, et ipsa re eam uitam secuti sunt, quæ & uoluptatibus caret, & omnia, quæ habentur in bonis, spernit: & qui non tantum mortem pro fide subierint, sed etiam morituros esse se & scierint, & prædixerint: & postea uniuersos, qui eorũ disciplinam secuti essent, acerba, & nefanda passuros. Ipsum autem Christum affirmauit, à Iudæis fugatum, collecta noningentorum hominum manu, latrocinia fecisse. Quis tantæ authoritati audeat repugnare? Credamus hoc plane. Nam fortasse illi hoc in somnis Apollo aliquis nunciauit. Tot semper latrones perierunt, & quotidie pereunt, utiq; multos & ipse damnasti: quis eorum post crucem suam: non dicam deus, sed homo appellatus est? Verum tu forsitan ex eo credidisti: quia uos homicidam Martem consecrastis, ut deũ: quod tamen non fecissetis, si illum Areopagitæ in crucem sustulissent. Item cũ facta eius mirabilia destrueret: nec tamẽ negaret, uoluit ostendere Apollonĩũ, uel paria, uel etiam maiora feciße. Mirum, quod Apuleium prætermisit, cuius solent & multa, & mira memorari. Cur igitur ô delirum caput, nemo Apollonium pro deo colit, nisi forte tu solus, illo scilicet deo dignus, cum quo te in sempiternum uerus deus puniet? Si magus Christus, quia mirabilia fecit: peritior utiq; Apollonius, qui (ut describis) cum Domitianus eũ punire uellet, repente in iudicio non comparuit, quàm ille qui comprehensus est, et cruci affixus. At enim ex hoc ipso fortaße insolentiam Christi uoluit arguere, quod deum se constitueret, ut ille uerecundior fuiße uideatur, qui cum maiora faceret, ut hic putat, id sibi non arrogauerit. Omitto nunc ipsa

opera cõparare: quia in secũdo, & superiori libro de fraude, de præstigijs artis magicæ dixi. Nego esse quenq̃, qui non optet in primis id sibi post mortẽ cõtingere, quod etiã reges maximi concupiscunt. Cur enim homines sibi sepulchra magnifica, cur statuas, cur imagines cõparant? Cur aliquibus factis præclaris, aut etiã morte pro ciuibus suscepta, student opiniones hominũ promereri? Cur deniq; ipse ingenij tui monumentum hoc detestabili iustitia, tanq̃ cœno ædificatũ, constituere uoluisti, nisi quod immortalitatem de memoria nominis speras? Stultũ est igitur, id putare Apollonium noluisse, quod optaret utiq;, si posset: quia nemo est, qui immortalitatẽ recuset, & maxime cũ eũ dicas & adoratum esse à quibusdã, sicut deũ: & simulachrũ eius sub Herculis Alexicaci nomine constitutũ, ab Ephesijs etiam nunc honorari. Non potuit ergo post mortẽ deus credi, quia & hominem, & magũ fuisse constabat: & ideo alieni nominis titulo affectauit diuinitatẽ, quia suo nec poterat, nec audebat. Noster uero et poterat deus credi, quia magus nõ fuit: & creditus est, quia uerus fuit. Nõ (inquit) hoc dico, idcirco Appollonium non haberi deum, quia nolucrit: sed ut appareat nos sapientiores esse, qui mirabilibus factis nõ statim fidẽ diuinitatis adiunximus, q̃ uos, qui ob exigua portenta deũ credidistis. Non est mirũ si tu, qui à dei sapientia lõge remotus es, nihil prorsus intelligis eorũ, quæ legisti: cũ Iudæi qui à principio prophetas lectitauerãt, quibusq; sacramentum dei fuerat obsignatũ, tamẽ quid legerẽt ignorauerunt. Disce igitur, si quid tibi cordis est, nõ idcirco à nobis deũ creditũ Christum, quia mirabilia fecit: sed quia uidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annunciata sunt uaticinio prophetarũ. Fecit mirabilia, magnũ putasse mus, ut et uos nũcupatis, et Iudæi tunc putauerunt, si nõ illa facturũ Christũ prophetæ omnes uno spiritu prædixissent. Itaq; deũ credimus, nõ magis ex factis, operibusq; mirandis, q̃ ex illa ipsa cruce, quã uos sicut canes lambitis:

quoniam

quoniam simul & illa prædicta est. Non igitur suo testimonio (cui enim de se dicenti credi potest?) sed prophetarũ testimonio, quia omnia, quæ fecit, ac passus est, multo ante eccinerunt, fidem diuinitatis acepit: quod neq; Apollonio, neq; Apulcio, neq; cuiq; magorum potuit, aut potest aliquando contingere. Cum igitur talia ignorantiæ suæ deliramẽta fudisset, cum ueritatem penitus exãdere cõnixus esset, ausus est libros suos nefarios, et dei hostes φιλαλήθεις, id est ueritatis amatores annotare. O cæcũ pectus, õmentem cimmerijs (ut aiunt) tenebris atriorem. Discipulus hic fortasse Anaxagoræ fuit, cui niues atramentum fuerunt: atq; eadem cæcitas est, & uero falsitatis, et mendacio ueritatis nomẽ imponere. Videlicet homo subdolus uoluit lupum sub ouis pelle cælare, ut fallaci titulo posset irretire lectorem. Verum esto imscitia hoc, non malitia feceris. Quam tandem nobis attulisti ueritatem, nisi quod assertor deorum, eos ipsos ad ultimum prodidisti? Prosecutus enim summi Dei laudes, quem regem, quem maximum opificem rerum, quem fontem bonorum, quem parentem omnium, quem factorem, authoremq; uiuentium confessus es, ademisti: Ioui tuo regnum, eumq; summa potestate depulsum, inministrorum numerum redegisti. Epilogus itaq; te tuus arguit stultitiæ, uanitatis, erroris. Affirmas deos esse, & illos tamen subijcis, & mancipas ei deo, cuius religionem conaris euertere.

Quare hoc opus inceptũ sit, & contra quos, & ad quid prosit. Cap. IIII.

SI ergo, de quibus dixi, cum præsente me, ac dolente, sacrilegus suas literas explicassent: & illorum superba impietate stimulatus, & ueritatis ipsius conscientia (ut ego arbitror) susscepi hoc munus, ut omnibus ingenij mei uiribus accusatores iustitiæ refutarem: non ut contra eos scriberem, qui paucis uerbis obteri potuerant, sed ut omnes, qui ubiq; idem operis efficiunt, aut

effecerunt, uno simul impetu profligarẽ. Non dubito enim, quin & alij plurimi, & multis in locis, & non modo Græcis, sed etiã latinis literis, monimentum iniustitiæ suæ struxerunt: quibus singulis quoniam respondere non poteram, sic agendam mihi hanc causam putaui, ut etiam priores cum omnibus suis scriptis peruerterem: & futuris omnem facultatem scribendi, aut respondendi amputarem: præbeant modo aures. Efficiam profecto, ut quicunq; ista cognouerit, aut suscipiat quod ante damnauit, aut quod est proximum, deridere aliquando desistat. Quanq̃ Tertullianus eandem causam plene perorauerit in eo libro, cui apologetico nomen est: tamen quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione, aut negatione sola positum est: aliud instituere, quod nos facimus, in quo necesse est doctrinæ totius substantiam contineri: non defugi hunc laborem, ut implerem materiam, quam Cyprianus non executus est in ea oratione, qua Demetrianum (sicut ipse ait) oblatrantem, atq; obstrepentem ueritati redarguere conatur: qua materia non est usus, ut debuit. Non enim scripturæ testimonijs, quam ille utiq; uanam, fictam, commentitiam putabat, sed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem ueritatis ignarum, dilatis paulisper diuinis lectionibus, formare hunc à principio tanquam rudem debuit: eiq; paulatim lucis principia monstrare ne toto lumine obiecto caligaret. Nã sicut infans solidi, ac fortis cibi capere uim non potest, ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis uiribus uesci fortioribus possit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana testimonia offerri, id est philosophorum, & historicorum, ut suis potissimum refutaretur authoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione diuinarum literarum, ut ijs solis contentus esset, quibus fides constat: acæssi deo inspirante, ut ego facerem, & simul ut uiam

cæteris

cæteris ad imitandum pararem. At si hortatu nostro docti homines, ac diserti huc se conferre cœperint, & ingenia sua uimq; dicendi in hoc ueritatis campo iactare maluerint, euanitura ac breui religione falsas, & oauisuram esse omnem philosophiam, nemo dubitaucrit: si fuerit omnibus persuasum, tum hanc solam religionem, tum etiam & solam ueram esse sapientiam. Sed euagatus sum longius, quàm uolebam.

De iustitia, quā non modo philosophi, sed etiā poēte, qui eos præcesserunt, totis quæsierūt viribus: & quomodo pro vero haberi debeat: nō figmēto poētico, quod iustitia terras incolebat regnāte Saturno & aurea fuisse secula, sed Ioue regnante iustitiam esse fugatam. Cap. V.

NVnc reddenda est de iustitia proposita disputatio: quæ aut ipsa summa est uirtus, aut fons est ipsa uirtutis: quā non modo philosophi quæsierunt, sed poëtæ quoq; qui priores multo fuerunt, et ante natū philosophiæ nomē pro sapientibus habebantur. Hi plane intellexerūt abesse hanc à rebus humanis, eamq; finxerūt offensam uitijs hominū cessisse à terra, in cœlūq; migrasse: atq; ut docerent, quid sit iuste uiuere (solent enim præcepta per ambages dare) à Saturni temporibus, quæ illi uocant aurea, repetunt exempla iustitiæ: narrantq; in quo statu fuerit uita humana, dum illa in terra moraretur. Quod quidem nō pro poëtica fictione, sed pro uero habendū est. Saturno enim regnante, nondum deorum cultibus institutis, nec adhuc ulla gente ad diuinitatis opinionem, consecrata, deus utiq; colebatur. Et ideo bona erant neq; dissentiones, neq; inimicitiæ, neq; bella:

Nondum uesanos rabies nudauerat enses:

Vt Germa-

Vt Germanicus Cæsar in Aratæo loquitur carmine.

Nec consanguineis fuerat discordia nata.

Imo nec alienigenis quidem, neq; illi omnino gladij, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præsente ac uigente iustitia, aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quicquam concupisceret?

Malebant tenui contenti uiuere cultu,

Vt Cicero in suo ait Arato, quod est propriũ nostræ religionis.

Ne signare quidem, aut partiri limite campum

Fas erat, in mediũ quærebant. Quippe cũ deus communĕ omnibus terrã dedisset, ut communem degerent uitam: non ut rabida, & furens auaritia sibi omnia uendicaret, nec ulli decesset, quod omnibus nasceretur. Quod poëtæ dictum sic accipi oportet, non ut existimemus nihil omnino tũc fuisse priuati, sed more poëtico figuratũ, ut intelligamus tã liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges nõ includerent: nec † solis † Aliter soli absconditis incubarent, sed pauperes ad cõmunionĕ proprij laboris admitterẽt.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Nec mirum, cum promptuaria iustorum benigne paterent omnibus: nec auaritia intercipiens beneficia diuina, famem, sitimq; uulgo faceret, sed omnes æqualiter abundarent: cum habentes, non habentibus large, copioseq; donarent. Sed postquam Saturnus à filio pulsus, in Latiumq; delatus est,

Arma Iouis fugiens, & regnis exul adeptis:

Cum iam populus, uel noui regis metu, uel quia sponte depravatus deum colere desisset, regemq; pro deo habere cœpisset, cum ipse propemodum paricida exemplo cæteris esset, ad uiolandam pietatem,

Deseruit propere terras iustissima uirgo.

Sed non, ut ait Cicero:

Et Iouis in regno, cœliq; in parte resedit.

Quomodo

Quomodo enim poterat in eius regno residere, aut cõmorari, qui patrem regno expulit, bello persecutus est, exulem toto orbe iactauit?

Ille malum uirus serpentibus addidit atris
Prædariq; lupos iussit: id est odiũ, & inuidiã, et dolũ hominibus insecuit: ut essent tanq̃ serpẽtes uenenati, tam rapaces quàm lupi. Quod quidẽ uere faciunt ij, qui iustos, ac fideles deo persequuntur, dantq; iudicibus sæuiendi aduersus innoxios potestatẽ. Fortasse aliquid eiusmodi Iupiter fecerit ad expugnandã, tollendãq; iustitiam, & ideo efferasse serpentes, ac lupos acuisse traditur:

Tum belli rabies, & amor suæ sit habendi.

Neq; immerito. Sublata enim Dei religione, boni quoq;, ac mali scientiã perdiderũt: sic hominibus intercidit cõmunitas uitæ et dirptũ est fœdus societatis humanæ. Tũ inter se manus inserere cœperũt, insidiari, et gloriã sibi ex humano sanguine cõparare.

Quod cupiditas fons malorum omniũ expulsa iustitia, suas, id est iniquissimas promulgauit leges: & quomodo sub Ioue naturæ consortes seruituti subiecerit audax, auara, ambitiosa, superba, & crudelis impietas hominum, & aureum expulit seculum, quod sola facit puritas veræ religionis. Caput. VI.

QVorum omnium malorum fons cupiditas erat: quæ scilicet ex contemptu ueræ maiestatis erupit: nõ tantum enim non perticipabant alijs ij, quibus aliquid affluebat, sed aliena quoq; rapiebant, in priuatum lucrum trahentes omnia: & quæ antea in usus hominũ etiã singuli laborabant, in paucorum domos cõferebantur. Vt enim cæteros seruitio subiugarent, in primis

in primis necessaria uitæ subducere, & colligere cœperunt: eáq; firmiter concluſa ſeruare, ut beneficia cœleſtia facerent ſua: nõ propter humanitatem, quæ nulla in ipſis erat, ſed ut omnia cupiditatis & auaritiæ inſtrumenta contraherent. Leges etiã ſibi iuſtitiæ nomine munitas iniquiſſimas, iniuſtiſſimaſq; ſanxerunt, quibus rapinas, & auaritiam ſuam contra uim multitudinis tuerentur. Tantũ igitur authoritate, quantum uiribus, aut opibus, aut auaritia prævalebant. Et quoniam nullum in his inſtitiæ veſtigium fuit, cuius officia ſunt humanitas, æquitas, miſericordia, iam ſuperba, & tumida in æqualitate gaudebant: altioresq; cæteris hominibus ſatellitum comitatu, & ferro, & inſigni ueſte fulgebant. Hinc honores ſibi, & purpuras, & faſces inuenerũt: ut ſecurium, gladiorumq; terrore ſubnixi, quaſi iure dominorũ perculſis, ac pauentibus imperarent. In hac conditione humanã uitam rex ille conſtituit, qui debellato, ac fugato parente, non regnum, ſed impiam tyrannidem ui, & hominibus armatis oppreſſis pauit. Et aureũ illud, iuſtumq; ſeculũ ſuſtulit: coëgitq; homines malos, & impios fieri: uel ex hoc ipſo, quod ipſos auertit à deo ad ſe adorandũ: quod error inſolẽtiſſimæ poteſtatis expreſſerat. Quis enim non metueret eum, quem arma cingebant, quẽ ferri, & gladiorum fulgor inſuetus circundabat? aut qui parceret alieno, qui ne patri ſuo quidem pepercerat? Quẽ uero metueret, qui Titanam robuſtam, excellentemq; uiribus gentem bello uicerat, occidione deleuerat? Quid mirum, ſi omnis multitudo inſolito metu preſſa, in unius adulationem conceſſerat: hunc uenerabantur, huic honorem maximũ deferebãt. Et quoniam mores, ac uitia regis imitari genus obſequij iudicabatur, abieccrũt omnes pietatem: ne exprobrare regi ſcelus uiderentur, ſi pie uiuerent. Sic aſſidua imitatione corrupti, diuinũ fas reliquerunt: & paulatim malè uiuendi cõſuetudo mos factus eſt. Nec iam quicquam ex antecedentis ſeculi pio, atq; optimo ſtatu manſit: ſed exploſa iuſtitia,

iustitiã, ueritatem secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem. Imprudentes igitur poëtæ, qui eam ad cœlum confugisse cecinerunt, id est ad Iouis regnum. Si enim seculo, quod uocãt aureum, iustitia in terra fuit, à Ioue utiq; pulsa est, qui aureum seculum commutauit. Seculi autem cõmutatio, et expulsio iustitiæ nihil aliud, ut dixi, q̃ desertio diuinæ religionis putanda est: quæ sola efficit, ut homo hominẽ charũ habeat, cũq; sibi fraternitatis uinculo sciat esse constrictum: siquidem pater idem, & deus est omnibus, ut dei patris communis beneficia cũ ijs, qui non habent, partiatur: nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hospiti, non aurẽ precanti, sed sit largus, benefícus, liberalis, quas regias esse laudes Tullius existimauit. Hæc est profecto iustitia, & aureum seculum, quod Ioue regnante primum corruptum, mox & ipso, & omni eius progenie consecrata, deorumq; multorum cultu susceptо fuerat omne sublatum.

De aduentu Christi, aureum seculum restituentis in electis, id est, veram reformantis religionem, & quod virtus innotescat, & probatur exercitio vitiorũ, vt liquidum sit, quare deus mala esse permiserit. Caput. VII.

Sed deus, ut parens indulgẽtissimus, appropinquante ultimo tempore nuncium misit, qui uetus illud seculum, fugatamq; iustitiam reduceret, ne humanum genus maximis, & perpetuis agitaretur erroribus. Redijt ergo species illius aurei temporis, & reddita quidem terræ, sed assignata paucis iustitia est: quæ nihil aliud est, quàm dei unici pia, & religiosa cultura. Sed moueat fortasse aliquem, cur si hæc sit iustitia, non omni humano generi sit data: nec in ea multitudo uniuersa consenserit. Magnæ

hoc dis-

hoc disputationis est, cur adeò, cum iustitiam terræ daret, si re-
tenta diuersitas, quod & alio loco declarauí, & ubicunq; opor-
tune inciderit, explicabitur. Nunc designare id breuissime satis
est, uirtutem aut cerni non posse, nisi habeat uitia contraria: aut
non esse perfectam, nisi exerceatur aduersis. Hanc enim deus bo-
norum, & malorum uoluit esse distantiam, ut qualitatem boni
ex malo sciamus, item mali ex bono: nec alterius ratio intelligi
sublato altero potest. Deus ergo non exclusit malum, ut ratio
uirtutis constare posset. Quomodo enim patientia uim suam,
nomenq; retineret, si nihil esset quod pati cogeremur? Quomo-
do laudem mereretur deuota Deo fides, nisi esset aliquis, qui
à deo uellet auertere? Nam et ideo potentiores esse iniustos per-
misit, ut cogere ad malum possent: ideo plures, ut uirtus esset pre-
ciosa, quod rara est. Quod quidem iam Quintilianus egregie, ac
breuiter ostendit in capite obuoluto. Nam quæ, inquit, esset in-
nocentia, nisi laudem raritas dedisset? Verum quia natura sic
comparatum est, ut odium cupiditas, ira in id, quod incubuerint,
agant cæcos, supra hominem uidetur culpa uacare. Alioqui si
natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat. Hoc
quàm uerum sit, docet necessitas ipsa rationis. Si enim uirtus est,
malis, ac uitijs fortiter repugnare, apparet sine malo, ac uitio
nullam esse uirtutem: quam Deus ut absolutam, perfectamq; red-
deret, retinuit illud, quod erat ei cõtrarium, cum quo depugnare
posset. Agitata enim malis quatientibus stabilitatem capit: &
quanto frequentius impellitur, tanto firmius roboratur. Hæ
nimirum causa effecit, ut quamuis sit hominibus missa iustitia,
tamẽ aureum seculum non esse dicatur, quia malum non sustulit,
ut retineret diuersitatem, quæ sacramentum diuinæ religionis
continet sola.

Quare

Quare iustitia, quę in propatulo est, nō videatur ab hominibus: & quod homo dei templum est, nō aurum, nec lapides. Et quod deus virtutibus colēdus est, nō corruptibilibus donis. Et quod omnia mala ex eo proueniunt, quòd plures dii coluntur: quia si vnus solus vere coleretur, omnes iura fraternitatis agnoscerent, & exercerent. Cap. VIII.

QVi ergo putant iustū esse neminem, ante oculos habent iustitiam, sed eam nolūt cernere. Quid est enim cur illā uel in carminibus, uel in omni sermone describant, conquerētes eius absentiā, cum sit facillimū bonos esse, si uelint? Quid uobis inanē iustitiā depingitis, & optatis capere de cœlo tanquam in aliquo simulachro figuratā? Ecce in cōspectu uestro est, suscipite (si potestis) eamq; in domicilio uestri pectoris constituite. Nec difficile, nec alienū à tēporibus existimetis. Estote æqui, ac boni, et sequetur uos sua sponte iustitia, quam quæritis. Deponite omnem malā cogitationē de cordibus uestris, & statim uobis illud tempus aureum reuertetur: quod aliter consequi nō potestis, q̄ si uerum deum colere cœperitis. Vos autem manente cultu deorū, iustitiam desyderatis in terra, quod fieri nullo pacto potest: sed ne tum quidem potuit, cum putatis, quia nondum natis dijs istis, quos impie colitis, necesse est unius dei cultum fuisse per terram, eius scilicet qui execratur malitiā, exigitq; bonitatē: cuius templum est, non lapides, aut lutum, sed homo ipse qui figuram Dei gestat. Quod templum non auro, & gemmarū donis corruptibilibus, sed externis uirtutum muneribus ornatur. Discite igitur

(si quid

(si quid uobis reliquæ mẽtis est) homines ideo malos, et iniustos esse, quia dij coluntur: & ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingraueſcere, quia deus huius mundi effector, & gubernator derelictus est: quia ſuſceptæ ſunt, contra quam fas est, impiæ religiones. Poſtremo, quia ne coli quidem uel à paucis deum ſinitis. Quod ſi ſolus deus coleretur, non eſſent diſſentiones, & bella, cum ſcirent homines ſe unius dei filios eſſe: ideoq; diuinæ neceſſitudinis ſacro, & inuiolabili uinculo copulatos, ut nulle fierent inſidiæ: cum ſcirent cuiuſmodi pœnas deus animarum interfectoribus præparet, qui clandeſtina ſcelera, & ipſas etiam cogitationes præuidet. Non eſſent fraudes, neq; rapinæ, ſi Deo præcipiente didiciſſent, & ſuo paruo eſſe contenti, ut fragilibus & caducis ſolida, & æterna præferrent. Non eſſent adulteria, et mulierum proſtitutiones, & ſtupra, ſi eſſet notũ omnibus, damnari à deo quicquid appetitur ultra generandi cupiditatẽ. Nec fœminam neceſſitas cogeret pudorem ſuum profanare, ut uictũ ſibi obſcœniſſimum quærat: cum & mares libidinem contemnerent, & habentium pia, & religioſa collatio non habentibus ſubueniret. Non eſſent igitur (ut dixi) hæc omnia in terris mala, ſi ab hominibus in legem dei coniuraretur: ſi ab uniuerſis fieret quæ unus noſter populus operatur: quàm beatus eſſet, quámq; aureus humanarum rerum ſtatus, ſi per totũ orbem manſuetudo & pietas, & pax, & innocentia, & æquitas, & temperãtia, & fides morarctur. Deniq; ad regendos homines nõ opus eſſet tam multis, & tam uarijs legibus, cum ad perfectam innocentiã Dei lex una ſufficeret: neq; carceribus, neq; gladijs præſidum, neq; terrore pœnarum, cum præceptorem cœleſtium ſalubritas humanis pectoribus infuſa, ultro ad iuſtitiæ opera homines erudiret. Nunc autẽ mali homines ſunt ignorãtia recti, ac boni: quod quidẽ Cicero uidit. Diſputans enim de legibus: Sicut una, inquit, eademq; natura mũdus omnibus partibus inter ſe cõgruentibus cohæret,

cohæret, ac nititur: sic omnes homines inter se natura confusi, prauitate dissentiunt: nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub unam, eandemq; tutelam, quod si teneretur, deorum profecto uita homines uiuerent. Vniuersa igitur mala, quibus humanum genus scipsum inuicem conficit, iniustus, atq; impius deorum cultus induxit. Nec enim poterant retinere pietatem, qui communem omnium patrem deum tanquàm prodigi ac rebelles liberi abnegassent.

Quod iniqui iustitiam, quã sibi abesse sentiunt, omnibus abesse putãt: & in eos, qui iustiores, & innocentissimi sunt, atrocius sæuiũt, id est in seruos Christi, mensuram patrum implentes: qui caput omnium iustorum Christum occiderũt, eò quòd dissimilitudo vitæ criminosę sitiat sanguinem innocentium. Cap. IX.

NOnnunq̃ tamen sentiunt, se malos esse, & ueterum seculorum statum laudant, & de moribus suis, meritisq; conijectant abesse iustitiam: quam obuersantem oculis suis nõ tantũ non suscipiunt, nec agnoscunt, uerumetiam uiolenter oderunt, & persequuntur, & exterminare contendunt. Fingamus hanc interim non esse iustitiam, quam nos sequimur, quomodo, si illa uenerit, quam ueram putant, eam recipient? qui laniant, & occidunt eos, quos & ipsi fatentur imitatores esse iustorum, quia bona operantur, & iusta: cum si tantummodo malos occiderẽt, digni essent, ad quos iustitia nõ ueniret: cui nulla fuit alia causa linquẽdi terram, quàm humani cruoris effusio. Quanto magis, cum pios interficiant, & ipsos iustitiæ sectatores pro hostibus

ducant: imò uero plus q̃ pro hostibus, quibus utiq; cum animas eorum, & opes, & liberos ferro, & igni appetant: tamen parcitur uictis, et est locus inter arma clementiæ. Aut si adeò sæuire placuit, nihil plus in eos fit, quàm ut occidantur, uel in seruitutẽ adducantur. Hoc uero inenarrabile est, quod fit aduersus eos, qui malefacere nesciunt. Et nulli nocentiores habentur, q̃ qui sunt ex omnibus innocentes. Audent igitur homines improbissimi iustitiæ facere mentionem, qui feras immanitate uincunt: qui pulcidissimum Dei gregem uastant, ceu lupi rapaces atra in nebula quos improba uentris exegit cæcos rabies. Verũ hos nõ uentris, sed cordis rabies efferauit: nec atra nebula, sed aperta prædatione grassantur: nec eos unquàm conscientia scelerum reuocat: ne sanctum ac pium nomen iustitiæ ore illo uiolent, quod cruore innocentium tanquam rictus bestiarum madent. Huius tanti, & tam pertinacis odij quam potissimũ causam esse dicamus? Vtrũne ueritas odium pariat, ut ait poëta, quasi diuino spiritu instructus: an erubescet coram iustis, & bonis esse nequam, an potius utrunq;? Nam & ueritas ideo semper inuisa est, quod is, qui peccat, uult habere liberum peccandi locum: nec aliter se putat male factorum uoluptate securius perfrui posse, quàm si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo tanquàm scelerum, & malitiæ suæ testes extirpare funditus nituntur, & tollere: grauesq; sibi putant, tanquam uita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestiue boni, qui corruptis moribus publicis, conuitium bene uiuendo faciant? Cur non omnes sint æque mali, rapaces, impudici, adulteri, periuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, quos coram male uiuere pudet, qui peccantium fontem, & si non uerbis, quia tacent, tamen ipso genere uitæ dissimili feriunt, et uerberant? Castigare enim uidetur quicunq; dissentit. Nec est magnopere mirandũ, si aduersus homines ista fiunt: cũ aduersus ipsum deũ propter eandem causam insurrexerit etiam

populus

populus in spe constitutus, nec Dei nescius: sequiturq; iustos eadē necessitas, quæ ipsum iustitiæ uiolauit authorem. Vexant ergo, et exquisitis pœnarum generibus excruciant: parumq; habent interficere, quos oderunt, nisi etiā crudelitas corporibus illudat. Si qui autem doloris, uel mortis metu, uel suapte perfidia cœleste sacramentum deseruerint, & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, & honoribus mactant, ut eorum exemplo cæteros illiciant. Qui autem magni existimauerint fidem, cultoresq; sē Dei non abnegauerint, in eos uero totis carnificinæ suæ uiribus ueluti sanguinem sitiant, incumbunt, & desperatos uocant: quia corpori suo minime parcunt, quasi quicq̄ desperatius esse possit, quàm torquere, ac dilaniare eum, quem scias innocentem. Adeò uero nec pudor ullus apud eos supersit, a quibus abest omnis humanitas, & detorquent in homines iustos conuitia sibi congruentia. Impios enim uocant ipsi scilicet pij, et ab humano sanguine abhorrentes: cum si & actus suos consyderent: & illorū, quos tanquam impios damnant, iam intelligant, quàm mendaces sint, & ijs omnibus, quæ aduersus bonos aut dicunt, aut faciunt, digniores. Non enim de nostro, sed de illorum numero semper existunt, qui uias obsideant armati, mària prædentur: uel si palā grassari nō licuit, uenena clam temperent: qui uxores necent, ut dotes earū lucrentur: aut maritos, ut adulteris nubant: qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimiū pij fuerint, exponant, qui libidines incestas, nec à filia, nec à sorore, nec à matre, nec à sacerdote contineant: qui aduersus ciues suos, patriamq; coniurent: qui neq; eculeum timeant: qui deniq; sacrilegia committāt, & deorum, quos colunt, templa dispolient: & ut quæ leuia sunt atq; usitata dicamus, qui hæreditates captent, testamenta supponant: iustos hæredes uel auferant, uel excludant: qui corpora sua libidinibus prostituant: qui deniq; immemores quod nati sunt, cum fœminis patientia certent: qui sanctissimam quoque

corporis sui partem cõtra fas omne polluant, & profanẽt: qui uirilia sua ferro metãt: & quod est sceleratius, ut sint religionis antistites, qui nec uitæ quidem suæ parcant, sed extinguendas publice animas uendant: qui si iudices sedeant, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impune dimittant: qui cœlum quoq; ipsum ueneficijs appetant, tanq̃ eorum malitiam terra non capiat. Hæc inquam, & his plura scelera utiq; ab ijs fiunt, qui deos colũt. Quis inter hæc tot, & tanta iustitiæ locus est? Et ego de multis pauca collegi: non ut argueren, sed ut ostenderem. Qui uolent scire omnia, Senecæ libros in manu sumant, qui morum uitiorumq; publicorum & descriptor uerissimus, et accusator acerrimus fuit. Sed & Lucilius tenebrosam istam uitã circunscripte, breuiterq; depinxit his uersibus:

Nunc uero à mane ad noctem, festo atq; profesto,
Totus item pariterq; dies, populusq;, patresq;
Iactare, in de foro omnes, & decedere nusquàm,
Vni se, atq; eidem studio omnes dedere, & arti.
Verba dare, ut caute possint pugnare, dolose
Blanditia certare, bonum simulare uirum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Nostro autem populo quid horum potest obijci, cuius omnis religio est sine scelere, ac sine macula uiuere? Cum igitur uideant se ac suos, ea, quæ diximus, gerere, nostros autẽ nihil aliud operari, nisi æquum & bonum, poterant (si quid saperent) ex hoc intelligere & illos, qui bonum faciunt, pios esse, & se impios, qui nefanda committunt. Neq; enim fieri potest, ut qui in omnibus uitæ suæ actibus non errant, in ipsa summa errent, hoc est in religione, quæ rerum omnium caput est. Impietas enim susceptã in eo, quod est summum, per cætera uniuersa sequeretur: eoq; fieri non potest, ut ipsi qui errant in omni uita, non etiam in religione fallantur: quoniam pietas in summo regulam tenens, tenorem

suum seruat

ſuum ſeruat in cæteris. Ita ſit in utraq; parte, de conditione rerum, quæ geruntur, qualis ſit ſumma ipſa noſcatur.

De impia iniquorũ, qui deum neſciunt pietate. Et quid, & vbi ſit vera pietas, quã deorũ cultores aſſequi nequeũt propter ſubiectas cauſas. Cap. X.

OPerepræcium eſt cognoſcere illorũ pietatẽ, ut ex ijs, quæ clementer, ac pie faciũt, poßint intelligi qualia ſint, quæ ab his contra iura pietatis geruntur. At ne quem uidear inclementer inceſſere, aliquam mihi perſonam poëticam ſumam, quæ ſit uel maximum pietatis exemplum. Apud Maronem rex ille:

Quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis:
Qui nobis documenta iuſtitiæ protulit,
Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris,
Inferias cæſo ſparſuros ſanguine flammas.

Quid poteſt eße hac pietate dementius, quàm mortuis humanas uictimas immolare, & ignem cruore hominum tanquàm oleo paſcere? Sed fortaſſe hoc non ipſius fuerit uitium, ſed poëtæ, qui inſignem pietate uirum inſigni ſcelere fœdauit. Vbi eſt ergo, ô poëta, illa pietas, quam ſæpißime laudas?

Eæ pius Aeneas, Sulmone creatos
Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vphens,
Viuentes rapit inferias, quos immolet umbris,
Captiuoq; rogi perfundat ſanguine flammas.

Cur ergo dicebat eodem ipſo tempore, quo uinctos ipſos homines ad immolationem mittebat? Equidem & uiuis concedere uellem, cum quos uiuos habebat in poteſtate, uice pecudum iuberet occidi. Sed hæc (ut dixi) culpa non illius fuit, qui literas fortaſſe non didicerat: ſed tua, qui, cum eſſes eruditus, ignoraſti

tamen, quid esset pietas: & illud ipsum, quod nefarie, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti: uidelicet ob hoc unũ pius uocatur, quia patrẽ dilexit. Quid quod bonus Aeneas haud aspernãda precãtes trucidauit? adiuratus enim per cundẽ patrem, & spem surgentis Iuli, nequaq; pepercit furijs accensus, & ira. Quisquam ne igitur putet hunc aliquid in se uirtutis habuisse, qui & furore tanq; stipula exarserit: & manium patris, per quem rogabatur, oblitus, iram frenare non quiuerit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnantes, sed etiam precantes interemit. Dicet hic aliquis: Quæ igitur, aut ubi, aut qualis est pietas? Nimirum apud eos, qui bella nesciunt, & qui concordiam cum omni ui seruant, qui amicã sunt etiam inimicis, qui omnes homines pro fratribus diligunt, qui cohibere iram sciunt, omnemq; animi furorem tranquilla moderatione lenire. Quanta igitur caligo, quanta tenebrarum, & errorum nubes hominum pectora obduxit: qui cum se maxime pios putant, tũ maxime fiunt impij. Quanto enim religiosius terrenis istis simulachris seruiunt, tanto magis scelerati aduersum nomẽ diuinitatis ueræ existũt. Itaq; pro merito impietatis suæ grauioribus malis sæpe uexãtur: quorũ causam quia nesciunt, Fortunæ culpæ omnis ascribitur: & locũ inuenit Epicuri philosophia, nihil ad deos pertinere censentis, nec gratia eos tangi, nec ira moueri: quia & cõtemptores eorũ sæpe uideant beatos, et cultores sæpe miseros. Quod eò fit, quia cũ religiosi uideantur, et natura boni, nihil tale creduntur mereri, quale sæpe patiuntur. Consolantur se tamen accusatione fortunæ: nec sentiunt, quod si esset ulla, cultoribus suis nunq; noceret. Merito igitur huiusmodi pietatem pœna consequitur: & offensa diuinitas scelere hominum praue religiosorum, graui eos infortunio mactat: qui licet sanctis moribus uiuant summa fide, atq; innocentia: tamen quia deos colunt, quorum ritus impios, ac prosanos deus uerus odio habet, à

iustitia,

iustitia, & à nomine ueræ pietatis alieni sunt. Nec est difficile docere, cur deorũ cultores boni, & iusti esse nõ possint. Quomodo enim sanguine abstinebũt, qui colũt cruentos deos, Martem, atq; Bellonã? quomodo autẽ parẽtibus parcent, qui expulsorem patris sui Iouẽ: aut natis ex se infantibus, qui colũt Saturnum? quomodo pudicitiã tuebuntur, qui colunt deã nudã, & adulterã et quasi apud deos prostitutã? quomodo se à rapinis et fraudibus abstinebũt, qui Mercurij furta nouerũt, docentis nõ fraudis esse decipere, sed astutiæ? Quomodo libidines coërcebunt, qui Iouẽ, Herculẽ, Liberũ, Apollinẽ, cæterosq; uenerãtur, quorũ adulteria & stupra in mares & fœminas non tantũ doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris, atq; cantantur, ut sint omnibus notiora? Possunt ne inter hæc iusti esse homines, qui etiam si natura sint boni, ab ipsis tamen dijs erudiantur ad iniustitiã? Ad placandum enim deũ, quem colas, ijs rebus opus est, quibus illum gaudere, ac delectari scias. Sic fit, ut uitã colentiũ deus pro qualitate numinis sui formet: quoniã religiosissimũ est cultus imitari.

Quod persecutores Christianorũ non modo bestię fuerint, sed ipsis bestiis bruti ores, & truciores. Quibus, & quare tormentis martyres afficiant. Cap. XI.

Isi igitur hominibus, qui deorũ suorũ moribus cõgruunt, quia grauis est, & acerba iustitia, eandem impietatem suã, qua in cæteris rebus utũtur, aduersus iustos uiolẽter exercẽt. Nec immerito à prophetis bestiæ nominantur. Præclare itaq; M. Tullius: Etenim si nemo est (inquit) qui mori malit, q̃ conuerti in aliquã figurã bestiæ, quamuis mentẽ hominis habiturus: quanto est mẽ serius in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto uidetur, quanto est præstabilior animus corpore. Aspernantur itaq; corpora belluarum, quibus sunt ipsi sæuiores: sibiq; adeò

placent, quod homines sint nati, quorum nihil nisi lineamẽta, et summam figuram gerunt. Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias unq̃ aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usq; ad uentris satietatem furit, fameq; sedata protinus cõquiescit. Illa est uera bestia, cuius una iussione funditur ater ubique cruor, crudelis ubique luctus, ubiq; pauor, & plurima mortis imago. Nemo huius tãtæ belluæ immanitatem potest pro merito describere: quæ uno loco recubans, tamen per totũ orbem dentibus ferreis sæuit: et non tantũ artus hominũ dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres fundit, ne quis extet sepulturæ locus: quasi uero id affectent, qui deum confitentur, ut ad eorum sepulchra ueniatur, ac nõ ut ipsi ad eum perueniãt. Quæ nam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem uiuis, terram mortuis denegasse? Dico igitur nihil esse miserius ijs hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ iussionis necessitas aut inuenit, aut fecit. Non enim honor ille, aut prouectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei uero ad pœnam sempiternam. Quæ autem per totũ orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim uoluminũ numerus capiet tam infinita, tam uaria genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisq; sæuit: alij præ nimia tumiditate plus ausi sunt, q̃ iubebantur: alij suo proprio aduersum iustos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent, & hoc officio uiam sibi ad altiora munirent: alij ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui uniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo concremauit. Sed hic quanto sæuior, tanto clementior inuenitur. Illud uero pessimum genus est, ui clementiæ species falsa blanditur: ille sæuior, ille grauior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaq; dici non potest, huiusmodi iudices quanta, & quàm grauia tormentorũ genera excogitauerint, ut ad effectum

propositi sui peruenirēt. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentum peremisse (nam et ipse audiui aliquos gloriantes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta) sed inuidiæ causa, ne aut ipsi uincantur, aut illi uirtutis suæ gloriā consequantur. Itaq; in excogitandis pœnarū generibus, nihil aliud quàm uictoriam excogitant. Sciunt enim certamen illud esse, & pugnam. Vidi ego in Bithynia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tanquàm Barbarorū gentem aliquā subegisset: quod unus, qui per biennīū magna uirtute restiterat, postremo cedere uisus est. Contendunt igitur ut uincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt: & nihil aliud euitant, quàm ut ne torti moriantur. Quasi uero mors tantum nos beatos faciat, ac etiā non tormenta, quanto fuerint grauiora, tanto maiorem uirtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia iubent curam tortis diligēter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renouentur, & reparetur nouus sanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest? non curassent tam solicite quos amarēt. Hæc est deorum disciplina. Ad hæc opera cultores suos erudiunt, hæc sacra desyderant. Quinetiam sceleratissimi homicidæ contra pios impia iura condiderunt: nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes iurisperitorum leguntur iniustæ. Domitius de officio proconsulis libro septimo, rescripta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores dei confiterentur.

Quomodo ipsi carnificibus grati facti sunt, qui diligunt inimicos. Et quod expetibilius est esse bonū, & malum putari, quàm malū esse, & videri bonū. Ca. XII.

Quid ijs

QVid ijs facias, qui ius uocant carnificinas ueterum Tyrannorum aduersus innocentes rabide sæuientium? Et cum sint iniustitiæ, crudelitatisque doctores, iustos esse se tamen ac prudentes uideri uolunt, cæci, & hebetes, ac rerum & ueritatis ignari. Adeò ne uobis ô perditæ mentes inuisa iustitia est, ut eam summis sceleribus adæquetis? Adeò ne apud uos perit innocentia, ut ne morte quidem simplici dignam iudicetis? Sed supra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere, pectusq; purum ab omni sceleris contagione præstare. Et quoniam communiter cum deorum cultoribus loquimur, licebit per uos benefacere nobiscũ. Hæc est enim lex nostra, hoc opus, hæc religio. Si uobis sapientes uidemur, imitamini. Si stulti, contemnite, aut etiam ridete, si libet: nobis enim stultitia nostra prodest. Quid laceratis? quid affligitis? non inuidemus sapientiæ uestræ. Hanc stultitiam malumus, hanc amplectimur. Hoc nobis credimus expedire, ut uos diligamus: & in uosipsos, qui odistis, omnia conferamus. Est apud Ciceronem non abhorrens à uero locus in ea disputatione, quæ habetur a Furio contra iustitiam. Quæro, inquit, si duo sint, quorum alter optimus uir, æquissimus summa iustitia, singulari fide: alter insigni sceler, & audacia: & si in eo sit error ciuitas, ut bonum illum uirum, sceleratum, facinorosum, nefariũ putet: contrà autem, qui sit improbissimus existimetur esse summa probitate, ac fide, proq; hac opinione omnium ciuũ bonus ille uir uexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, uinciatur, uratur, exterminetur, egeat: postremo iure etiam optimo omnibus miserrimus esse uideatur. Contrà autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur: uir denique optimus omnium æstimatione, & dignissimus omni fortuna iudicetur. Quis tandem erit tam demens, qui dubitet utrum se esse malit?

Proficia

Profecto quasi diuinarct, quæ nobis mala, & quomodo uentura essent propter iustitiam, hoc posuit exemplum. Hæc enim populus noster patitur omnia, errantium prauitate. Ecce in eo est errore ciuitas, uel potius orbis ipse totus, ut bonos, & iustos uiros tanquam malos & impios persequatur, excruciet, damnet, occidat. Nam quod ait neminem esse tam dementem, qui dubitet utrum se esse malit. Ille quidem, ut is qui contra iustitiam disserebat, hoc sensit: malo sapientem malu esse cum bona æstimatione quàm bonum cum mala. A nobis autem absit hæc amentia, ut falsum uero anteponamus. An boni nostri qualitas ex populi potius pendebit erroribus, quàm ex conscientia nostra, & iudicio Dei? Aut aliqua nos felicitas illiciet unquam, ut non potius ueram bonitatem cum omni malo, quàm falsam cum omni prosperitate malimus? Sua sibi habeant regna reges: suas diuitias diuites (ut loquitur Plautus) suam uero prudentiam prudentes, relinquant nobis stultitiã nostram: quam uel ex hoc apparet esse sapientiam, quod eam nobis inuident. Quis nam stulto inuideat nisi qui ipse sit stultissimus? Illi autem non adeò sunt stulti, ut stultis inuideant: sed ex eo, quod accurate, quod solicite persequuntur, stultos non esse concedunt: cur enim tam crudeliter sæuiunt, nisi quia metuunt, ne in dies inualescente iustitia, cum diis suis, quos Narinosos appellant, quod odoribus thuris colantur, Narinosis relinquantur? Si ergo cultores deorum sapientes sunt, nos stulti: quid metuunt, ne sapientes illiciantur a stultis?

Quod ex

Quod ex eo patet iustitia Christianæ religionis,& veritas fidei, quod de cultoribus deorum crescit ecclesia,sed de ecclesia nec minis, nec tormentis cõpelli possint ad cultum deorum: licet quidã sacrificasse ex infirmitate legãtur inuiti: qui tamen postea per pœnitentiã, in quo Nouatiani confutantur, surrexerunt fortiores. Et quod patientia martyrum soli dissimum est christianæ religionis fundamentum. Caput. XIII.

CVM autem noster numerus semper de deorum cultoribus augeatur,nunq; uero, ne in ipsa quidem persecutione minuatur: quoniã peccare homines,et inquinari sacrificio possunt, uerti autem à Deo non possunt (ualet enim ui sua ueritas) quis est tam excors, tamq; cæcus, qui non uideat, quæ in utraq; sit parte sapientia? Sed illi malitia,& furore cæcantur,ne uideant: stultosq; arbitrantur esse,qui cum habeant in sua potestate supplicia uitare,cruciari tamen,& mori malunt:cum possint,ex eo ipso peruiderent non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per orbem totum una,& pari mente consentiunt. Si enim fœminæ sexus infirmitate labũtur (nam interdum isti muliebrẽ, et anilem superstitionẽ uocant) uiri certe sapiũt. Si pueri,si adolescentes improuidi sunt per ætatem:maturi certe,ac senes habẽt stabile iudicium. Si una ciuitas desipit,cæteræ utiq; innumerabiles stultæ esse non possunt. Si una prouincia, una natio prouidentia caret,cæteras oẽs habere intelligentiã recti necesse est. Cũ uero ab

uero ab ortu solis usq; ad occasum lex diuina susceptа sit: & omnis sexus, omnis ætas, et gẽs, et regio unis, ac paribus animis deo seruiant, eadẽ sit ubiq; patiẽtia, idẽ contẽptus mortis: intelligere debuerant, aliquid in ea re esse rationis, quod nõ sine causa usq; ad mortem defendatur: aliquid fundamenti, ac soliditatis, quod eam religionem non tantum iniurijs, ac uexatione non soluat, sed augeat semper, & faciat firmiorem. Nam & in hoc quoq; illorum malitia conuincitur, qui euertisse se funditus religionem Dei opinantur, si homines inquinauerint, cum & Deo satis facere liceat, & nullus sit tam malus Dei cultor, quin data facultate ad placandum deum reuertatur, & quidem deuotione maiori. Peccati enim conscientia, & metus pœnæ religiosorem facit: & semper multo firmior est fides, quam reponit pœnitentia. Si ergo ipsi, cum deos arbitrantur sibi iratos, tum donis, & sacrificijs, et odoribus placare eos credunt: quid est tandẽ, quod deum nostrum tam immitem, tam implacabilem putent, ut uideatur is iam Christianus esse non posse, qui dijs eorum coactus inuitusq; libauerit? nisi forte contaminatos semel putãt animos translaturos, ut sua sponte facere incipiant, quod per tormenta fecerunt. Quis id officium libens subeat, quod ab iniuria cœpit? Quis cum uideat laterum suorum cicatrices, non magis oderit deos, propter quos æterna pœnarum insignia, & impressas uisceribus suis notas gestet? Ita fit, ut data diuinitus pace, & qui fuerunt uniuersi redeant, & alius propter miraculum uirtutis nouus populus accedat. Nam cum uideat uulgus dilacerari homines uarijs tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseuerantiam morientiũ uanã esse, nec ipsam patientiam sine deo cruciatus tantos posse superare. Latrones, & robusti corporis uiri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamãt, & gemitus ædunt. Vincuntur enim

dolore,

dolore,quia deest illis inspirata patiētia. Nostri autē(ut de uiris taceam)pueri,& mulierculæ tortores suos tacite uincūt,& exprimere illis gemitū nec ignis potest. Fant Rhomani,& Mutio glorientur,et Regulo. Quorū alter necandū se hostibus tradidit quod captiuum puduit uiuere. Alter ab hostibus deprehensus,cū uideret se mortē uitare nō posse,manū foco iniecit, ut pro facinore suo satis faceret hosti,quē uoluit occidere:eaq; pœna ucniā quam non merucrat,accepit. Ecce sexus fœmineus, & fragilis ætas dilacerari se toto corpore utiq; perpetitur: nō necessitate, quia licet uitare,si uellent:sed uoluntate,quia confidunt in Deo.

De vera virtute Christianorum,qui in culmine patientię cōstituti,philosophos laudatores patientię antecedunt virtute patiendi. Et quod vanum & stultum est imaginatā terrā,vt deū colere. Ca. XIIII.

SEd hæc est uera uirtus,quam philosophi quoq; gloriabundi nō re,sed uerbis inanibus iactant: dissérentes nihil esse tam congruens uiri sapientis grauitati atq; constantiæ, q̄ nullis terroribus de sententia, & proposito posse depelli: sed tanti esse cruciari,et mori,ne fidem prodat,ne ab officio discedat,ne metu mortis,aut dolore acerbo subactus aliquid faciat iniustum: nisi forte delirare illis uidetur Flaccus in Lyricis,cum dicit:

Iustum,& tenacem propositi uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Quo nihil uerius dici potest,si hoc ad eos referatur, qui nullos cruciatus,nullam mortem recusant,ne à fide,iustitiaq; declinent: qui non tyrannicas iussiones, non præsidum gladios tremunt:

quo minus

quo minus uerum, & solidam libertatem constanti mente defendant, quæ in hoc solo tuenda sapientia est. Quis enim tam insolens, tam elatus est, qui me uetet oculos in cœlum tollere? quis imponat mihi necessitatem uel colendi quod nolim, uel quod uelim non colendi? Quid nobis iam ulterius relinquetur, si etiam hoc quod uoluntate fieri oportet, libido extorqueat aliena? Nemo istud efficiet, si quid nobis ad contemnendam mortem doloremq; uirtutis est. Quam constantiam si tenemus, cur stulti iudicamur, facientes ea quæ philosophi laudant? Recte igitur Seneca incongruentiam hominibus obiectans ait: Summa uirtus illis uidetur magnus animus. Et idem: Eum qui contemnit mortem, pro furioso habent: quod est utiq; summæ peruersitatis. Sed ij uanarũ religionũ cultores eadem stultitia id obijciunt: quia uerũ deum non intelligunt, quos Sibylla Erythræa κωφοὺς καὶ ἀνοήτους uocat, surdos scilicet, & excordes: qui nec audiant diuina, nec sentiant, sed terrã digitis suis imaginatam metuant, & adorent.

Quare sapientes habentur pro stultis: & quomodo in dũabus præcipue virtutibus, pietate scilicet, & æquitate, iustitia cõstet: & quid pietas secundum Trismegistum: & quid æquitas secundum Ciceronem: quarum neutram assequi potuerunt Rhomani, vel Gręci, nec aliqui, nisi Christiani. Caput. XV.

QVæ uero causa sit, ut eos, qui sapiẽtes sunt, stultos putẽt, magna ratio est: nec enim frustra falluntur. Quæ nobis diligẽter est explicanda, ut errores suos tandem (si fieri potest) agnoscant. Iustitia suapte natura speciem quandam stultitiæ

stultitiæ habet: quod ego et diuinis, & humanis testimonijs confirmare possum. Sed nihil fortasse apud istos agemus, nisi istos de suis doceamus authoribus, non posse iustum quenq̃ esse, quod est coniunctum cum uera sapientia, nisi stultus esse uideatur. Carneades Academicæ sectæ philosophus, cuius in disserẽdo quis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui nescit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilij: apud quẽ disserens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse explicari: nec si Carneadem ipsum Orcus remittat. Is cum legatus ab Athenienſibus Romam missus esset, disputauit de iustitia copiose, audiente Galba, & Catone censoribus, maximis tunc oratoribus. Sed disputationem suam postridie contraria disputatione subuertit, & iustitiam, quam pridie laudauerat, sustulit: non quidem philosophi grauitate, cuius firma, & stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitij genere in utranq; partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quodlibet asserentes posset refutare. Eam disputationem, qua iustitia subuertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur. Credo quoniam de Repub. disserebat, ut defensionem laudationemq; eius inducceret, sine qua putabat regi non posse Remp. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret, ac Platonem, iustitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro iustitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, euertere. Erat enim facillimum iustitiam radices non habentem labefactari, ut diceret inaniter laborari: quia tum nulla in terra fuit, ut quid esset, aut qualis à philosophis cerneretur. atq; utinam tot, ac tales uiri quantũ eloquentiæ, quantum animi, tantum etiam scientiæ ad implendam defensionem summæ uirtutis habuissent: cuius origo in religione, ratio in æquitate est. Sed ij, qui primam illam partem nescierunt, ne scandam quidem tenere potuerũt. Volo autẽ prius circunscripte, ac breuiter quid sit ostendere, ut intelligatur philosophos ignorasse iustitiam.

nec id-

nec id,quod minime nouerant,potuisse defendere.Iustitia quãuis omnes simul uirtutes amplectatur,tamen duæ sunt omnium principales,quæ ab illa diuelli,separariq; nõ possunt,pietas,& æquitas. Nam fides,temperantia,probitas,innocentia,integritas,& cæteræ huiusmodi uel natura,uel institutis parentum possunt inesse ijsdem hominibus,qui iustitiam nesciunt,sicuti semper fuerunt. Nam Rhomani ueteres, qui iustitia gloriari solebant,ijs utiq; uirtutibus gloriabantur, quæ(ut dixi)proficisci à iustitia possunt,& ab ipso fonte secerni. Pietas uero,& æquitas quasi uenæ sunt eius: his enim duobus fontibus constat tota iustitia. Sed caput eius,& origo in illo primo est: in secundo uis omnis, & ratio. Pietas autem nihil aliud est,q̃ Dei notio, sicut Trismegistus uerissime definiuit,ut alio loco diximus.Si ergo pietas est cognoscere deum, cuius cognitionis summa est, ut eum colas: ignorat utiq; iustitiam,qui religionem Dei nõ tenet.Quomodo enim potest eam ipsam nosse, qui unde oriatur ignorat? Plato quidem multa de uno deo locutus est, à quo ait constitutum esse mundum: sed nihil de religione: somniauerat enim deum, non cognouerat:quod si iustitiæ defensionẽ uel ipse,uel quilibet alius implere uoluisset, in primis religiones deorum euertere debuit: quia contrariæ sunt pietati.Quod quidem Socrates quia facere tentauit,in carcerem coniectus est: ut iam tunc appareret,quid esset futurũ ijs hominibus,qui iustitiam ueram defendere, deoq; singulari seruire cœpissent. Altera igitur iustitiæ pars est æquitas:æquitatem non dico utiq; benc iudicandi,quod ipsum laudabile est in homine iusto,sed se cum cæteris coæquandi,quam Cicero æqualitatem uocat. Deus enim, qui homines generat, & inspirat,omnes æquos,id est pares esse uoluit.Eandem conditionem uiuendi omnibus posuit, omnes ad sapientiam genuit,omnibus immortalitatẽ spopõdit. Nemo beneficijs eius cœlestibus segregatur. Nam sicut omnibus unicum suum lumen æqualiter

diuidit, emittit omnibus fontes, uictum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit, sic omnibus æquitatem, uirtutemq; largitur. Nemo apud eum seruus est, nemo dominus. Si enim cūctis idem pater est, æquo iure omnes liberi sumus. Nemo Deo pauper est, nisi qui iustitia indiget: nemo diues, nisi qui uirtutibus plenus est: nemo deniq; egregius, nisi qui bonus, & innocens fuerit: nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit: nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus uirtutis impleuerit. Quare neq; Rhomani, neq; Græci iustitiam tenere potuerunt: quia dispares multis gradibus homines habuerunt, à pauperibus ad diuites, ab humilibus ad potentes, a priuatis denique; usq; ad regnum sublimissimas potestates. Vbi enim nō sunt uniuersi pares, æquitas non est, & excludit inæqualitas ipsa iustitiam: cuius uis omnis in eo est, ut pares faciat eos, qui ad huius uitæ conditionem pari sorte uenerunt.

De æquitate Christianorum, quam philosophi nō habētes, nec inuenire, nec defendere potuerunt. Cap. XVI.

DVobus igitur illis iustitiæ fontibus immutatis, omnis uirtus, & omnis ueritas tollitur: & ipsa iustitia remigrat in cœlum. Ideo non est uerum illud bonum à philosophis repertum: quia ignorabant, uel unde oriretur, uel quid efficeret: quod nullis alijs, præterquam nostro populo reuelatum est. Dicet aliquis: Nonne sunt apud uos alij pauperes, alij diuites, alij serui, alij domini: nōne aliquid inter singulos interest? Nihil: nec alia causa est, cur nobis inuicem fratrum nomen impartiamur, nisi quia pares esse nos credimus: nam cum omnia humana non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diuersa cōditio, nobis tamen serui non sunt, sed eos & habemus, & dicimus spiritu fratres, religione conseruos. Diuitiæ quoque non faciunt

insignes,

insignes,nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. Diuites sunt enim,non qui diuitias habent, sed qui utuntur illis ad opera iustitiæ. Et qui pauperes uidentur,eò tamen diuites sunt, quia & egent,& concupiscunt nihil.Cũ igitur & liberi seruis, & diuites pauperibus,humilitate animi pares simus, apud Deũ tamen uirtute discernimur. Tanto quisq; sublimior est, quanto iustior. Si enim iustitia est,quasi parem se etiã minoribus facere, quanq̃ hoc ipso præcellat,quod se inferioribus coæquauit: tamẽ si non tantum quasi parem,sed etiam quasi minorem se gesserit, utiq; multo altiorem dignitatis gradum deo iudice consequetur. Nam profecto in hac seculari uita,quoniam breuia, & caduca sunt omnia, & præferunt se alteris homines, & de dignitate contendunt:quo nihil fœdius, nihil arrogantius, & nihil a sapientis ratione semotius. Rebus enim cœlestibus contraria sunt ista uniuersa terrena:sicut enim sapientia hominum summa stultitia est apud deum, stultitia autem(ut docui) summa sapientia est,sic Deo humilis,& abiectus est,qui fuerit conspicuus,et sublimis in terra. Nam ut taceam,quod hæc præsentia terræ bona, quibus magnus honor tribuitur, uirtuti contraria sunt, & uigorem mentis eneruant:quæ tandem potest firma esse nobilitas, quæ opes,quæ potentia,cum possit Deus reges quoq; ipsos inferiores infimis facere? Et ideo consulens nobis Deus,inter diuina præcepta illud præcipue posuit:Qui se extollit,humiliabitur:et qui se humiliat, exaltabitur. Cuius præcepti salubritas docet, quod qui se apud homines planum fecerit,humilemq; præbuerit hic apud Deum præcellens,et insignis habeatur. Nec enim falsa est illa sententia, quæ apud Euripidem fertur in hunc modum: Quæ hic mala putantur,hæc sunt in cœlo bona.

ZE ZBIORÓW PIOTRA POKORY W POZNANIU

Quomodo Carneades, & iura pro vtilitate sancita, & verā in hominibus iustitiam, nisi forte stultis collegerit, inueniri non posse. Et quod ciuilis iustitia sapientiam quidē habeat, sed iniustā, naturalis autem iusta sit vtiq;, sed sapientiam omnino non habeat. Cap. XVII.

EXposui causam, ur philosophi nec inuenire iustitiam, nec defendere potuerūt. Nunc redeo ad illud, quod intenderā. Carneades ergo, quoniam erant infirma quæ à philosophis asserebantur, sumpsit audaciā refellendi, quia refelli posse intellexit. Eius disputationis summa hæc fuit: Iura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet uaria pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata, ius autem naturale esse nullum. Omnes & homines, & animātes alias ad utilitates suas natura ducente ferri: proinde aut nullam esse iustitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam: quoniam sibi noceret, alienis commodis cōsulens. Et inferebat hæc argumenta omnibus populis, qui florerent Imperio, & Rhomanis quoq; ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti uelint esse, hoc est si aliena restituant, ad casas esse redeundum, & in necessitate, ac in miserijs esse iacendum. Tum omissis communibus, ad propria ueniebat. Bonus uir, inquit, si habeat seruum fugitiuum, uel domum insalubrem, ac pestilentē, quæ uitia solus sciat, & ideo proscribat, ut uendat: utrum ne profitebitur fugitiuum seruum, ac pestilentem domum se uendere, an cælabit emptorem? Si profitebitur emptori fugitiuum esse, bonus quidē, quia nō fallet: sed tamē stultus iudicabitur, quia uel paruo uendet uel omnino non uendet. Si cælauerit, erit quidem sapiens, quia rei consulet: sed idem malus, quia fallet. Rursus, si reperiat aliquem, qui aurū

qui aurichalcum se putet uendere, cũ sit illud aurum: aut plumbum, cum sit argentum: tacebit ne, ut id paruo emat, an id indicabit, ut magno? Stultũ plane uidetur emere malle magno. Vnde intelligi uolebat, & eum, qui sit iustus ac bonus, stultum esse: & eum, qui sapiens, malum. Et tamẽ sine pernicie fieri posse, ut sint homines paupertate contenti. Transibat ergo ad maiora, in quibus nemo potest sine periculo uitæ iustus esse. Dicebat enim: Nempe iustitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior uiribus tabulam ceperit: nonne illũ à tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaq; nixus euadat? Cum maxime sit nullus medio mari testis, si sapiens est, faciet. Ipsi enim perundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quàm manus inferri alteri, iam uero iustus est, sed stultus: qui uitæ suæ non parcat, dum parcit alienæ. Item si acie suorũ fusa hostes insequi cœperint, & iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, ei ne parcet, ut ipse occidatur, an deijciet ex equo, ut ipse posit hostem effugere? Quod si fecerit, sapiens, sed idem malus. Si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est. Ita ergo iustitiam cum in duas partes diuisisset, alteram ciuilem esse dicens, alteram naturalem, utranq; subuertit: quod illa ciuilis, sapiẽtia sit quidem, sed iustitia non sit. Naturalis autem illa iustitia sit quidem, sed non sit sapientia. Arguta hæc plane & uenenata sunt, & quæ M. Tullius non potuerit refellere. Nam cum facit Lælium Furio respondentem, proq; iustitia dicentem, irrefutata hæc tanquàm foucam est prætergressus: ut uideatur idem Lælius non naturalem, quæ in stultitiæ crimen uenerat, sed illam ciuilem defendisse iustitiam, quam Furius sapientiam quidem esse concesserat, sed iniustam.

Contra Carneadē, quod nec stultus potest esse iustus, nec sapiens iniustus, & ꝙ innocētibus, & iustis deus semper optime cōsulit, & necessaria prouidet: quæ patet ex definitione stultitiæ, & sapiētię: & quę sit cogitatio hominis, & Dei. Ca. XVIII.

QVod ad præsentem disputationē pertinebat, ostēdi, quomodo stultitia similitudinē stultitiæ gerat, ut appareat non sine causa decipi eos, qui putant nostræ religionis homines stultos esse: qui talia uideantur facere, qualia ille proposuit. Nunc magis a me exigi sentio, ut ostendam quare iustitiam deus stultitiæ specie conuolutam ex oculis hominum uoluerit auferre, si prius Furio respondero: quia parum plene respondit Lælius, qui profecto licet sapiens fuerit (ut uocabatur) patrocinari tamen ueræ iustitiæ nullo modo poterat: quia caput ipsum, fontemq; iustitiæ non tenebat. Nobis autē facilior est ipsa defensio, quibus cœlesti beneficio familiaris est, ac penitus nota iustitia, quicq; illā nō nomine, sed re nouimus. Nam Plato, & Aristoteles honesta quidē uoluntate iustitiā defendere cupierūt, effecissentq; aliquid, si conatus eorū bonus, si eloquentiā, si uirtutem ingenij diuinarum quoq; rerū doctrina iuuißet. Itaq; opus illorū inane atq; inutile iacuit, nec cuiq; hominum persuadere potuerunt, ut eorum præscriptio uiueret: quia fundamētum a cœlo disciplina illa non habuit. Nostrum opus certius sit necesse est, quod Deus docuit. Illi enim depingebant uerbis, & imaginabantur iustitiā quæ in conspectu nō erat: nec præsentibus exemplis confirmare poterant, quæ asserebāt. Responderi enim posset ab audientibus non posse ita uiui, sicut illi sua disputatione præscripserunt: adeó, ut nulli adhuc extiterint, qui id genus uitæ sequerentur.

Nos autem

Nos autem non uerbis modo, sed etiam exemplis ex uero petitis uera esse, quæ à nobis dicuntur, ostendamus. Sensit igitur Carneades, quæ sit natura iustitiæ, nisi quod parum alte prospexit, stultitiam non esse, quanq̃ intelligere mihi uidear, qua mente id fecerit. Non enim uere existimauit cum stultum esse, quia iustus est: sed cum sciret non esse, & rationem tamen, cur ita uideretur non comprehenderet, uoluit ostendere, latere in abdito ueritatẽ, ut decretum disciplinæ suæ tueretur: cuius summa sententia est, nihil percipi posse. Videamus ergo utrum ne iustitia fœdus aliquod habere cũ stultitia possit. Iustus, inquit, si aut equũ saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animã suam liberet, stultus est. Primum omniũ nego ullo modo fieri posse, ut homini qui quidem uere iustus sit, ciusmodi casus ueniat: quia iustus, neq; cuiquam nato inimicus, nec quicq̃ omnino appetit alienũ. Cur enim nauiget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit suæ? Cur autem belligeret, aut se alienis furoribus misceat, in cuius animo pax cũ hominibus perpetua uersetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui neq; lucrum sciat appetere, cui sufficit uictus, et non modo ipse cædem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas? Sed omitto ista, quoniam fieri potest, ut uel inuitus ad hæc subeunda cogatur. Adeo ne ergo iustitiam ô Furi, uel potius ô Carneade, cuius est illa omnis ratio, tam inanẽ, tam superuacuam, tamq̃ contemptã Deo putas, ut nihil possit, nihilq; habeat in se, quod ad custodiam sui ualeat? Sed uidelicet, qui sacramentum hominis ignorant, ideoq; ad hanc uitam temporalem referunt omnia, quanta sit uis iustitiæ scire non possunt. Nam & cũ de uirtute disputãt quamuis intelligant erumnis, ac miserijs esse pleniſſimam, tamen expetendam esse aiunt sua causa. Eius enim præmia, quæ sunt æterna, & immortalia, nullo modo uident. Sic rebus omnibus ad hanc præsentem uitam relatis, uirtutem plane ad stultitiam

redigunt: Siquidē tantos huius uitæ labores frustra, & inaniter suscipit. Sed hæc alio loco plenius. Interim de iustitia (ut cœpimus) cuius tanta uis est, ut cum oculos in cœlum sustulerit, à Deo mercatur omnia. Recte igitur Flaccus tantam esse dixit innocentiæ uim, ut ad tutelam sui non egeat nec armis, nec uiribus quacunq; iter fecerit.

Integer uitæ, scelerisq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec uenenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra.
Siue per Syrteis iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, uel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Non potest ergo fieri, quin hominem iustum inter discrimina tempestatum atq; bellorum, cœlestis tutela custodiat, ac nō etiā si cū paricidis, & nocentibus nauiget, aut malis quoq; parcatur ut una iusta, et innocens anima liberetur, aut certe pereuntibus cæteris sola seruetur. Sed concedamus posse fieri, quod proponit philosophus: quid ergo iustus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? non inuitus confiteor, morietur potius, q̄ occidet: nec ideo tamen iustitia, quod est singulare hominis bonū, stultitiæ nomen accipiet. Quid enim melius, quid charius homini esse debet, quàm innocētia? quæ utiq; tanto perfectior sit necesse est, quanto illam produxeris ad extremum, moriq; malueris, ne quid de innocentiæ ratione minuatur. Stultitia est, inquit, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ. Num etiam pro amicitia perire stultum iudicabitur? Quid ergo familiares illi pythagoræ laudātur à nobis, quorū alter se Tyranno uadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum iam fponsor eius ducceretur, præsentiam sui fecit, eumq; interuētu suo liberauit:

liberauit: quorum uirtus in tanta gloria non haberetur, cũ alter pro amico, alter etiam pro fide mori uoluit, si stulti putarentur. Deniq; ob hanc ipsam uirtutem tyrannus his gratiam retulit, utrunq; seruando, & hominis crudelissimi natura mutata est. Quinctiam deprecatus esse dicitur, ut se tertium in amicitiam reciperent, non utiq; tanq̃ stultos, sed tanq̃ bonos, & sapientes uiros. Itaq; non uideo, quare cum pro amicitia, & fide mori summa gloria computetur, non etiam pro innocentia perire sit homini gloriosum. Ergo stultissimi sunt, qui nobis crimini dant mori uelle pro Deo: cum ipsi eum, qui pro homine uoluit mori, in cœlum summis laudibus tollant. Deniq; ut concludam disputationem, non posse eundem stultum esse, ac iustum, & eundem sapientem, & iniustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit bonum, ac iustum nescit, & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captiuus à uitijs, nec resistere ullo modo potest: quia caret uirtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet: quod aliter facere non potest, q̃ si habeat recti, prauiq; notitiam. Rectum autem discernere à prauo quis potest, nisi sapiẽs? Ita fit, ut nunq̃ possit iustus esse, qui stultus est: neq; sapiens, qui fuerit iniustus. Quod si est uerissimum, manifestum est eum, qui aut naufragò tabulam, aut equum saucio non ademerit, stultum non esse: quia hoc facere peccatum est, à quo se sapiens abstinet. Videri tamen & ipse profiteor. per hominum errorem ignorantium auiusq; rei proprietatem. Itaq; omnis hæc quæstio non tam argumentis, q̃ definitione dissoluitur. Stultitia igitur est in factis. Dictisq; per ignorantiam recti, ac boni erratio. Ergo stultus nõ est, qui ne sibi quidem parcit, dummodo alteri non noceat, quod est malum. Quod quidem nobis & ratio, & ueritas ipsa præscribit. In omnibus enim uidemus animalibus, quia sapientia carent, conciliatricem sui esse naturam. Nocent enim alijs, ut sibi prosint: nesciunt enim, quia malum est nocere. Homo uero, qui

scientiam

scientiam boni ac mali habet, se abstinet à nocẽdo, & cũ incommodo suo: quod animal irrationale facere nõ potest: et ideo inter summas hominũ uirtutes innocentia numeratur. Quibus rebus apparet sapientißimũ esse, qui maluit perire, ne noceat, ut id officium, quo à mutis discernitur, seruet. Nã qui uendentis errorem nõ redarguit, ut aurũ paruo emat, aut qui nõ profitetur seruum fugitiuũ, uel pestilentẽ se domũ uendere, lucro, & commodo suo consulens, nõ est ille sapiens, ut Carneades uideri uolebat, sed callidus, & astutus. Calliditas et astutia in mutis quoq; animalibus sunt: uel cũ insidiantur alijs, & dolo capiũt, ut deuorent: uel cũ insidias aliorũ uario genere deludunt. Sapientia uero in homine solũ cadit. Sapientia enim est intelligentia, uel ad bonũ, rectumq; faciendum, uel abstinentia dictorum, factorumq; improborum. Lucro autem nunq; sapiens studet, quia bona hæc terrena contemnit: nec quenq; falli patitur, quia boni uiri officiũ est errores hominũ corrigere, eosq; in uiam reducere. Siquidem socialis hominis est, ac benefica natura, qua sola cognationẽ cũ deo habet.

Quod ignoratio immortalitatis, & dei veri prędictorũ errorũ causa est, & mortẽ meretur æternam. Et quod homo nõ sit hominis genitor, sed minister generationis. Et quare deus verã sapientiã voluit sub specie stultitiæ occultari. Cap. XIX.

Sed nimirum hæc causa efficit, ut stultus esse uideatur, qui negare, aut mori malit, q̃ noceat uel eripiat aliquid alteri: quod hominem morte deleri putant. Ex eaq; persuasione omnes tum uulgi, tum etiam philosophorũ nascuntur errores. Si enim post mortem nihil sumus, profecto stultißimi est hominis, non huic uitæ consulere, ut sit q̃ diutina, & cõmodis omnibus plena.

Quod

Quod qui faciet, à iustitiæ regula discedat necesse est. Si autem supereſt homini uita melior, & longior: quod et philosophorũ magnorum argumentis, & uatum responsis, & prophetarum diuinis uocibus discimus, hanc præsentem cum suis bonis contemnere sapientis est, cuius omnis iactura immortalitate pensatur. Apud Ciceronem idem ipse iustitiæ defensor Lælius: Vult (inquit) plane uirtus honorem, nec est uirtutis ulla alia merces. Est plane & quidem uirtute dignissima, quam tu Læli nequaq̃ poteras suspicari. Nihil enim diuinarum noueras literarum, quã tamen illa (inquit) accipit, facile exigit, non accrbe. Erras uehementer, si putas ab homine præmium solui posse uirtuti. Cum ipse alio loco ueriſſime disseras, huic uero quas diuitias obijães? quæ imperia? quæ regna? qui ista putat humana, sua bona diuina iudicat. Quis ergo te sapientem Læli putet, cũ ipse tibi loquare contraria? Et paulo post adimis uirtuti, quæ dedisti. Sed uidelicet ignorantia ueri facit incertam, labantemq; sententiam. Deinde quod adiungis: Sed si aut ingrati uniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes, suis uirtutem præmijs spoliant. O quàm fragilem, quàm inanem uirtutem induxisti, si spoliari potest suo præmio. Quæ si bona sua diuina iudicas (ut aiebas) qui possunt existere tam ingrati, tam inuidi, tam potentes, qui uirtutem spoliare ualeant in bonis, quæ fuerunt in eam collata diuinitus? Nec illa se (inquit) multis solatijs oblectat, maximeq; suo decore seipsam sustentat. Quibus solatijs, quo decore, cum in crimen sæpe ueniat, atq; in pœnam decor ille uertatur? Quid enim si (ut Furius dicebat) rapiatur, uexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, & effodiantur ei oculi, damnetur, uinciatur, uratur, miseris etiam modis necetur: perdet ne præmium suum uirtus? An potius peribit ipsa? Minime. Sed & mercedem suam Deo iudice accipiet, & uiuet, & semper uigebit. Quæ si tollas, nihil potest in uita hominum tam

inutile,

inutile,tam stultum uideri esse,q̃ uirtus:cuius naturalis bonitas, & honestas docere nos potest, animam non esse mortalem, diuinumq; illi à Deo præmium constitutum. Sed idcirco uirtutem ipsam Deus sub persona stultitiæ uoluit esse cælatam, ut mysterium ueritatis,ac religionis suæ esset arcanum:ut has religiones sapientiamq; terrenam extollentem se altius,sibiq; multum placentem,uanitatis,erroriscq; damnaret: ut proposita deniq; difficultate, per angustissimos tramites ad immortalitatis præmium sublime perduceret. Docui(ut opinor)cur populus noster apud stultos stultus habeatur.Nam cruciari,atq; interfici malle,quàm thura tribus digitis comprehensa in focum iactare, tam ineptũ uidetur,quàm in periculo uitæ alterius animam magis curare q̃ suam. Nesciunt enim quantum sit nefas adorare alium præterq̃ Deum:qui cõdidit cœlum,ac terram,qui humanũ genus finxit, inspirauit,luce donauit.Quod si seruorum nequissimus habetur qui dominum suũ fuga deserit,isq; uerberibus,uinculis,ergastulo & cruce,& omni malo dignissimus iudicatur:et si filius eodem modo perditus,atq; impius existimatur,qui patrem suum derelinquerit,ne illi obsequatur:ob eamq; causam dignus putatur,quod sit exhæres, & cuius nomen de familia in perpetuum deleatur: quanto magis qui Deum deserit,in quem duo uocabula,domini & patris æque ueneranda conueniunt? Nam ille, qui seruum precio comparat,quid in eum beneficij confert,præterquàm alimenta,quæ illi utilitatis suæ gratia subministrat? Et qui filium generat,non habet potestatem ut concipiatur, ut nascatur, & uiuat.Vnde apparet non esse illum patrem,sed tantummodo generandi ministrum. Quibus ergo supplicijs dignus est desertor eius,qui dominus uerus, & pater est,nisi quæ Deus ipse constituit, qui spiritibus iniustis æternum parauit ignem, quod ipse per uates suos impijs,ac rebellibus comminatur.

De insania

De insania eorum, qui deos colunt, & non audent ratione contendere cum fidelibus: & quare sacramẽtorum suorum silentium indicant. Et quod religio per patientiã defendẽda est, & ratione potius quàm sæuitia, ferro, vel igne. Et quantũ & in quibus differunt religionis veræ cultus, & falsæ. Cap. XX.

DIscant igitur & suarum, & alienarum interfectores animarum, quàm inexpiabile facinus admittant. Primũ quod seipsos iugulant perditissimis dæmonibus seruiendo, quos Deus in æterna supplicia damnauit. Deinde, quod nec ab alijs Deum coli patiuntur, sed auertere homines ad mortifera sacra contendunt: nituntur q; summa diligentia, ne qua sit anima incolumis in terra, quæ saluo statu suo spectet in cœlum. Quid aliud dicam, q̃ miseros, qui prædonum suorum instigationibus parent, quos deos esse opinantur: quorum nec q; conditionem, neq; originem, neq; nomina, neq; rationem sciunt? Sed inhærentes persuasioni uulgari libenter errant, & stultitiæ suæ fauent. A quibus si persuasionis eius rationem requiras, nullam possint reddere: sed ad maiorum iudicia confugiunt, quod illi sapientes fuerint, illi probauerint, illi sciuerint, quid esset optimum: sec̃q; ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic impliciti rerum ignorantia, nec se, nec deos suos norunt. Atque utinam soli errare, soli desipere uellent. Alios etiam in consortiũ mali sui rapiunt, quasi habituri solatium de perditione multorũ. Sed hæc ipsa ignorantia efficit, ut in persequendis sapientibus tam mali sint. Fingunt se illis consulere, illos ad bonã mentẽ uelle

reuocare.

reuocare. Num igitur hoc sermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? Minime: sed ui, atq; tormentis. O mira, & cæca dementia. In ijs putatur mala mens esse, qui fidē seruare conātur, in carnificibus autē bona? In ijs ne mala mens est, qui cōtra ius humanitatis, cōtra fas omne lacerantur? An potius in ijs, qui ea faciūt in corporibus innocentū, quæ nec sæuissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi Barbari aliquando fecerunt? Adeò ne ctiā sibi mentiuntur, ut uicissim boni, ac mali nomina transferāt, & immutēt? Quid ergo non diē noctē uocant, solem tenebras? Alioquin codē impudētia est, bonis malorū nomē imponere, sapientibus stultorū, iustis impiorū: quinimo, si qua illis fiducia est, uel in philosophia, uel in eloquētia, armēt se, ac refulgant hæc nostra. Si possunt, congrediantur cōminus, & singula quæq; discutiant. Decet eos suscipere defensionē deorum suorū, ne si nostra inualuerint (ut quotidie inualescunt) cum delubris suis, ac ludibrijs deserantur. Et quoniā ui nihil possunt (augetur enim religio dei quanto magis premitur) ratione magis, & hortamentis agant. Procedant in mediū pontifices, seu minores, seu maximi flamines, augures, item reges, sacrificuli, quiq; sunt sacerdotes, & antistites religionū. Conuocēt nos ad concionē: cohortentur nos ad suscipiēdos cultus deorū: persuadeant multos esse, quorū numine, ac prouidētia regantur omnia: ostendāt origines & initia sacrorū, ac deorum, quomodo sint mortalibus tradita: qui fons, quæ ratio sit, explicent, proferant: quæ merces in cultu, quæ pœna in cōtemptu maneat: quare ab hominibus se coli uelint, quid illis si beati sunt, humana pietas cōferat. Quæ omnia nō assecuratione propria (nec enim ualet quicq; mortalis hominis authoritas) sed diuinis aliquibus testimonijs cōfirment, sicuti nos facimus. Nō est opus ui, & iniuria: quia religio cogi nō potest. Verbis potius q̄ uerberibus res agenda est, ut sit uoluntas: distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorum uera est,

afferatur:

afferatur: parati sumus audire, si doceant: tacētibus certe nihil credimus, sicut ne sæuientibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem totius rei exponant. Nos enim non illicimus (ut ipsi obiectant) sed docemus, probamus, ostendimus, Itaq; nemo à nobis retinetur inuitus: inutilis est enim deo, qui fide ac deuotione caret. Et tamen nemo discedit ipsa ueritate retinēte. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia ueritatis est, loquantur, discant: audeant inquam disputare nobiscum aliquid eiusmodi: iam profecto ab aniculis, quas contemnūt, & a pueris nostratibus error illorū, ac stultitia irridebitur. Cū enim sint peritissimi, deorumq; progeniem, & res gestas, & imperia, & interitus, & sepulchra de libris nouerint, ipsosq; ritus, quibus sunt initiati, ex rebus gestis hominū, uel ex casibus, uel etiam ex moribus natos sciant: incredibilis demētia est deos putare, quos fuisse mortales negare nō audeant, uel si tam impudentes fuerint, ut negent, suæ illos, ac illorum literæ coarguent: ipsa deniq; illos sacrorum initia conuincent. Sciant igitur ex hoc ipso quantum interſit inter ueru et falsum, quādo ipsi, qui sunt eloquētes, persuadere nō possunt: imperiti, ac rudes possunt: quia res ipsa, & ueritas loquitur. Quid ergo sæuiunt, ut stultitiā suā, dū minuere uolunt, augeant? longe diuersa sunt carnificina, & pietas: nec potest aut ueritas cū ui, aut iustitia cū crudelitate coniungi. Sed merito nō audent de rebus quicq̄ docere diuinis, ne a nostris deridcantur, & a suis deserantur. Nam forte uulgus, cui simplex, incorruptumq; iudicium est, si mysteria illa cognoscat in memoria mortuorū constituta, dānabit: aliudq; uerius, quod colat, quæret. Hinc fida silētia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus, quid colat. Cum autem nos in eorū doctrinis uersemur, aut nobis aut nostris nō credunt, qui utrunq; nouimus? aut inuident, quia falsis uera prætulimus? Sed defendenda sunt, inquiunt, publice suscepta sacra, O quàm inhonesta uoluntate miseri errant.

Sentiunt

Sentiunt enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius eamq; summa ui oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed monendo: non sæuitia, sed patientia: nō scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse quidem est bonum in religione uersari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere uelis, iam non defendetur illa, sed polluetur, & uiolabitur. Nihil est enim tam uoluntariū, q̄ religio: in qua si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est ut religionem patientia, uel morte defendas: in qua fides consecrata, & ipsi Deo grata est, & religioni addit authoritatem. Nam si is, qui in hac terrestri militia regi suo fidē seruat in aliquo egregio facinore, si postea uixerit, acceptior fit, et charior: si pericrit, summam consequitur gloriam, quòd pro duce suo mortem occubuerit: quanto magis imperatori omnium Deo fides seruanda est, qui non tantum uiuentibus, sed & mortuis præmiū potest uirtutis exoluere? Igitur Dei cultus, quoniam militiæ cœlestis est, deuotionem maximam, fidemq; desyderat. Quomodo enim Deus aut amabit colentem, si ipse non ametur ab eo, aut præstabit precanti quicquid orauerit, cū ad precandum, neq; ex animo, neq; obseruāter accedat? Isti autem, cum ad sacrificandum ueniunt, nihil intimum, nihil dijs suis offerunt, non integritatem mentis, non reuerentiam, nō timorem. Peractis itaq; sacrificijs inanibus, omnem religionem in templo, & cum templo, sicut inuenerant, relinquunt: nihil secum ex ea neq; afferunt, neq; referunt. Inde est, quod eiusmodi religiones nec bonos facere possunt, neq; firme ac immutabiles esse. Traducuntur itaq; ab his homines facile: quia nihil ibi aduitam, nihil ad sapientiam, nihil ad fidem discitur. Quæ est enim superstitio illorum deorum? quæ uis? quæ disciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ substantia? quo tendit? aut quid

aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter seruari, fortiterq; defendi? In qua nihil aliud uideo, quàm ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra uero religio eo firma est, & solida, & immutabilis: quia iustitia docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud, quàm sanguis pecudum, & fumus, & inepta libatio. Hic bona mens, hic purum pectus, innocens uita. Illuc ueniunt sine delectu adulteræ, impudicæ, lenæ, procaces, & obscœnæ meretrices: ueniunt gladiatores, latrones, fures, uenefici: & precantur nihil aliud, quàm ut scelera impune committant. Quid enim latro sacrificans, aut gladiator roget, nisi ut occidat? Quid uenenarius, nisi ut fallat? Quid meretrix, nisi ut plurimum peccet? Quid adultera, nisi ut mortẽ uiri optet, aut ut sua impudicitia cæletur? Quid lena, nisi ut multos bonis exuat? Quid fur, nisi ut plura compilet? Hic uero etiam leui, communiq; peccato locus nullus est. Et si quis ad sacrificium nõ integra conscientia uenerit, audit quæ illi deus communetur: ille qui latebras cordis uidet, qui peccatis semper infestus est, & exigit iustitiam, qui fidem poscit. Quis huic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infelices, nec ex sceleribus suis intelligunt, quàm malum sit, quod colunt: quandoquidem flagitijs omnibus inquinati ueniunt ad precandum: & se pie sacrificare opinantur, si cutem lauerint, tanquam libidinem intra pectus inclusam ulli amnes, aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur? Quod qui fecerit, quãlibet inquinatũ, ac sordidũ corpus gerat, satis purus est.

Quod hostes suos adorat stulta gentilitas: quorũ cultus nõ modo Christiani, sed & philosophi, & domestici cultores deorum destruunt. Cap. XXI.

Isti autem, quia nesciunt, quid, uel quomodo sit colendũ, cæci, & imprudẽtes in contrariũ cadunt, adorãt itaq; hostes suos latrones, & interfectores suos uictimis placant. Et animas suas cũ thure ipso cremandas aris detestabilibus imponũt. Irascũtur etiã miseri, quod nõ similes alij pereant incredibili mentiũ cæcitate. Quid enim uideant, qui solem non uident? quasi uero si dij essent, indigerent hominũm auxilio aduersus cõtemptores suos. Quid ergo nobis irascuntur, si illi nihil possunt, nisi quod ipsi deos suos destruunt? de quorum potestate diffidunt magis irreligiosi, q̃ qui omnino non colunt. Cicero in suis legibus, cum cæst ad sacrificia præciperet accedere: Pietatẽ, inquit, adhibeto, opes amoueto: qui secus faxit, deus ipse uindex erit. Recte hoc quidẽ. Neq; enim fas est desperare de Deo, quẽ ideo colas, quia potentẽ putes. Nam quomodo uindicare colentis iniuriam potest, qui suã nõ potest? Libet igitur ex his quærere, an potissimũ præstare se putent cogendo inuitos ad sacrificium. Iis ne quos cogunt? at non est beneficium, quod ingeritur recusanti. Sed consulendum est etiam nolentibus, quando quod bonum sit, nesaunt. Cur ergo tam crudeliter uexant, debilitant, cruciant, si saluos esse uolunt? Aut unde pietas tam impia, ut eos miseris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus uelint esse consultum? An uero dijs præstant? at non est sacrificium, quod exprimitur ab inuito: nisi enim sponte, atq; ex animo fiat, execratio est: cum homines proscriptione, iniurijs, carcere, tormentis adacti faciunt. Sed dij sunt isti, qui sic coluntur, uel propter hoc solum colendi nõ sunt, quod sic coli uolunt, digni scilicet detestatione hominum, quibus cum lachrymis, cum gemitu, cũ sanguine de membris omnibus fluente libatur. At nos contrà, non expetimus, ut deum nostrum, qui est omnium creator, uelit, nolit, colat aliquis inuitus: nec si non coluerit, irascimur. Cõfidimus enim maiestati eius, qui tam contemptum sui possit ulcisci, q̃ seruorum suorum labores, & iniurias.

Et ideo

Et ideo cũ tam nefanda perpetimur, ne uerbo quidẽ reluctamur. Sed deo remittimus ultionem: non ut ij faciunt, qui defensores sẽ esse deorum suorum uideri uolunt, & sæuiunt efferate aduersus non colentes. Ex quo intelligi datur, q̃ non sit bonũ deos colere: quoniam bono potius adducẽdi homines ad bonum fuerant, nõ malo. Sed quia illud malum est, etiam officium eius bono caret. At enim puniendi sunt, qui destruunt religiones. Num peius nos destruimus, quàm natio Aegyptiorum, qui turpißimas bestiarũ, ac pecudum figuras colunt: quædam etiam pudenda dictu tanq̃ deos adorãt? Num peius quàm ijdem ipsi, qui, cum deos se colere dicant, tamen eos publice, turpiterq̃ derident, de quibus etiam per mimos agi, cum risu, & uoluptate patiuntur? Qualis hæc religio, aut quanta maiestas putãda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris? Et qui hæc fecerint, non pœnas uiolati numinis pendunt, sed honorati etiã, laudatiq; discedũt. Num peius nos destruimus, quàm quidam philosophi, qui omnino nullos deos esse aiunt, sed omnia sua sponte esse nata, omnia fortuitu fieri, quæ geruntur? Num peius, quàm Epicurei, qui esse quidem deos, sed curare quicquam negant, neq; irasci eos, neq; gratia commoueri? Quibus dictis utiq; persuadent, colendos omnino non esse: siquidem nec colentes respiciunt, neq; non colentibus irascuntur. Præterea cum contra metus disserunt, nihil aliud efficere conantur, quàm ut nemo deos timeat. Et hæc tamen ab hominibus & audiuntur libenter, & disseruntur impune.

Quare maligni spiritus instigẽt cultores suos in persecutionem fidelium: & quare vera religio videatur inanis. Cap. XXII.

NON ergo ideo aduersus nos insaniunt, quia dij non coluntur a nobis (à multis enim non coluntur) sed quia ueritas penes nos est; quæ (ut est uerißime dictum) odium parit.

Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos, qui patiuntur? Pergitur enim cæco, & irrationabili furore, quem non uidemus illi nesciunt: non enim ipsi homines persequuntur, qui causam, cur irascantur innocentibus, non habent: sed illi spiritus contaminati, ac perditi, quibus ucritas et nota est, et inuisa, insinuant se mentibus eorum, & instigant nescios in furorem. Hi enim quàm diu pax est in populo dei, iustos fugitant, & pauent. Et cum corpora hominum occupant, animasq; diu uexant, adiurantur ab his, & nomine ueri Dei fugãtur. Quo audito & tremũt, & exclamant, & uri, uerberariq; se testantur: & interrogati qui sint, quando uenerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti, & excruciati uirtute diuini nominis exulant: propter hæc uerbera & minas, sanctos, & iustos uiros semper oderũt. Et quia per se nocere his nihil possunt, publicis eos odijs persequuntur, quos sibi graues sentiunt: exercentq; seuitiam q̃ uiolentissime possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem: aut si id efficere non quiuerint, auferant omnino de terra: ne sint, qui possint eorum nequitiam coërcere. Non me fugit, quid responderi è contrario possit. Cur ergo deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem dominum omnium confiteris, hæc fieri patitur, nec cultores suos aut uindicat aut tuetur? Cur den. q; qui eum nõ colunt, opulenti, & potentes & beati sunt, & honoribus regnoq; potiuntur, eosq; ipsos ditioni suæ, ac potestati subiectos habẽt? Reddenda et huius ratio est rei, ne quid remaneat erroris. Nam in primis hæc causa est, cur existimetur religio Dei uim non habere: quod inducantur homines spe terrenorum, ac præsentium bonorum, quæ ad animi nullo modo pertinent: quibus quia carere iustos uident, & affluere iniustos, & Dei cultum inanem arbitrantur, in quo inesse illa non cernunt, & deorũ ritus existimant ucros, quoniã cultores eorum & diuitijs, & honoribus, & regnis fruantur.

Verum

Verum ij, qui sunt in hac existimatione, non perspiciunt altius uim, rationemq; hominis, quæ tota non in corpore, sed in mente est. Nihil enim uident amplius, q̃ corpus scilicet: quod, quia uidetur oculis, manuq; tractabile est, imbecillum, fragile, mortale est: cuius sunt illa omnia bona, quæ cupiditati ac miraculo sunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt uoluptates: & ideo tam caduca sunt, quàm corpus ipsum. Animus uero, in quo solo est homo, quoniam subiectus oculis non est, nec bona eius inspici possunt, quæ in sola uirtute sunt posita: & ideo tam stabilis, & constans, & perpetuus sit necesse est, sicut ipsa uirtus, in qua est animi bonum.

Quare deus electos suos, tradita impiis potestate, vexari patiatur. Cap. XXIII.

Longum est uniuersas uirtutum species promere, ut de singulis doceam, quàm necesse sit sapientem, ac iustum uirum longe ab illis bonis abhorrere, quibus quia fruuntur iniusti, deorum cultus ueri, & efficaces esse creduntur. Quod ad præsentem pertinet quæstionẽ, satis est, si ex una uirtute id probemus, quod intendimus. Nempe magna, & præcipua uirtus est patientia: quã pariter & uulgi publicæ uoces, & philosophi, et oratores summis laudibus ælebrãt. Quod si negari nõpotest, quin summa sit uirtus, necesse est iustum, & sapientem in potestate esse hominis iniusti, ut capiat patientiam. Patientia est enim malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo iustus, ac sapiens, quia uirtutẽ capit, habet in se patientiã, qua carebit omnino, si nihil patietur aduersi. Cõtrà, qui in rebus prosperis agit, impatiens est, et uirtute maxima caret. Impatientem dico, quia nihil patitur, innocentiã quoq; seruare nõ potest: quæ et ipsa iusto, & sapiẽti uiro propria est uirtus. Sed et nocet

ſæpe,& concupiſcit aliena, & rapit quæ cupierit per iniuriã: quia uirtutis expers,uitio,peccatoq; ſubiectus eſt,& fragilitatis oblitus,animo inſolẽter elato tumet. Inde iniuſti,ac dcũ neſcientes,& diuitijs,et potentia,& honoribus florẽt. Hæc enim cũcta iniuſtitiæ præmia ſunt,quia et perpetua eſſe nõ poſſunt,& per cupiditatẽ,uiolentiamq; quæruntur. Iuſtus uero,ac ſapiens,quia illa omnia humana ſunt (ut eſt à Lælio dictum) ſua bona diuina iudicat: nec alienum quicq; concupiſcit, ne quem contra ius humanitatis lædat omnino: nec ullam potentiam,honorémue deſyderat,ne cui faciat iniuriam. Scit enim cunctos ab eodem deo,et eadem conditione generatos, iure fraternitatis eſſe coniunctos. Sed & ſuo contentus,et paruo: quia fragilitatis ſuæ memor, nõ amplius quærit,q; unde uitam ſuſtentet: & ex eo ipſo quod habuerit,impartitur etiam non habenti,quia pius eſt. Pietas enim ſumma uirtus eſt, & accidit ex eo,quod uoluptates caducas,uitioſasq; contemnit,quarũ cauſa opes appetuntur: quoniam continens eſt,ac libidinum uictor, & nihil tumoris, ac inſolentiæ gerẽs,nõ extollit ſe altius,nec erigit ſuperbũ caput: ſed placidus & cõcors,& planus,& comis eſt,quia conditionẽ ſuam nouit. Cum ergo iniuriam nulli faciat, & nec aliena cupiat, nec ſua quoq;,ſi ui auferãtur,defendat, cum ſciat etiam illatam iniuriã moderate ferre,quia uirtute præditus eſt: neceſſe eſt iuſtum hominem ſubiectum eſſe iniuſto, & contumelijs ab inſipientibus affici ſapientem: ut & ille peccet,quia iniuſtus eſt,& hic inſeruitutem abeat,quia iuſtus eſt. Si quis autem uolet ſcire plenius, cur malos,& iniuſtos deus potẽtes,beatos,& diuites fieri ſinat: pios contrà,humiles,miſeros, inopes eſſe patiatur: ſumat cum Senecæ librum,cui titulus eſt, Quare bonis uiris multa mala accidant,cum ſit prouidentia: in quo multa non plane imperitia ſeculari,ſed ſapiẽter,ac pene diuinitus elocutus eſt: Deus (inquit) homines pro liberis habet: ſed corruptos,et uitioſos luxurioſe,ac

delicate

delicate patitur uiuere: quia nõ putat emendatione sua dignos. Bonos autem, quos diligit, castigat sæpius: et assiduis laboribus ad usum uirtutis exercet: nec eos caducis, ac mortalibus bonis corrumpi, ac deprauari sinit. Vnde nemini debet mirum uideri, si pro nostris sæpe delictis castigamur à Deo. Imo uero, cum uexamur, ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo patri: quod corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis, ac uerberibus emẽdat. Ex quo intelligimus nos esse Deo curæ: quoniam, cum peccamus, irascitur. Nam cum posset populo suo & opes, & regna largiri, sicut dederat ante Iudæis, quorum nos successores, ac posteri sumus, idcirco enim uoluit sub aliena ditione, atq; imperio degere: ne rerum prosperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur, ac dei præcepta contemneret: sicut illi maiores nostri, qui sæpe terrenis ac fragilibus ijs bonis eneruati, aberrauerunt à disciplina legis, uinculaq; ruperunt. Prouidit ergo quatenus cultoribus suis præstaret quietem, si mandata seruassent, & tamen eos emendaret, si præceptis nõ obtẽperassent. Itaq; ne tam corrũperentur otio, q̃ patres eorũ licentia, premi eos ab ijs uoluit, in quorum manibus collocauit: ut nõ labantes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur, ac tentet. Quomodo enim potest imperator militũ suorum probare uirtutem, nisi habuerit hostẽ? Et illi tamẽ aduersarius exurgit inuito: quia mortalis est, et uinci potest. Deo autẽ quia repugnari nõ potest, ipse aduersarios nomini suo exãtat: non qui contra ipsum deũ pugnent. sed contra milites eius, ut deuotionem, ac fidem suorum uel probet, uel corroboret, donec pressuræ uerberibus defluentem corrigat disciplinam. Est & alia causa, cur aduersus nos persecutiones fieri sinat, ut Dei populus augeatur. Nec est difficile monstrare cur, aut quomodo illud fiat. Primũ fugantur à deorũ cultoribus plurimi odio crudelitatis. Qui enim talia sacrificia nõ horreãt?

Deinde placet quibusdam uirtus, ac fides ipsa. Nonnulli suspicantur deorum cultũ non sine causa malum putari à tam multis hominibus, ut emori malint, quàm id facere, quod alij faciunt, ut uiuant. Aliqui cupiunt scire, quidnam sit illud bonum, quod ad mortẽ usq; defenditur: quod omnibus, quæ in hac uita iucunda, & chara sunt præfertur: à quo nec bonorum, nec lucis amissio, nec uiscerum cruciamenta deterrent. Valent hæc plurimum: sed ille maximæ causæ nostrorum numerum semper auxerũt. Audit circunstans populus inter ipsa tormenta dicentes, nolle sacrificare lapidibus humana manu factis, sed Deo uiuo, qui sit in cœlo. Multi hoc uerum esse intelligunt, & in pectus admittunt. Deinde ut fieri solet in rebus incertis, dũ inter se inuicẽ quærũt, quæ sit huius perseuerantiæ causa, multa quæ ad religionem pertinent, diuulgata, ac per rumorem uicißim aucupata discuntur: quæ quia bona sunt, placeant necesse est. Præterea ultio consecuta, sicut semper accidit, ad credendum uehementer impellit. Nec hæc quidem leuis causa est, quod immundi dæmonũ spiritus accepta licentia, multorum se corporibus immergunt: quibus postea reiectis, omnes qui resanati fuerint, adhæreant religioni, cuius potentiam senserunt. Hæ tot causæ in unũ collatæ, magnã deo multitudinem mirabiliter acquirunt.

Quod bonorum tortores torqueb[illegible]tur: & malas bestias de terra auferet deus. Cap. XXIIII.

Quicquid ergo aduersum nos mali principes moliuntur, fieri ipse permittit. Et tamen iniustissimi persecutores, quibus dei nomen contumeliæ, ac ludibrio fuit, non se putent impune laturos: quia indignationis aduersus nos eius quasi ministri fuerunt. Punientur enim iudicio dei, qui acepta potestate supra humanum modũ fuerint abusi, & insultauerint etiam deo

etiam deo superbius: eiusq; nomen æternum uestigijs suis subiecerint impie, nefarieq; calcandam. Propterea uindicaturum se in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum bestias malas de terra. Sed idem quamuis populi sui uexationes, & hic in præsenti soleat uindicare, tamen iubet nos expectare patienter illũ cœlestis iudicij diem, quo ipse pro suis quenq; meritis aut honoret, aut puniat. Quapropter non sperent sacrilegæ animæ, contemptos, & inultos fore, quos sic obterunt. Veniet rabiosis, & uoracibus lupis merces sua: qui iustas, et simplices animas nullis facinoribus admissis excruciauerunt. Nos tantummodo laboremus, ut ab hominibus nihil aliud in nobis, nisi sola iustitia puniatur. Demus operam totis uiribus, ut mereamur à deo simul & ultionem passionis, & præmium.

QVINTI LIBRI FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM Institutionum aduersus genteis Liber Sextus, De Vero cultu, ad Constantinum Imperatorem.

Quod innocentia verissimus dei cultus est, quam rem homo corpori deditus nescit. Caput Primum.

Quod



QVod erat officium suscepti muneris, diuino spiritu instruente, ac suffragante ipsa ueritate compleuimus. Cuius asserendæ, atq; illustrandæ causa mihi & scientiã, & fidem ipse dominus noster imposuit: sine quo nec sciri qnicquam potest, nec explicari. Venio nunc ad id, quod est summum operis huius, & maximum: ut doceam quo ritu, quóue sacrificio deum coli oporteat. Id enim est hominis officium, in eoq; solo summa rerum, & omnis beatæ uitæ ratio cõsistit: quandoquidem propterea facti, & inspirati ab eo sumus, nõ ut cœlũ uideremus, & solem (quod Anaxagoras putauit) sed ut artificem solis, & cœli deum pura & integra mente coleremus. Quamuis autem præcedentibus libris, pro ingenij mediocritate defenderem ueritatem, tamen ex ritu quoq; ipso elucere uel maxime potest. Nihil enim sancto, et singularis illa maiestas aliud ab homine desyderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit deo, satis pie, religioseq; litauit. Homines autẽ neglecta iustitia, cũ sint omnibus flagitijs ac sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa, ac aras hostiarũ sanguine cruentauerint: si focos adoleuerint, ac ueteris uini perfusione madefecerint. Quin etiã sacras dapes apparant et exquisitas epulas, quasi aliquid inde libaturi offerũt. Quicquid aspectu rarum, quicquid opere, aut odore preciosum est: & hæc grata esse dijs suis, nõ ex aliqua diuinitatis ratione, quã nesciũt, sed ex suis cupiditatibus indicant: nec intelligunt terrenis operibus deum nõ indigere. Nihil enim sapiunt nisi terram: bonaq; & mala solius corporis sensu, & uoluptate perpendunt. Huius arbitrio ut religionẽ ponderãt, sic totius uitæ suæ acta disponũt. Et quoniam se semel à cœli contemplatione auertunt, sensumq; illũ cœlestẽ corpori mancipauerunt, libidinibus frena permittũt,

tanquàm

tanquàm secum ablaturi uoluptatem: quam momentis omnibus capere festinant: cum animus ministerio corporis, non corpus ministerio animi uti debeat. Iidem maximum bonum iudicant opes: quas si bonis artibus assequi non possunt, malis assequuntur, fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abiurãt. Nihil deniq; moderati, aut pensi habent: dummodo auro coruscent, argẽto, gemmis, uestibus fulgeant, auidissimo uentri opes ingerant, stipati familiarium gregibus per domitũ populũ semper inædant. Sic addicti, & seruientes uoluptatibus uim, uigoremq; mentis extinguunt: & cum uiuere se maxime putant, ad mortem concitatissime properant. Nam, sicut in secundo libro docuimus, cœli ratio in animo, terræ autem in corpore est: qui bona negligunt animi, & corporis appetunt, in tenebris ac morte uersantur, quæ sunt terræ atq; corporis: quia uita et lumen de cœlo est: cuius quoniã expertes sunt corpori seruiendo, longe absunt ab intellectu rerum diuinarum. Eadem miseros ubiq; cæcitas premit: sicut enim qui sit uerus Deus, ita qui sit uerus cultus, ignorant.

Quod Deus nec esurit, nec sitit, nec in tenebris est, vt ei oporteat hostias immolari, aut vina offerri, vel lumina. & quare hæc offerantur dis gentium, quæ fidẽ rectã, & verã innocentiã offerre nesciunt in quibus cõsistit dei cultus, & quod inter omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, præstantissimũ est, homines ad veritatẽ, & iustitiam erudire. Et quare nolit ab elementis incipere. Cap. II.

Mactant

Mactant igitur opimas, & pingues hostias Deo, quasi esurienti, profundunt uina, tanquam sitienti, accendunt lumina, uelut in tenebris agēti. Quod si suspicari, aut percipere animo possent, quæ sunt bona illa cœlestia, quorū magnitudinē terreno adhuc corpore obuoluti, sensu capere nō possumus, iam se cum his officijs in anibus stultissimos esse cognoscant. Vel si cœleste lumen, quod dicimus solem, contemplari uelint, iam sentiant, quod non indigeat lucernis eorum Deus, qui in usum hominis tam candidam lucem dedit: & tamen cum in tam paruo circulo, qui propter longinquitatem nō amplius, quàm humani capitis uidetur habere mensuram, tantum sit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies non queat contueri: & si paulisper intēderis, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ cōsequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud deū, penes quem nulla nox est, esse arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, ut neq; nimio fulgore, neq; calore uehemēti noceret animantibus, tantumq; istarum rerum dedit ei, quantū aut mortalia corpora pati possunt, aut frugū maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui authori, & datori luminis candelarum, ac cerarum lumen offert pro munere? Aliud uero ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed (ut ait poēta) liquidum, atq; clarū mentis scilicet. Propter quod à poētis φῶς nuncupatur: quod exhibere non potest, nisi qui deum agnouerit. Illorū autem dij, quia terreni sunt, egēt luminibus, ne in tenebris sint: quorū cultores, quia cœleste nihil sapiunt, etiam religiones quibus deseruiunt, ad terram reuocant. In ea enim lumine opus est: quia ratio eius, & natura tenebrosa est. Itaq; dijs nō cœlestē sensum, sed humanū potius attribuunt. Ideoq; illis necessaria, & grata credunt esse, quæ nobis, quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitiētibus potu, aut ueste algētibus, aut cū sol decesserit, lumine, ut uidere possimus. Nullis igitur ex rebus tā probari, & intelligi

intelligi potest, deos ipsos, cum aliquãdo uixerint, mortuos esse, quàm ex ipso ritu, qui est totus è terra. Quid enim cœlestis in se boni potest habere pecudũ sanguis effusus, quo aras inquinant? nisi forte deos existimant eo uesci, quod homines aspernantur attingere. Et quisquis hanc saginam præstiterit, quamuis ille grassator, adulter, uenefias, paricida sit, beatus ac felix erit. Hũc diligunt, hunc tuentur, huic omnia, quæ optauerit, præstant. Merito ergo Persius huiusce modi superstitiones suo more deridet:

Quæ tu (inquit) mercede deorum
Emeris auriculas, pulmone, & lactibus unctis?

Sentiebat uidelicet non carne opus esse ad placandum cœlestem maiestatem, sed mente sancta, & iusto animo, et pectore (ut ipse ait) quod naturali sit honestate generosum. Hæc est religio cœlestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ uirtutibus animi, qui oritur è cœlo. Hic uerus cultus est, in quo mens colentis seipsam deo immaculatam uictimam sistit. Id autem ipsum quomodo consequendum, quomodo præstandũ sit, docebit huius libri disputatio. Nihil enim tam præclarũ, hominiq; conueniens potest esse, quàm erudire homines ad iustitiã. Apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit uel unum paruum de officio libellũ, quàm longam orationem pro seditioso homine Cornelio. Quæ sententia non utiq; Catuli, qui fortasse illud nõ dixit, sed Ciceronis est putãda qui scripsit. Credo ut libellos, quos de officijs erat scripturus, commendaret: in quibus ipsis nihil esse testatur in omni philosophia melius, et fructuosius, q̃ præcepta uitæ dare. Quod si hoc illi faciunt, quibus non est ueritas cognita, quanto magis nos facere debemus, qui à Deo eruditi, & illuminati, possumus uera præcipere? Nec tamen sic docebimus, ut quasi prima uirtutis elementa tradamus, quod est infinitum: sed tanquam docendum susceperimus eum, qui apud illos iam perfectus esse uideatur.

Manentibus

Manentibus enim præceptis eorum, quæ solent ad probitatem recte dari, ignota illis superstruemus ad perficiendam, consummandamq; iustitiam, quam non tenent. Ea uero, quæ possunt cũ illis esse communia, prætermittam: ne quid ab ijs uidear mutuari quorum errores coarguere, atq; aperire decreuerim.

De duabus vijs, quarũ altera virtutũ, altera vitiorum est, quæ in litera Pythagorica figurantur: & fidelius tractantur à Christianis, quàm à philosophis: & de duobus ducibus viarum. Cap. III.

Dvæ sunt uiæ, per quas humanam uitam progredi necesse est: scilicet una, quæ in cœlum ferat: altera, quæ ad inferos deprimat: quas & poëtæ in carminibus, & philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem philosophi alteram uirtutum esse uoluerunt, alteram uitiorum: eamq; quæ sit assignata uirtutibus, primo aditu esse arduam, & confragosam: in qua si quis difficultate superata in summum eius euaserit, habere eum de cætero planum iter, lucidum, amœnumq; campum, & omnes laborũ suorũ capere fructus uberes, atq; iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam uitiorum uiam labi, atq; deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoq; tritior. Deinde cum in eam paulo ulterius processerint, amœnitatis eius speciem repentè subduci. Exoriri autem uiam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intersciſam, uel torrẽtibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eò proferuntur, ut appareat in uirtutibus capiendis, labores esse maximos: in perceptis autem maximos fructus, & solidas, atq; incorruptas uoluptates. Vitia uero quibusdam delimentis naturalibus allicere animas hominum,

hominum,& inanium iucunditatum ſpecie captos, ad acerbas amaritudines,miſeriaſq; perducere.Sapiens prorſus diſputatio, ſi uirtutum ipſarum formas,atq; terminos ſcirent.Non enim di dicerant uel quæ ſint,uel quid eas mercedis à deo maneat, quod nos his duobus libris docebimus. Hi uero,quia ignorabant,aut dubitabant, animas hominum immortales eſſe, & uirtutes,& uitia terrenis honoribus,aut pœnis æſtimarũt.Omnis ergo hæc de duabus uijs diſputatio,ad frugalitatem, ac luxuriam ſpectat. Dicunt enim humanæ uitæ curſum Y literæ eſſe ſimilem: quòd unuſquiſq; hominum,cum primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum uenerit,ubi ſe uia findit in ambas,hæreat nutabundus,ac neſciat in quã ſe partẽ potius inclinet.Si ducẽ nactus fuerit,qui dirigat ad meliora titubantem:hoc eſt,ſi aut philoſophiam didicerit,aut eloquentiam,aut aliquid honeſtæ artis,quo euadat ad bonã frugem,quod fieri ſine labore maximo non poteſt,honeſtam,ac copioſam uitam diſputãt peracturum. Si uero doctorem frugalitatis nõ inuenerit, ad ſiniſtram uiam,quæ uirtutis,ac melioris ſpeciem mentiatur incedere,id eſt deſidiæ,luxuriæ,inertiæq; ſe tradere: quæ ſuauia quidem uidentur ad tempus uera bona ignoranti:poſt autem amiſſa omni dignitate,ac re familiari,in omnibus miſerijs, ignominiaq; uicturũ,ad corpus ergo,& ad hanc uitam,quam in terra ducimus,fines earum uiarũ retulerunt poëtæ,fortaſſe melius,qui biuiũ hoc apud inferos eſſe uoluerũt. Sed in eo fallũtur,quod eas uias mortuis propoſuerũt. Vtriq; ergo uere,ſed tamen utriq; non recte: quia oportuit uias ipſas ad uitam,fines earum ad mortẽ referri. Nos igitur melius, & uerius, qui duas iſtas uias cœli & inferorum eſſe dicimus: quia iuſtis immortalitas, iniuſtis pœna æterna propoſita eſt. Quomodo autẽ uiæ iſtæ,uel in cœlũ tollant,uel ad inferna præcipitent,explicabo: & aperiã quæ ſint uirtutes,quas philoſophi neſcierũt:tum etiam quæ ſint præmia earũ,ſimul etiam quæ ſint

uitia,

uitia,quæue eorum supplicia monstrabo. Nam fortasse aliquis expectet,ut separatim de uitijs,ac uirtutibus dicam:cũ de bono, ac malo differentibus nobis etiam quod est contrarium, possit intelligi. Siue enim uirtutes inferas, uitia sua sponte decedẽt: siue uitia eximas,uirtutes ultro subibunt: sic bonorum ac malorum constituta natura est, ut se inuicem semper oppugnent, semper expellãt. Ita fit,ut neq; uitia retrahi sine uirtutibus possint,nec uirtutes inferri sine detractione uitiorum. Has igitur uias longe aliter inducimus,quàm à philosophis induci solent. Primũ quod utriq; propositum esse dicimus ducem utrunq; immortalem. Sed alterum honoratum,qui uirtutibus ac bonis præsit: alterũ damnatum, qui uitijs,ac malis. Illi autem in dexteriore tantum uia ducem ponunt,neq; unum,neq; perpetuum. Siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qui à desidia reuocet homines, & frugi esse doceat. Sed neq; ingredi faciunt in eam uiam, nisi pueros,& adolescentes: uidelicet quod artes discantur in his ætatibus. Nos autem omnis sexus & generis,& ætatis in hoc cœlestẽ iter inducimus: quia deus,qui eius uiæ dux est,immortalitatem nulli homini nato negat. Forma quoq; uiarum ipsarum nõ ita est,ut illi putauerunt. Quid enim opus est Y in rebus contrarijs, atq; diuersis? Sed altera illa melior conuersa est ad solis ortũ,altera illa ad occasum,quoniã qui ueritatem,atq; iustitiã sequitur,is accepto immortalitatis præmio,perenni luce potietur: qui autem ab illo malo duce illectus prætulerit uitia uirtutibus, mendaciũ ueritati,necesse est ad occasum,& tenebras deferatur. Describã igitur utrãq;,et carũ proprietates,habitusq; mõstrabo.

De via virtutis, quæ in Elysios campos deducere dicitur: & vitiorum, quę ad impia tartara ducit: & ducibus vtriusq;. Cap. IIII.

Vna est

VNa est igitur uirtutis, ac bonorũ uia, quæ fert nõ in Elysios campos (ut poëtæ loquuntur) sed ipsam mundi arcẽ. At leua malorum

Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Est enim criminatoris illius, qui prauis religionibus institutis, auertit homines ab itinere cœlesti, et in uiã perditionis inducit. Cuius uiæ species, & figura sic est cõposita in aspectu, ut plana, & patens omni genere florum, atq; fructuum delectabilis esse uideatur. In ea enim posuit deus omnia, quæ pro bonis habentur in terra: opulentiam dico, honorẽ, quietem, uoluptatẽ, illecebrat omnes: sed cum his pariter iniustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam, cæteraq; uitia. Exitus autem huius uitæ talis est: Cum uentum fuerit ad extremum, unde iam regredi nõ licet, cum omni sua pulchritudine tam subito præciditur, ut non ante quis fraudem prospicere possit, quàm præcipitatus, in altitudinẽ profundam cadat. Quisquis enim præsentium bonorum specie captus, & in his consequendis, ac fruendis occupatus, non præuiderit ea, quæ post mortem secutura sunt, seq; à Deo auerterit, is ad inferos deiectus, in æternam damnabitur pœnam. Via ergo illa cœlestis difficilis, & cliuosa proposita est: uel spinis horrentibus aspera, uel saxis extantibus impedita, ut cũ summo labore ac pedum tritu, cumq; magna cadendi solicitudine sit cuiq; gradiendum. In hac posuit iustitiam, temperantiam, patientiam, fidẽ, castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiam, ueritatem, sapientiam, cæteraq; uirtutes: sed simul cũ his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Quisquis enim spem suam porrexerit longius, & meliora maluerit, carebit his terræ bonis, ut expeditus ac leuis difficultatem uiæ superet. Nec enim potest, qui se apparatu regio circundederit, aut diuitijs onerauerit, angustias illas uel ingredi uel tenere. Vnde intelligitur

idcirco malis, & iniustis facilius prouenire, quæ cupiant: quia prona, & decliuis est eorũ uia. Bonis autẽ quæ optent, difficile procedere: quia difficili, & arduo itinere gradiũtur. Iustus ergo quoniã durum, asperumq; iter ingressus est, contemptui, derisui, odio sit necesse est. Omnes enim, quos cupiditas, aut uoluptas præcipites trahit, inuidẽt ei, qui uirtutẽ capere potuit: et inique ferunt id habere aliquẽ, quod ipsi nõ habent. Erit itaq; pauper, humilis, ignobilis, subiectus iniuriæ, & tandẽ omnia, quæ amara sunt, perferens. Et si patientiã iugem ad summum illum gradum finemq; perduxerit, dabitur ei corona uirtutis: & à Deo pro laboribus, quos in uita propter iustitiã pertulit, immortalitate donabitur. Hæ sunt uiæ, quas Deus humanæ uitæ assignauit: in quibus singulis bona ostendit, & mala, sed ordine præposteto, atq; cõuerso. In una enim mõstrauit tẽporalia prius mala, cũ æternis bonis, qui est ordo melior: in altera tẽporalia prius bona, cum æternis malis, qui est ordo deterior: ut quicunq; præsentia mala cũ iustitia delegerit, maiora, et certiora bona cõsequatur, quam fuerũt illa, quæ sprcuit. Quisquis autẽ præsentia bona proposuerit iustitiæ, in maiora, & lõgiora incidet mala, q̃ fuerũt illa, quæ fugit. Hæc enim uita tẽporalis, quia breuis est, idcirco & bona eius, & mala breuia sint necesse est. Illa uero spiritalis, quæ huic terrenæ cõtraria est, quia sempiterna est, idcirco & bona eius, & mala sempiterna sunt. Ita fit, ut bonis breuibus mala æterna, & malis breuibus bona æterna succedant. Itaq; cũ simul proposita sint homini bona, & mala, consydcrare unumquenq; secum decet, quãto satius sit pro perpetuis bonis mala breuia pensare, quàm pro breuibus, & caducis bonis, mala perpetua sustinere. Nam sicut in hoc seculo, cum est propositum cũ hoste certami, prius laborandum est, ut sis postmodum in otio. Esuriendum, sitiendum, æstus, & frigora perferenda, humi quiescendum, uigilandum, periclitandum est, ut saluis pignoribus, & domo, & re familiari,

familiari,& omnibus pacis,ac uictoriæ bonis perfrui possis. Sin autem præsens otium malueris,q̃ laborem, malum tibi maximũ facias necesse est. Præoccupabit enim aduersarius non resistentẽ, uastabuntur agri, diripietur domus,in prædam uxor, ac liberi uenient,& tu ipse interficiere,ac capiere. Quæ omnia ne acidãt, præsens commodũ differendum est,ut maius,longiusq; pariatur. Sic in omni hac uita,quia nobis aduersarium deus reseruauit,ut possemus capere uirtutem, omittenda est præsens uoluptas: ne hostis opprimat,uigilandum, stationes agendæ,militares expeditiones obeundæ,fundendus ad ultimum cruor. Omnia deniq; amara,& grauia patienter ferenda: eo quidem promptius,quo nobis imperator noster deus præmia pro laboribus æterna cõstituit. Et cũ in hac terrena militia tantũ homines laboris exhauriant,ut ea sibi pariant,quæ possunt eodẽ modo perire,quo parta sunt:certe nobis nullus labor est recusandus,quo id acquiratur,quod nullo modo possit amitti. Voluit enim Deus,qui homines ad hanc militiã genuit,expeditos in acie stare,& intẽtis acriter animis ad inuisibilis hostis insidias, uel apertos impetus uigilare:qui nos sicut periti,& exercitati duces solent,uarijs artibus captat,pro cuiusq; natura,& moribus sæuiens. Alijs enim cupiditatẽ insatiabilẽ immittit,ut opibus suis tanq̃ compedibus illigatos à uia ueritatis excutiat. Alios inflammat iræ stimulis, ut ad nocendũ potius intentos,à dei cõtemplatione detorqueat. Alios immoderatis libidinibus immergit, ut uoluptati,et corpori seruientes,ad uirtutem respicere non possint. Alijs uero inspirat inuidiam, ut suis ipsi tormentis occupati, nihil aliud cogitent, nisi eorum,quos oderint,felicitatem. Alios inflammat ambitionibus.Ii sunt,qui ad gerendos magistratus,omnem uitæ suæ operam,curamq; cõuertunt,ut fastos signent, & annis nomen imponant. Quorundã cupiditas tẽdit altius:nõ ut prouincias tẽperali gladio regãt,sed ut infinita,et perpetua potestate dominos

se dia uelint uniuersi generis humani. Quos autem pios uiderit, inanibus implicat religionibus, ut impios faciat. Iis uero, qui sapientiam quærunt, philosophiam in oculos impingit, ut specie lucis excæcet, ne quis comprehendat, aut teneat ueritatem. Sic hominibus obstruxit aditus omnes, & obsepsit omnes uias publicis latas erroribus: quos ut discutere possemus, ipsumq; authorem malorum uincere, illuminauit nos Deus: & armauit uera, cœlestiq; uirtute, de qua non nihil nunc disserendum est.

De falsa definitione virtutis, quam authore Lucilio posuerũt philosophi: & vera differẽtia scientię, & virtutis. Caput. V.

SEd prius q̃ singulas uirtutes exponere incipiã, determinãda est ipsa uirtus: quã philosophi nõ recte definierũt quid esset aut in quibus rebus, quid operis, quid habeat officij. Nomẽ itaq; solũ retinuerunt, uim uero & effectũ, & rationẽ perdiderunt. Quæcunq; autẽ in definitione uirtutis solent dicere, paucis uersibus colligit, & enarrat Lucilius: quos malo equidem ponere, ne dum multorũ sententias refello, sim longior, quàm necesse est:

Virtus Albine est, precium persoluere uerum,
Queis inuersamur, queis uiuimus rebus adesse.
Virtus est homini scire id, quod quæq; habeat res.
Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum.
Quæ bona, quæ mala.

Item quid inutile, turpe, inhonestum:

Virtus quærendæ rei finem scire, modumq;.
Virtus diuitijs precium persoluere posse.
Virtus id dare, quod re ipsa debetur honori.
Hostem esse atq; inimicum hominum, morumq; malorum.
Contra defensorem hominum, morumq; bonorum.

Hos magnificare, his bene uelle, his uiuere amicum.
Commoda præterea patriæ sibi prima putare.
Deinde parentum, tertia iam postremaq; nostra.

Ab ijs definitionibus, quas poëta breuiter comprehendit, M. Tullius traxit officia uiuendi, Panætium Stoicum secutus: eaq; tribus uoluminibus inclusit. Hæc autem quàm falsa sint, mox uidebimus: ut appareat quantum in nos dignatio diuina cõtulerit, quæ nobis aperuit ueritatem. Virtutem esse dixit scire quid sit bonum, & malum, quid turpe, quid honestum, quid utile. Quid minus breuius facere potuit, si tantum bonum, ac malũ diceret: quia nihil potest esse utile, uel honestum, quod non idem bonum sit: Nihil utile, ac turpe, quod nõ idem malum sit. Quod & philosophis uidetur, & idẽ Cicero in tertio supradicti operis libro ostendit. Verum scientia non potest esse uirtus: quia nõ est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus uenit. Quod autem transire ab altero ad alterum potest, uirtus non est, quia uirtus sua cuiq; est. Scientia igitur alicui beneficij est, quia posita est in audiendo. Virtus tota nostra est, quia posita est in uoluntate faciẽdi bona. Sicut ergo in itinere celerando nihil prodest uiam nosse, nisi conatus, ac uires suppeditent ambulandi: ita uero scientia nihil prodest, si uirtus propria deficiat. Nam fere etiam ij, qui peccãt & si non perfecte, tamen quid sit bonum, & malum sentiunt: & quoties aliquid improbe faciunt, peccare sciunt, & ideo cælare nituntur. Sed cum eos boni, & mali natura nõ fallat, cupiditate mala uincũtur, ut peccent: quia deest illis uirtus, id est cupiditas recta, & honesta faciẽdi. Ex hoc igitur apparet, aliud esse scientiam boni, maliq;, aliud uirtutem: quia potest esse scientia sine uirtute, sicut in plurimis philosophorum fuit. In quo quoniam recte ad culpam pertinet, non feciſſe quæ scieris recte, uoluntas prãua, & uitiosus animus, quem excusare ignoratio non potest punietur. Ergo sicut uirtus non est bonũ, ac malũ scire, ita uirtus

est bonum facere, malum non facere. Et tamen scientia sic cum uirtute coniuncta est, ut scientia præcedat uirtutem, uirtus sequatur scientiam: quia nihil prodest cognitio, nisi & actio subsequatur. Horatius ergo paulo melius definiuit:

Virtus est uitium fugere, & sapientia prima.

Sed ineptè, quia eam contrario terminauit: ut si diceret, Bonum est, quod malum non est. Cum enim quid sit uirtus nescio, ne uitium quidem quid sit, scio. Vtrunq; igitur indiget definitione quia natura rei talis est, ut utrunq; aut intelligi, aut non intelligi sit necesse. Verum nos faciamus, quod debuit. Virtus est iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refrenare, id est enim uitium fugere. Nam ferè omnia, quæ fiunt iniuste, atq; improbe, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis huius, quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malæ sopientur, nemo insidiabitur, nemo prosiliet ad nocendum. Item si cupiditas temperetur, nemo terrà, mariq; grassabitur, nemo exercitum ducet, ut rapiat, & uastet aliena. Item si ardor libidinum comprimatur, omnis ætas, & sexus retinebit suam sanctitatem: nemo quicquam pudendum aut patietur, aut faciet. Ergo uniuersa scelera, & flagitia, his commotionibus uirtute sedatis, ex hominum uita, moribusq; tollentur. Quæ sedatio commotionum, & affectuum, hanc habet rationem, ut omnia recta faciamus. Omne igitur uirtutis officium est non peccare, quo profecto fungi non potest, qui deum nescit: quoniam ignoratio eius, à quo bona oriuntur, imprudentem impingat in uitia necesse est. Itaq; ut breuius, & significantius utriusq; rei summa officia determinemus, scientia est Deum noscere, uirtus colere. In illo sapientia, in hoc iustitia continetur.

Quod

Quod philosophi nesciuerũt, quid esset bonũ, aut malũ, quia fontem boni lucidũ nesciebant: nec intellexerũt, quis debeat rerum, & operum finis esse: & quomodo constet Lucilium falso definiuisse virtutis officia. Caput. VI.

DIxi (quod erat primũ) sãentiã boni nõ esse uirtutẽ, deinde quid sit uirtus, & in quo sit: sequitur, ut id quoq; ipsum quid sit bonũ, & malũ nescisse philosophos, breuiter ostendam: quod penè declaratum est libro tertio, cũ de summo bono disputarem. Qui autem, quid esset summũ bonũ nesciuerunt, & in cæteris bonis, malisue, quæ summa non sunt, erraucrint necesse est: quod nõ potest uero iudicio examinare, qui fontẽ ipsum nõtenet unde illa descendunt. Fons autem bonorũ Deus est, malorũ uero ille sãlicet diuini nominis semper inimicus, de quo sæpe diximus. Ab his duobus principijs bona malaq; oriuntur. Quæ ueniunt à Deo, hãc habẽt rationẽ, ut immortalitatẽ parẽt, quod est summũ bonũ. Quæ autem ab illo altero, id habent officiũ, ut cœlestibus auocatum, terrenisq; demersum, ad pœnam interficiant sempiternam, quod est summum malũ. Nõ igitur dubiũ est, quin omnes illi, quid esset bonum & malũ ignoraucrint, qui nec Deum, nec aduersariũ eius scierint. Itaq; finẽ bonorũ ad corpus, & ad hãc breuem uitã retulerũt, quã solui & occidere necesse est. Nõ sunt progressi longius, sed omnia eorũ præcepta, & omnia, quæ inducunt bona, terræ inhærent, & humi iacent: quoniam simul cũ corpore, quod est terra, moriuntur. Pertinent enim non ad uitã homini comparandã, sed ad quærendas, uel augendas opes, honores, gloriam, potentiam, quæ sunt uniuersa mortalia: tam scilicet, q̃ ille, qui ut ea sibi contingerent, laborauit. Hinc est illud:

Virtus quærendæ rei finem scire, modumq;.

Præcipiunt enim quibus modis, & quibus artibus res familiaris quærenda sit: quia uident male quæri solere. Sed huiusmodi uirtus non est proposita sapienti. Nec enim est uirtus opes quærere, quarum neq; inuentio, neq; possessio in nostra potestate est. Itaq; & quæstu, & obtentu faciliores sunt malis, quàm bonis. Non potest ergò uirtus esse in ijs rebus quærendis, in quarum contemptu uis, ac ratio uirtutis apparet: nec ad ea ipsa transsiliet, quæ magno ac excelso animo calcare ac proterere gestit: neq; fas est animam cœlestibus intentam bonis, ut hæc fragilia sibi comparet, ab immortalibus suis operibus auocari. Sed potissimum in ijs rebus comparandis, uirtutis ratio consistit: quas nobis nec homo ullus, nec mors ipsa possit auferre, cum hæc ita se habeant. Illud quod sequitur uerum est:

Virtus diuitijs precium persoluere posse.

Qui uersus idem fere significat, quod primi duo: sed neq; ipse, neq; quisq; philosophorum scire potuit precium ipsum, uel quale uel quod sit. Idem enim poëta, & illi omnes quos secutus est, putauerunt, recte opibus uti, hoc est frugi esse, non instruere conuiuia sumptuose, nec largiri temere, non effundere in res superuacuas aut turpes rem familiarem. Dicet aliquis fortasse: Quid tu negas ne hanc esse uirtutem? non equidem nego: contraria enim uidear probare si negem. Sed uerã nego, quia non sit illa cœlestis, sed tota terrena: quandoquidem nihil efficit, nisi quod remaneat in terra. Quid sit autem recte opibus uti, & qui sit ex diuitijs fructus petendus, declarabo apertius, cũ de pietatis officio loqui cœpero. Iam cætera, quæ sequuntur, nullo modo uera sunt. Nam improbis inimicitias indicere, aut bonorum defensionem suscipere, potest cum malis esse commune. Quidam enim probitate ficta, uiam sibi ad potentiam muniunt: faciũtq; multa, quæ boni solent: eò quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt. Vtinã

tam facile

tam facile esset præstare, quàm facile est simulare bonitatem. Sed ij, cum esse cœperint proposiți, ac uoti sui compotes, & summũ potentiæ gradum cœperint, cum uerum simulatione depositâ, mores suos detegũt, rapiũt omnia, & uexant: cosq; ipsos bonos quorum causam susceperant, insequuntur: & gradus per quos ascenderunt, amputant, ne quis illos contra ipsos posit imitari. Veruntamen putemus hoc officium non nisi boni esse, ut bonos defendant. At id suscipere facile est, implere difficile: quia cum te certamini, congressionicq; commiseris, in arbitrio Dei, non tuo, victoria posita est: & plerunq; improbi, & numero, & consti ratione sunt potentiores, q̃ boni, ut ad eos superandos non tam uirtus, q̃ felicitas necessaria sit. An aliquis ignorat, quoties melior, iustiorq; pars uicta sit. Hinc semper dominationes acerbæ in ciues extiterũt? Plena est exemplis omnibus historia, sed nos contenti erimus uno. Cn. enim Pompeius bonorum uoluit esse defensor: siquidem pro republica, pro senatu, pro libertate arma susceperit. Is tamen uictus cum ipsa libertate occiditur, & à spadonibus Aegyptijs detruncatus, insepultus abiectus est. Non est igitur uirtus, aut hostem malorum, aut defensorem bonorum esse: quia uirtus incertis casibus non potest esse subiecta.

Commoda præterea patriæ sibi prima putare.

Sublata hominum cõcordia, uirtus nulla est omnino. Quæ sunt enim patriæ commoda, nisi alterius ciuitatis, aut gentis incommoda? Id est fines propagare alijs uiolenter creptos, augere imperium, uectigalia facere meliora. Quæ omnia nõ utiq; uirtutes sed uirtutum sunt euersiones. In primis enim tollitur humanæ societatis coniunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia, tollitur deniq; ipsa iustitia, quæ diffidiũ generis humani ferre non potest: & ubicunq; arma fulserint, hinc eam fugari, & exterminari necesse est. Verũ est Ciceronis illud. Qui autem ciuium rationem dicunt habendam, externorũ negant: dirimunt hi com-

hi communẽ generis humani societatẽ, qua sublata, beneficentia, liberalitas, iustitia funditus tollitur. Nã quomodo potest iustus esse, qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit? Quæ omnia faciunt, qui patriæ prodesse nitũtur. Id enim ipsum prodesse quid sit ignorant, qui nihil putant utile, nihil commodum, nisi quod teneri manu potest, quod solum teneri non potest, quia cripi potest. Hæc itaq; (ut ipsi appellant) bona, quisquis patriæ acquisierit, hoc est qui ciuersis ciuitatibus, gentibusq; deletis, ærarium pecunia referserit, agros ceperit, ciues suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in cœlũ, in hoc putatur summa, & perfecta esse uirtus. Qui error non modo populi, & imperitorũ, sed etiã philosophorum est: qui præcepta quoq; dant ad iniustitiam, stultitiæ disciplina, & authoritas desit. Itaq; cum de officijs ad rem militarem pertinẽtibus disputent, neq; ad iustitiam, neq; ad ueram uirtutem commodatur illa omnis ratio, sed ad hanc uitã, moremq; ciuilem, quem nõ esse iustitiam & res indicat, & ipse Cicero testatus est: Sed nos, inquit, ueri iuris, germanæq; iustitiæ solidam, & expressam effigiem nullam tenemus: Vmbra, & imaginibus utimur, easq; ipsas utinam sequeremur. Feruntur enim ab optimis naturæ, ac ueritatis exemplis. Vmbra est igitur, & imago iustitiæ, quam illi iustitiam putauerunt. Quid sapientiã nonne idem confitetur in philosophis esse nullam? At cum Fabritius, inquit, fortis, aut Aristides iustus nominãtur, aut ab illo fortitudinis, aut ab hoc iustitiæ petitur, tanquàm à sapiente, exemplum? Nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem uolumus intelligi. Nec ij, qui sapientes habiti, & nominati, M. Cato, & C. Lælius sapientes fuerunt. Nec illi quidem septem, sed exmediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebãt, speciemq; sapientiæ. Si ergo ex philosophis, ipsorum confessione adempta sapientia est, & ex ijs, qui iusti habiti sunt, adempta iustitia est: omnes igitur illæ uirtutis descriptiones, falsæ sunt necesse

necesse est: quia quæ sit uera uirtus scire non potest, nisi iustus, ac sapiens. Iustus autem, ac sapiens nemo est, nisi quem deus præceptis cœlestibus erudiuit.

Quod in via erroris est species sapientiæ, & virtutis. Et quod via veritatis, & sapientię est simplex, & angusta, & ardua, & Deum habet ducem. Cap. VII.

IAM illi omnes, qui per aliorũ confessam stultitiã sapientes existimantur, specie uirtutis inducti, umbras, & imagines apprehendunt, nihil uerũ. Quod ea fit ratione, quoniã uia illa mendax, quæ fert ad occasum, multos tramites habet, propter studiorum, & disciplinarũ uarietates: quæ sunt in uita hominũ dissimiles, atq; diuersæ. Nam sicut illa uia sapientiæ habet aliquid simile stultitiæ, quod libro præcedente monstrauimus: ita hæc, cũ sit tota stultitiæ, habet aliquid simile sapiẽtiæ, quod arripiunt ij, qui stultitiam publicam intelligunt. Et ut habet uitia manifesta, sic habet aliquid, quod simile esse uideatur uirtuti: ut habet apertum scelus, sic imaginem quandam, speciemq; iustitiæ. Quomodo enim præcursor eius uiæ, cuius uis, et potestas omnis in fallendo est, uniuersos in fraudem posset inducere, nisi uerisimilia hominibus ostentaret? Deus enim ut immortale illud arcanum eius in aperto esset, posuit in uia sua, quæ homines pro malis, & turpibus aspernarentur: ut auersi à sapiẽtia, & ueritate, quam sine duce illo requirebãt, in idipsum incideret, quod uitare, ac fugere cupiebant. Itaq; illam perditionis, ac mortis uiam multiplicem ostendit: uel quod multa sunt genera uitæ, uel quod dij multi, qui colũtur. Huius dux præuaricator, ac subdolus, ut uideatur esse discrimẽ aliquod falsi, et ueri, mali, ac boni, alia ducit luxuriosos alia eos, qui frugi appellantur, alia imperitos, alia doctos, alia inertes, alia strenuos, alia stultos, alia philosophos. Et eos quidẽ

non uno

non uno trænite. Illos enim qui aut uoluptates, aut diuitias non refugiunt, ab hac publica, & celebri uia modice segregat. Eos autẽ, qui aut uirtutẽ sequi uolunt, aut contemptũ rerũ profitẽtur, per confragosa quædã præcipitia trahit. Sed tamen illa omnia itinera, quæ speciem bonorũ ostentant, non sunt aliæ uiæ: sed diuerticula, & semitæ, quæ uidentur quidem ab illa communi dextrouersum separari, ad eandem tamen, & ad unũ omnes exitum sub ipso fine referuntur: Ibi enim dux ille coniungit omnes. ubi opus fuerat bonos à malis, fortes ab inertibus, sapiẽtes à stultis separari: in deorum scilicet cultu, in quo ille uniuersos (quia sine ullo discrimine stulti fuerũt) uno mucrone iugulat, et præcipitat in mortẽ. Hæc autẽ uia, quæ est ueritatis, & sapientiæ, et uirtutis & iustitiæ, quorũ omniũ fons unus est, una uis, una sedes, & simplex est, quod paribus animis, summaq; concordia unum sequamur, & colamus deum: et angusta, quoniam paucioribus uirtus data est: & ardua, quoniam ad bonum, quod summũ, & sublime est, nisi cum summa difficultate, & labore non potest perueniri.

Quare à philosophis veritas inueniri nõ poterat, nec ab iis, qui terrenis dediti sunt, sed ab electis inuenitur per legem dei: cui potest Ciceronis definitio adaptari. Caput. VIII.

HAec est uia, quam philosophi quærunt: sed ideo non inuenerunt, quia in terra potius, ubi apparere non potest, quærunt. Errant ergo uelut in mari magno, nec quo ferantur, intelligunt, qui nec uiam cernunt, nec ducem sequuntur ullum. Eadem nanq; ratione hãc uitæ uiam quæri oportet, qua in alto iter nauibus quæritur. Quæ nisi aliquod cœli lumen obseruent, incertis cursibus uagantur. Quisquis autẽ rectũ iter uitæ tenere nititur,

nitur, non terram debet aspicere, sed cœlum: & (ut apertius loquar) non hominem sequi debet, sed deum: non his terrestribus simulachris, sed deo seruire cœlesti: nō ad corpus referre omnia, sed ad mentem: non huic uitæ dare operam, sed æternæ. Itaq; si oculos in cœlum semper intendas, & solem, qua oritur, obserues, eumq; habeas uitæ quasi nauigij ducem, sua sponte in uiam pedes dirigentur: & illud cœleste lumen, quod sanis mentibus multo clarius sole est, q̄ hic, quem in carne mortali uidemus, sic reget, sic gubernabit, ut ad summū sapientiæ, uirtutisq; portū sine ullo errore perducat. Suscipienda igitur dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat: illa sancta, illa cœlestis, quā Marcus Tullius in libro de Rep. tertio penè diuina uoce depinxit. Cuius ego, ne plura decerem, uerba subieci. Est quidem uera lex, recta ratio naturæ cōgruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ uocet ad officium iubendo, uetādo, à fraude deterreat: quæ tamē neq; probos frustra iubet, aut uetat, nec improbos iubēdo, aut uetādo mouet. Huic legi nec propagari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Nec uero aut per Senatum, aut per populum solui hac lege possumus. Neq; est quærēdus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Rhomæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit. Vnusq; erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus: ille legis huius inuentor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur: hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, effugerit. Quis sacramentum dei sciens, tam significanter enarrare legem dei posset, quàm illam homo longe a ueritatis notitia remotus expressit? Ego uero eos, qui uera imprudenter loquuntur, sic habēdos puto, tanquam diuino spiritu aliquo instructos. Quod si ut legis sanctæ uim, rationemq; peruidit, ita illud quoq;

sciſſet, aut explicaſſet, in quibus præceptis lex ipſa conſiſteret, non philoſophi functus eſſet officio, ſed prophetæ. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum eſt: quibus ipſa lex tradita eſt ab illo uno magiſtro, & imperatore omnium Deo.

Quod caput religionis, & via veritatis eſt deū fideliter noſcere, & colere. & quare diuerſę leges ſunt agētibus inſtitutę. & quis ſenſuū integritate vigeat, quā gratia largitur potius, quam natura. Cap. IX.

HVius legis caput eſt primum ipſum Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere. Non poteſt enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum neſcit, quod eſt ſummum nefas. Quæ ignoratio facit, ut dijs alienis ſeruiat, quo nihil ſceleratius committi poteſt. Hinc iam procliuis eſt ad malitiam gradus per ignorantiam ueri, ac ſingularis boni: quia Deus, quem noſſe refugit, fons eſt ipſe bonitatis. Vel ſi iuſtitiam ſequi uolet Dei, diuini tamen iuris ignarus, gentis ſuæ leges, tanquam uerum ius amplectitur: quas non utiq; iuſtitia, ſed utilitas reperit. Cur enim per omnes populos diuerſa, & uaria iura ſunt condita, niſi quod unaquæq; gens id ſibi ſanxit, quod putauit rebus ſuis utile? Quantum autem à iuſtitia recedat utilitas, populus ipſe Rhomanus docet: qui per feciales bella indicendo, & legitime iniurias inferendo, ſemperq; aliena cupiēdo, atq; rapiēdo, poſſeßionem ſibi totius orbis comparauit. Verum hi ſe iuſtos putant, ſi contra leges ſuas nihil faciant: quod etiā timori aſcribi poteſt, ſi præſentium pœnarū metu ſceleribus abſtineant. Sed concedamus ſane, ut id natura, uel (ut ait philoſophus) ſua ſponte faciant, quod legibus facere coguntur. Num idcirco iuſti erunt, qui parent inſtitutis hominum, qui & ipſi aut errare, aut iniuſ-

iniusti esse potuerũt? Sicut illi duodecim tabellarũ cõditores, qui publicæ utilitati pro cõditione temporũ seruierũt. Aliud est igitur ciuile ius, quod pro moribus ubiq; uariatur. Aliud est uera iustitia, quã uniformem, ac simplicem proposuit omnibus Deus: quem qui ignorat, & ipsam iustitiam ignoret necesse est. Sed putemus fieri posse, ut aliquis naturali, & ingenito bono ueras uirtutes capiat: qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui & egentibus stipem dedit, & pauperes inuitauit, & nudos induit. Tamen cũ illud unũ, quod est maximum, deest, agnitio dei, iã illa bona omnia superuacua sunt, & inania, ut frustra in his assequendis laborauerit. Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput nõ habẽti: in quo tametsi mẽbra omnia, et locis suis consistent, & figura, & habitudine, tamen quoniã deest id, quod est omniũ principale, & uita, & omni sensu caret. Itaq; membra illa formam tantummodo membrorũ habent, usum nõ habent: tam scilicet, q̃ caput sine corpore, cui similis est: qui cum Deum non ignoret, uiuit iniuste. Id enim solum habet, quod est summũ, sed frustra: quoniã uirtutibus tanq̃ membris caret. Itaq; ut sit uiuum, ac sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, quasi caput, & omnes uirtutes, quasi corpus. Ita fiet homo perfectus, ac uiuus: sed tamẽ summa omnis in capite est, quod quãuis cõstare non possit sine omnibus, sinẽ quibusdam tamẽ potest. Et erit quoddam animal uitiosum, ac debile, sed tamẽ uiuet: sicut & ii, qui Deum nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim ueniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliquibus uiui potest, sine capite nullo modo. Hæc res efficit, ut philosophi, etiam si natura boni sunt, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina, & uirtus eorum sine capite est: quia Deum nesciunt, qui est uirtutis, ac doctrinæ caput: quem qui non agnoscit, licet uideat, cæcus est: licet audiat, surdus: licet loquatur, elinguis est. Cum uero conditorẽ rerũ, parentemq; cognouerit, tũc & uidebit, & audiet,

audiet,& loquetur. Habere enim caput cœpit,in quo sunt sensus omnes collocati,hoc est oculi,aures,& lingua. Nã profecto is uidet qui ueritatẽ in qua deus est,uel deum, in quo ueritas est, oculis cordis aspexerit:is audit, qui diuinas uoces, ac præcepta uitalia pectori suo affigit: is loquitur,qui cœlestia disserens,uirtutem,ac maiestatem Dei singularis enarrat. Quare non est dubium, quin impius sit,quisquis Deum non agnouerit: omnesq; uirtutes eius,quas habere,aut tenere se putant, in illa mortifera uia reperiuntur,quæ est tota tenebrarum. Quapropter nihil est quod aliquis sibi gratuletur, si has inanes uirtutes adeptus est: quia non tantum miser,qui bonis præsentibus careat, sed etiam stultus sit necesse est, qui labores in uita sua maximos suscipiat incassum. Nam adempta spe immortalitatis,quã deus pollicetur in sua religione uersantibus, cuius assequendæ gratia uirtus appetenda est, & quicquid malorum acciderit, perferendum est: maxima erit profecto uanitas obsequi uelle uirtutibus, quæ frustra homini calamitates afferunt,& labores. Nam si uirtus est, egestatem,exilium,dolorem,mortemq;, quæ timentur à cæteris, pati fortiter,ac subire: quid tandem boni in se habet, cur eam philosophi propter seipsam dicant expetendam? Nimirum suæ peruacuis, & inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquille. Si enim mortales sunt animæ,si uirtus dissoluto corpore nihil futura est:quid fugimus attributa nobis bona, quasi aut ingrati, aut indigni, qui diuinis muneribus perfruamur? Quæ bona ut habeamus, scelerate, impieq; uiuendum est,quia uirtutem,id est iustitiã,paupertas sequitur. Sanus igitur non est, qui nulla spe maiori proposita, ijs bonis quibus cæteri utuntur in terra,labores,& cruciatus,& miserias anteponat. Si autem uirtus (ut ab his rectissime dicitur) capessenda est, quia constet ad eam nasci hominem,subesse debet spes aliqua maior:quæ malorum,& laborum,quos perferre uirtutis est,magnum afferat,

præclarumq;

præclarumq; solatium. Nec aliter uirtus, cum per se dura sit haberi pro bono potest, quàm si acerbitatem suam maximo bono penset. Aeque non aliter his bonis præsentibus abstinendum est, quàm si sint aliqua maiora, propter quæ tanti sit, & uoluptates omittere, & mala omnia sustinere. Ea uero nulla sunt bona aliæ (ut in tertio docui) nisi perpetuæ uitæ. Hãc autem præstare quis potest, nisi deus, qui uirtutem ipsam proposuit? Ergo in dei agnitione & cultu, rerum summa uersatur: in hoc est spes omnis, & salus hominis: hic est sapientiæ gradus primus, ut sciamus, quis sit nobis uerus pater, eumq; solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic deuotissime seruiamus: in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur.

Quod religio Deo, misericordia homini debetur. Et quas causas ædificandi ciuitates, & conueniendi socialiter, & inuentionis verborum falso commenti sunt. Cap. X.

DIxi quid debeatur Deo, dicã nunc quid homini tribuendum sit: quanq; idipsum, quod homini tribueris, Deo tribuitur: quia homo Dei simulachrum est. Sed tamen primum officium iustitiæ est, coniungi cum Deo, secundum, cum homine. Sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia, uel humanitas nominatur. Quæ uirtus propria est iustorũ, & cultorũ Dei: quod ea sola uitæ communis in se continet rationem. Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu, & periculo tutiora generauit. Hominem uero, quia nudum fragilemq; formauit, ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum:

ut homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq; omnia pericula & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominũ uinculũ est humanitas: quod qui disruperit, nefarius, et paricida existimãdus est. Nã si ab uno homine, quẽ deus finxit, omnes orimur, certe cõsanguinei sumus: & ideo maximũ scelus putandum est odisse hominem, uel nocentem. Propterea Deus præcepit, inimicitias per nos nunquàm faciendas, semper esse tollendas, scilicet ut eos, qui sint nobis inimici, necessitudinis admonitos mitigemus. Itẽ si ab uno deo inspirati sumus omnes, & animati, quid aliud, q̃ fratres sumus? & quidem coniunctiores, qui animis, q̃ qui corporibus. Itaq; nõ errat Lucretius, cũ dicit:

Deniq;, cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est.

Ergo pro belluis immanibus sunt habẽdi, qui hominibus nocẽt, qui cõtra ius humanitatis, & fas omne spoliãt, cruciant, occidũt, exterminant. Ob hãc necessitudinẽ germanitatis docet nos deus mala nunq̃ facere, bonũ autem semper. Id autẽ ipsum benefacere quid sit, idem ipse præscribit. Præstare auxiliũ depressis, & laborantibus, impartiri uictum nõ habentibus. Deus enim, quoniam pius est, animal nos uoluit esse sociale. Itaq; in alijs hominibus nos ipsos cogitare debemus: nõ meremur in periculo liberari, si nõ succurrimus: nõ meremur auxiliũ, si negamus. Ad hanc partem philosophorum nulla præcepta sunt, quippe qui falsæ uirtutis specie capti, misericordiã de homine sustulerunt: & dum uolũt sanare, uitia auxerũt. Et cũ ijdem plerunq; fateantur, societatis humanæ communionem esse retinendam, ab ea plane seipsos immanitate uirtutis suæ rigore dissociant. Conuincendus ergo etiã hic error illorum est, qui nihil cuiquam impartiendum putant. Vrbis condendæ originẽ, atq; causam non unam intulerunt: sed alij eos homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per syluas & campos erraticam degerent uitam; nec ullo inter se sermonis aut iuris

aut iuris uinculo cohærerent: sed frondes, & herbam pro cubilibus: speluncas, & antra pro domibus haberent: bestijs, & fortioribus animalibus prædæ fuisse commemorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos uiderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, præsidiū imploraſſe, & primo nutibus uoluntatē suā significasse, deinde sermonis initia tentasse, ac singulis quibusq; rebus nomina imponēdo, paulatim loquendi perfeciſſe rationē. Cum autem nec multitudinē ipsam uiderent cōtra bestias esse tutam, oppida etiam cœpisse munire, uel ut quietem noctis tutam sibi facerent, uel ut incursiones, atq; impetus bestiarū non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerēt. O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt: mē seros, atq; miserabiles, qui stultitiā suam literis, memoricq; mandauerunt. Qui cum uiderent mutis quoq; animalibus ingenitam esse rationem, uel conueniendi, uel inuicem appetēdi, uel periculi fugiendi, uel mali cauendi, uel cubicula sibi, & latibula parandi: homines autem ipsos existimauerint non nisi exemplis admoneri, ac discere potuisse, quid metuere sibi, quid cauere, quid facere deberent, aut nunquam conuenturos inter se fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestiæ comedissent. Hæc alijs delira uisa sunt (ut fuerunt) dixeruntq;, non ferarum laniatus causam fuisse coëundi, sed ipsam potius humanitatem. Itaq; inter se congregatos: quod natura hominum solitudinis fugiens & communionis, ac societatis appetens esset, non magna inter eos disceptatio est. Siquidem causæ dispares sunt, res eadem est. Potuit utrunq; igitur, quia non repugnat: sed tamen utrunque nullo modo uerum est: quia non per omnem terram nati sunt homines è terra, tanquam ex draconis alicuius dentibus semi-nati (ut poëtæ ferunt) sed unus homo à Deo factus est: ab eoq; uno omnis terra humano genere completa est, eadem scilicet ratione, qua rursus post diluuium: quod certe negare non possunt.

Nulla igitur in principio facta est eiusmodi congregatio, nec unq̃ fuisse homines in terra, qui propter infantiam non loquerentur, intelligit, cui ratio non deest. Fingamus tamen illa uera esse, quæ otiosi, & inepti senes fabulantur, ut eos potissimum sensibus, & suis rationibus refellamus. Si hac de causa sunt homines congregati, ut mutuis auxilijs imbecillitatẽ suã tuerentur, succurrendũ est igitur homini, qui egeat auxilio. Cũ enim præsidij causa homines societatẽ cũ hominibus inierint, et sanxerint, fœdus illud à principio sui ortus inter homines initum, aut uiolare, aut non conseruare summum nefas putandum est. Nam qui se à præstando auxilio remouet, etiam ab acæpiẽdo se remouear necesse est: quia nullius ope indigere se putat, qui alteri suam denegat. Huic uero, qui se ipse dissociat, ac secernit à corpore, non ritu hominis, sed ferarũ more uiuẽdũ est. Quod si fieri nõ potest retinendũ est igitur omnino uinculum societatis humanæ: quia homo sine homine nullo modo potest uiuere. Retentio autẽ societatis est cõmunitas: id est auxiliũ præstare, ut possimus acapere. Sin uero (ut illi alij disputãt) humanitatis ipsius causa facta est hominũ cõgregatio, homo certe hominẽ debet agnoscere. Quod si fecerunt illi rudes, & adhuc feri homines, & fecerunt nonãu constituta loquendi ratione, quid putemus hominibus expolitis & sermone, rerumq; omnium commertio inter se copulatis esse faciendum, qui assueti hominibus solitudinẽ ferre non possunt?

In quos præcipue sit humanitas exercenda: & in quibus liberalitatibus imaginarijs pereant opera, & impensa præstantis. Cap. XI.

Conseruanda est igitur humanitas, si homines recte dici uelimus. Id autem ipsum conseruare humanitatem, quid aliud est, q̃ diligere hominem, quia homo sit, & idem quod nos sumus?

sumus? Discordia igitur, atq; dissensio, nõ est secundum hominis rationem. Verumq; est illud Ciceronis, quod agit hominẽ naturæ obedientem, homini nocere non posse. Ergo, si nocere homini contra naturam est, prodesse igitur homini secundum naturam sit necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat: quia humanitatis officiũ est, necessitati hominis, ac periculo subuenire. Quæro igitur ab ijs, qui flecti, ac misereri non putant esse sapientis, si homo ab aliqua bestia comprehensus, auxilium sibi armati hominis imploret, utrúmne succurrendum putent, an minime? Non sunt tam imprudentes, ut negent fieri oportere, quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circunuenitur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur, num putent hominis esse, non auxiliari? Non sunt ipsi homines, si putẽt. Nemo enim potest eiusmodi periculis nõ esse subiectus: imò uero & hominis, & fortis uiri esse dicent, seruare periturũ. Si ergo in eiusmodi casibus, qui periculum uitæ homini afferũt, succurrere humanitatis esse concedunt, quid causæ est, si homo esuriat, sitiat, algeat, cur succurrendum esse non putent? Quæ cũ sint paria natura cum illis casibus fortuitis, & unam, eandemq; humanitatem desyderent, tamen illa discernunt, quia non re ipsa uera, sed utilitate præsenti omnia metiuntur: illos enim, quos periculo surripiunt, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes autem quia non sperant, perire arbitrantur quicquid hominibus impartiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia:

Male meretur, qui mendico dat, quod edat:
Nam & illud, quod dat, perit:
Et illi producit uitam ad miseriam.

At enim poëta fortasse pro persona locutus est. Quid Marcus Tullius in suis officialibus libris, nonne hoc idem suadet, nõ esse omnino largiendũ? Sic enim dixit: Largitio quæ fit ex re familiari, fontẽ ipsum benignitatis exhaurit, ita benignitas benignitate

tollitur: qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possit. Et idem paulo post: Quid autẽ est stultius, quàm quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis? Videlicet professor sapientiæ, refrenat homines ab humanitate: monetq; ut rem familiarem diligenter custodiant: malintq; arcam, q̃ iustitiam conseruare. Quod cum intelligeret inhumanũ esse, ac nefarium, mox ex alio capite, quasi actus pœnitentia, sic ait: Nonnunq̃ tamen est largiendum: nec hoc benignitatis genus omnino repudiandũ, & sæpe idoneis hominibus egentibus de re familiari impartiendum. Quid est idoneis? nempe ijs, qui restituere, ac referre gratiam possint. Si nunc Cicero uiueret, exclamarem profecto: Hic hic M. Tulli aberrasti a uera iustitia: eamq; uno uerbo sustulisti, cum pietatis, & humanitatis officia utilitate metitus es. Non enim idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest nõ idoneis, id enim iustè, id piè, id humanè fit, quod sine spe recipiendi feceris. Hæc est uera illa, & genuina iustitia, cuius solidam, & expressam effigiem nullam tenere uos dicitis. Ipse pluribus locis clamas, mercenariam non esse uirtutem: fateriscq; in libris legum tuarum liberalitatem gratuitam esse, his uerbis: Nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignusq; dicitur, officium, non fructũ sequatur. Cur ergo idoneis potius largiris, nisi ut postea mercedem recipias? Te ergo authore, ac præceptore iustitia, quisquis idoneus non erit, nuditate, siti, fameq; conficietur: nec homines copiosi, & usq; ad delitias abundantes, subuenient ultimæ necessitati. Si uirtus mercedem non exigit, si propter se (ut dicitis) expetenda est: ergo iustitiam principem, matremq; uirtutum suo precio, non tuo commodo æstima: eiq; potissimum tribue, a quo nihil speres. Quid personas eligis, quid membra inspicis? Pro homine tibi habẽdus est, quisquis precatur, ideo quia te hominem putet: Abijce umbras illas, imagines q; iustitiæ, atq; ipsam uerã, & expressam tene: largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis:

destitutis: quibus nisi largiare, moriendum est: inutiles sunt homi
nibus, sed utiles deo qui eos retinet in uita, qui spiritu donat, qui
luce dignatur, fouet quantum in te est: & animas hominum ne
extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro po-
test, si non succurrerit, occidit. Verum isti, qui neq; naturam re-
tinent, neq; præmium in eo quod sit, sciunt, dum perdere timent,
perdunt: & in id, quod maxime cauent, incidũt: ut quicquid lar
giuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus breuissimum prosit:
nam qui exiguam stipem miseris negant, qui conseruare huma-
nitatem sine damno suo uolunt, patrimonia sua effundũt: ut aut
peritura, & fragilia sibi cõparent, aut certe suis maximis dam-
nis nihil cõsequantur. Quid enim dicendũ est de ijs, qui populari
leuitate ducti, uel magnis urbibus suffecturas opes exhibẽdis mu
neribus impendunt? nisi eos demẽtes, atq; furiosos, qui præstent
id populo, quod & ipsi perdãt, & nemo corũ, quibus præstatur
accipiat. Itaq; est omnis uoluptas caduca & breuis, oculorum
maxime, & auriũ: aut obliuiscuntur homines, & alterius dam-
na pro ingratis habent, aut etiam offenduntur, si non est libidi-
ni uulgi satis factum: ut etiam homines stultissimi malum sibi
malo cõparauerint: aut si adeò placuerint, nihil amplius, quàm
inanem fauorem, paucorumq; dierum fabulas assequuntur. Sic
quotidie leuissimorum hominũ patrimonia in res superuacuas
prodiguntur. Num ergo illi sapientius, qui utiliora & diutur-
niora ciuibus suis exhibent munera? Ii scilicet, qui publicis ope
ribus extructis, memoriam nomini suo quærunt. Nec isti quidem
recte bona sua in terram sepeliũt: quia nec memoria quicquam
mortuis confert, nec opera corum sempiterna sunt: siquidem aut
uno tremore terræ dissipantur, & corruunt, aut fortuito consu
muntur incendio, aut hostili aliquo impetu diruuntur, aut certe
uetustate ipsa dissoluta labũtur. Nihil est enim (ut ait Orator)
opere, & manu factũ, quod nõ conficiat, & consumat uetustas.

At hæc iustitia,& lenitas floreſcit quotidie magis. Illi ergo melius,qui tribulibus ſuis,aut clientibus largiuntur. Aliquid enim præſtant hominibus,& proſunt: ſed nõ eſt illa uera,& iusta largitio. Beneficentia enim nulla eſt, ubicunq; neceſſitas non eſt. Perit ergo quicquid gratiæ cauſa tribuitur non indigentibus: aut cum fœnore redit,& beneficentia non erit. Quod & ſi gratum eſt ijs,quibus datur,iuſtum tamen non eſt: quia ſi non fiat, nihil mali ſequitur. Vnum igitur certum,& uerum liberalitatis officium eſt,egentes,atq; inutiles alere.

A quo ſit ſperanda,& expetenda: & quę & quanta ſit veræ liberalitatis merces: & quàm inanis,& nulla falſæ: & qui ſunt gradus humanitatis. Cap. XII.

HAec eſt illa perfecta iuſtitia, quæ cuſtodit humanum (de qua philoſophi loquuntur) ſocietatem. Hic diuitiarum maximus,& ueriſſimus fructus eſt,non uti opibus ad propriam unius uoluptatem,ſed ad multorum ſalutem: non ad præſentem ſuum fructum,ſed ad iuſtitiam,quæ ſola non interit. Tenendũ eſt igitur omnino, ut ab officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omnino. Huius enim operis,& officij merces à Deo expetenda eſt ſolo: nam ſi ab homine expetes,iam non humanitas erit illa, ſed beneficij fœneratio: nec poteſt uideri bene meruiſſe,qui quod fecit,non alteri,ſed ſibi præſtat: & tamẽ cò redit,ut quod alteri quiſq; præſtiterit,nihil ab eo commodi ſperãs,ucre ſibi præſtet, quia mercedem capiet à Deo. Item Deus præcepit,ut ſi quando cœnam parauerimus, eos in conuictum adhibeamus, qui reuocare non poſſint, & uicem reddere,ut omnis actus uitæ noſtræ non careat miſericordiæ munere. Nec tamen quiſq; interdictam ſibi putet aut communionem cum amicis, aut charitatem cum proximis: ſed notum nobis Deus fecit,quod ſit uerum,ut iuſtum

opus,ita

opus,ita nos oportere cum proximis uiuere,dummodo sciamus illud ad hominẽ,hoc ad Deum pertinere.Præcipua igitur uirtus est hospitalitas,quod philosophi quoq; aiunt:sed eam detorquẽt à uera iustitia,& ad commodum rapiunt.Recte,inquit Cicero, à Theophrasto est laudata hospitalitas.Est enim(ut mihi quidẽ uidetur) ualde decorum patére domos hominum illustriũ hospitibus illustribus.Eodem modo rursus errauit,quo tunc,cum idoneis esse diceret largiendum. Non enim iusti, & sapientis uiri domus,illustribus debet patêre,sed humilibus,& abiectis. Nam illustres illi,ac potentes,nulla re possunt indigere,quos opulẽtia sua & munit, & honorat Nihil autem à uiro iusto faciendum est,nisi quod sit beneficium.Beneficium,si referatur,interit,atq; finitur: nec enim possumus id habere integrum, cuius precium nobis persolutum est. In his itaq; beneficijs, iustitiæ ratio uersatur,quæ salua,& incorrupta permanserint.Permanent autem non aliter,quàm si præstentur ijs hominbus, qui prodesse nullo modo possunt. At ille in recipiendis illustribus nihil spectauit aliud,nisi utilitatem: nec dissimulauit homo ingeniosus,quid ex eo commodi speraret. Ait enim qui faciat potentem apud exteros futurum per gratiam principum,quos sibi hospitij,& amicitiæ iure constrinxerit. O quàm multis argumentis Ciceronis incõstantia,si id agerem,redargui posset:nec tam nostris, quàm suis uerbis refelleretur.Idem quippe ait,ut quisq; maxime ad suũ commodum referat,quæcunq; agit,ita minime esse uirum bonũ. Idem etiam negat simplicis,& aperti hominis esse,ambire,simulare aliquid, & prætendere aliud agere uideri,cum aliud agat: præstare se alteri fingere,quod sibi præstet: sed malitiosi potius, & astuti,& fallacis,et subdoli.Quomodo ergo defenderet quominus ambitiosa illa hospitalitas malitia esset? Tu mihi per omnes portas circumcurses,ut aducnientes populorum,atq; urbium principes domum tuam inuites, ut per eos apud ciues eorum potentiam

potentiam consequare, uelisq; te iustum, & humanum, & hospitalem uideri, cum studeas utilitati tuæ. Verum hoc ille nō potius incaute. Quid enim minus in Ciceronē conuenit? Sed ignorātia ueri iuris prudens, ac sciens, in hos se laqueos induxit. Quod ut ei possit ignosci, testificatus est, non ad ueram iustitiā, quam non teneat, præcepta se dare, sed ad umbram, imaginemq; iustitiæ. Ignoscendum est igitur umbratico, & imaginario præceptori: nec ab eo ueritas exigenda est, qui se nescire fateatur. Captiuorū redemptio magnum, atq; præclarum iustitiæ munus est: quod idem ipse Tullius approbauit. Atq; hæc benignitas (inquit) etiā reipublicæ est utilis, redimi à seruitute captos, locupletari tenuiores. Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerū longe antepono. Hæc est grauium hominum atq; magnorum. Proprium igitur iustorum opus est, alere pauperes, ac redimere captiuos: cū apud iniustos siqui hæc faciant, graues, & magni appellentur. Iis enim maxime laudis est benefacere, quos nemo sperauit esse facturos. Nā qui bonū facit uel consanguineo, uel proximo, uel amico, aut nullā, uel certe nō magnam laudem meretur, quia facere debet. Sitq; impius, ac detestabilis, nisi fecerit id, quod ab eo & natura ipsa, & necessitudo exigit: & si facit, nō tam gloriæ assequendæ, q̄ reprehensionis uitandæ causa facit. Qui autē facit alicno, & ignoto, is uerè dignus est laude, quoniā ut faceret, sola ductus est humanitate. Ibi ergo iustitia est, ubi ad bene faciendum necessitatis uinculum nullum est. Hoc igitur benignitatis officium nō anteponere quidem largitioni munerum debuit, quod est cōparantis, & è duobus bonis, quod sit melius, eligentis. Illa uero largitio hominum patrimonia sua in mare abijcientiū, inanis, & leuis, & ab omni iustitia remotissima est. Itaq; ne dici quidē munera oportet, in quibus nemo accipit, nisi qui accipere nō meretur. Non minus magnum iustitiæ opus est, pupillos, & uiduas destitutos, & auxilio indigentes tueri, atq;

defendere,

defendere,quod adeò uniuersis diuina illa lex præscribit:quãdoquidem boni quiq; iudices ad officiũ suum iudicant pertinere,ut eos humanitate naturali foueant, ac ijsdem prodesse nitantur. Verũ hæc opera propria nostra sunt,qui legem,qui uerba ipsius dei præcipientis accepimus. Nã illi quidem sentiunt natura esse iustũ tueri eos,qui tutela carent, sed cur ita sit,non perspiciunt. Deus enim,cuius propria clemẽtia est,idcirco uiduas,pupillosq; defendi,ac tueri iubet, ne quis respectu,ac miseratione pignorũ suorũ retardetur,quo minus mortẽ pro iustitia,fideq; suscipiat, sed incunctanter,ac fortiter subeat: cũ sciat se charos suos Deo relinquere,nec his unq̃ præsidiũ defuturũ. Aegros quoq;,quibus defuerint qui assistant,curãdos,fouendosq; suscipere,summæ humanitatis,& magnæ operationis est. Quod qui fecerit,hic uiuã hostiã Deo acquiret: & quod alteri dederit ad tẽpus, ipse à deo accipiet in æternũ. Vltimũ illud,& maximũ pietatis officiũ est, peregrinorũ,& pauperũ sepultura: quod illi uirtutis,iustitiæq; doctores prorsus nõ attigerunt. Nec enim poterãt id uidere,qui utilitate omnia officia sua metiebantur. In cæteris enim,quæ supradicta sunt,quamuis uerũ limitem nõ tenuerint, tamẽ quoniã commodi aliquid in his deprehenderunt, quasi odore quodam ueritatis retenti,propius aberrauerunt. Hoc autem, quia nihil uidere in eo commodi poterant,reliquerunt. Quinetiam non defuerunt.qui superuacancam facerent sepulturam:nihilq; dicerẽt esse mali,iacere inhumatum,atq; abiectum, quorum impiam sapientiam cum omne humanum genus respuit,tum diuinæ uoces, quæ id fieri iubent. Verum illi non audent dicere, id non esse faciendum:sed si forte non fiat, nihil esse incommodi. Itaq; in ea re,non tam præcipientium,quàm consolantium funguntur officio: ut si forte id sapienti euenerit, ne se ob hoc miserum putet: nos autem non quid sapienti ferendum sit dicimus, sed id, quod sapiens facere debeat. Itaq; non quærimus nunc, utrúmne

tota se-

tota sepeliendi ratio sit utilis, nec ne: licet hæc etiam si sit inanis (ut illi æstimant) tamẽ facienda est, uel ob hoc solum, quod apud homines bene, & humane fieri uidetur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non enim patiemur figuram, & figmentum Dei, feris, ac uolucribus in prædam iacêre, sed reddemus id terræ, unde ortum est. Et quamuis in homine ignoto necessariorum sepulturam nulli negandum munus implebimus, in quorũ locum, quia desunt, suædat humanitas: et ubicunq; homo desyderabitur, ibi exigi officiũ nostrum putabimus. In quo autẽ magis iustitiæ ratio consistit, q̃ in eo, ut quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem, quæ est multo certior, iustiorq;? Cum iam nõ homini præstatur, qui nihil sentit, sed Deo: cui charissimũ sacrificiũ est opus iustum. Dicet aliquis fortasse: si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim si magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur, morietur, ut hæc sufficientem uel uno die patrimonio exui sit necesse? perdámne rem familiarem meo, aut meorum labore quæsitam, ut iam ipse mihi alienæ misericordiæ uiuendum sit? Quid tu iam pusillo animo paupertatem times, quam etiam uestri philosophi laudant? nihil hac tutius, nihilq; hac tranquillius esse testãtur. Hoc quod times, solicitudinũ portus est. An ignoras quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subiaceas? Quæ tecum bene agent, si sine tuo cruore transierint. Tu uero præda onustus incedis, & spolia geris, quæ irritent animos etiam tuorũ. Quid ergo dubitas, bene collocare id, quod tibi forsitan eripiet, aut unum latrociniũ, aut existens repente proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid uerere, fluxum, ac fragile bonum facere sempiternum: aut thesauros tuos custodi Deo credere, ubi non furem, prædonemq; timeas non rubiginẽ, non Tyrannũ? Qui apud Deum diues est, pauper esse nunq̃ poterit. Si iustitiã tãti putas, sequere abiectis oneribus quæ te premũt. Libera teipsum cõpedibus, et catenis, ut expeditus

ad Deum

ad Deũ curras. Magni, & excelsi animi est, despicere, & calcare mortalia. Sed si hanc uirtutem non capis, ut diuitias tuas in arcã Dei conferas, ut fragilibus tuis compares firmiora, liberabo te à metu. Omnia ista præcepta non soli tibi dantur, sed omni populo: qui tibi mente cõiunctus est, & cohæret, sicut unus homo. Si solus magnis operibus non sufficis, pro uirili parte operare iustitiã: sic tamen, ut quantũ diuitijs inter cæteros, tantum opere præcellas. Neq; nunc suaderi tibi putes, ut rem familiarem tuam minuas, uel exhaurias: sed quæ in superuacua fueras impẽsurus, ad meliora cõuertas: unde bestias emis, hinc captos redime: unde feras pascis, hinc pauperes ale: unde homines ad gladiũ cõparas hinc innocentes mortuos sepeli. Quid prodest perditæ nequitiæ bestiarios facere locupletes, & instruere ad flagitia? Transfer ad magnũ sacrificiũ male peritura, ut pro his ueris muneribus habeas à deo munus æternũ. Magna est misericordiæ merces, cui Deus pollicetur, peccata se omnia remissurũ. Si audieris (inquit) preces supplicis tui, & audiã ego tuas: si misertus laborantium fueris, & ego in tuo labore miserebor. Si autẽ nõ respexeris, nec adiuueris, et ego animũ cõtra te gerã, tuisq; te legibus iudicabo.

De præmio, & quod in necessitate, & precibus pauperũ quisq; tentatur à Deo: & tribus gradibus virtutis. Cap. XIII.

Quoties igitur rogaris, tentari te à Deo crede, an sis dignus exaudiri. Circunspice conscientiã tuã, & quantũ potes, medere uulneribus: nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim, si Deo largiare, quia peccaueras. Nam si fiducia largiendi peccs, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccatis maxime capit: ideoq; agi pœnitentiã iubet. Agere aũt pœnitẽtiã nihil

nihil aliud est, q̃ profiteri, & affirmare, se ulterius nõ peccaturũ. Ignoscitur itaq; ijs, qui ad peccatum ignoranter, imprudenter, incauteq; labuntur: ueniã non habet, qui sciens peccat. Nec tamẽ si aliquis purificatus fuerit ab omni labe peccati, temperandum sibi ab opere largitionis existimet: quia nõ habeat peccata, quæ deleat. Imò uero tum magis iustitiam debet operari, cum factus est iustus: ut quod ante in medelam uulnerum fecerat, postmodũ faciat in gloriam, laudemq; uirtutis. Eo accidit, quod nemo esse sine delicto potest, q̃ diu indumento carnis oneratus est. Cuius infirmitas triplici modo subiacet dominio peccati: factis, dictis, cogitationibus. Per hos gradus ad summum culmẽ iustitia procedit. Primus est uirtutis gradus, malis operibus abstinere: secundus etiam malis uerbis: tertius etiam cogitatione rerum malarũ. Qui primum gradum ascendit, satis iustus est: qui secundũ, iam perfectæ uirtutis, siquidẽ neq; sermone, neq; factis delinquat: qui tertium, is uere similitudinem Dei assecutus uidetur. Est enim penè supra humanũ modum, nec cogitatione quidem admittere quod sit uel factu malum, uel improbum dictu. Itaq; etiam iusti homines, qui frenare se possunt ab omni opere iniusto, nõnunq; tamẽ ipsa fragilitate uincuntur: ut uel in ira malum dicant, uel aspectu rerum delectabilium, tacita cogitatione concupiscant. Quod si mortalis conditio non patitur, hominem esse ab omni macula purum, debent ergo perpetua largitione peccata carnis aboleri. Vnum est enim sapientis, & iusti, & uitalis uiri opus, diuitias suas in sola iustitia collocare: qua profecto qui eget, licet ille Crœsum, aut Crassum diuitijs superet, hic pauper, hic nudus hic mendicus putandus est. Danda igitur opera est, ut indumento iustitiæ, pietatisq; uelemur: quo nos nemo exuat, quod nobis sempiternũ præbet ornatum. Nam si deorũ cultores simulachra insensibilia excolũt, & quicquid præcioſi habẽt, in ea conferũt: quibus nec uti possunt, nec gratias agere, qui dederint: quanto

iustius

iustius est, & uerius, uiuentia Dei simulachra excolere, ut promereare inuenire uiuentem? Quæ sicut usui habent quicquid acceperint, & gratias agunt, ita Deus, in cuius conspectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exoluet.

Quod philosophi vera caruerũt humanitate, qui cũ Stoicis eam inter morbos animi posuerunt. Cap. XIIII.

Si ergo in homine præclarum, & excellens bonum est misericordia: idq; diuinis testimonijs, & bonorũ, malorũq; consensu optimũ iudicatur, apparet philosophos longe abfuisse ab humano bono: qui neq; præceperunt huiusmodi quicq̃, neq; fecerunt: sed hanc uirtutem, quæ propemodum in homine est singularis, pro uitio semper habuerunt. Libet hic interponere unũ de philosophia locum: ut illorum plenius coarguemus errores, qui misericordiam, cupiditatẽ, metum, morbos animi appellant. Conantur illi quidem uirtutes à uitijs disiungere, quod est sane facillimũ. Quis enim non possit liberalẽ à prodigo separare (ut illi faciunt) aut parcũ à sordido, aut quietũ ab inerti, aut cautũ à timido? quod hæc, quæ sunt bona, fines suos habeant: quos si excesserint, in uitia labũtur. Ita et cõstantia, nisi pro ueritate sit susceptа, fit imprudentia. Item fortitudo, si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certũ periculũ subierit, in temeritatem conuertitur. Libertas quoq;, si alios insectetur potius, q̃ insectantibus resistat, cõtumacia est. Seueritas ctiã, nisi se intra cõgruentes nocentium pœnas coërceat, fit sæua crudelitas. Itaq; dicunt eos, qui mali uideantur, non sua sponte peccare, nec malа potius eligere: sed bonorum specie lapsos incidere in malа, dum bonorum, ac malorum discrimen ignorant. Hæc quidem falsa non sunt, sed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum esse, aut constantem, aut cautum, aut quietum, aut fortem, aut seuerum,

scuerum, uirtutes sunt quidem, sed huius temporariæ uitæ. Nos autem, qui hanc uitam contemnimus, alias nobis uirtutes propositas habemus: de quibus philosophi ne suspicari quidem ulla ratione potuerunt. Itaq; & uirtutes quasdam pro uitijs, & uitia quædam pro uirtutibus habuerunt. Nam Stoici affectus omnes quorum impulsu animus commouetur, ex homine tollunt, cupiditatem, atq; lætitiam, metum, mœstitiam: quorum duo priora ex bonis sunt, aut futuris, aut præsentibus: posteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor morbos (ut dixi) uocant, nõ tam natura insitos, quàm praua opinione susceptos. Et idcirco censent, eos extirpari posse radicitus, si bonorum, malorumq; opinio falsa tollatur. Si enim nihil sentiat sapiens bonum, nihilq; malum, nec cupiditate ardescet, nec lætitia gestiet, nec metu terrebitur, nec ægritudine cõtrahetur. Mox uidebimus, an efficiãt, quod uelint, aut quid efficiãt: interim propositũ arrogans ac penè furiosum, qui se putet mederi, & eniti posse contra uim, rationẽq; naturæ.

Quomodo Peripatetici vincant Stoicos, & doceant affectuum naturaliũ stimulos euelli non posse, sed mitigari. Et quod ea, quæ brutis animalibus data sunt, singulis hominibus insita sunt vniuersa. Et quomodo Stoici mentis affectiones definiant. Cap. XV.

HAcc enim naturalia esse, non uoluntaria, omnium uiuentium ratio demõstrat: quæ eisdem omnibus quatitur affectibus. Peripatetici ergo rectius, qui hæc omnia detrahi posse negant: quia nobiscum simul nata sunt: & conantur ostendere, quàm prouidenter, quàm necessario Deus, siue natura (sic enim dicunt) his non armauerit affectibus: quos tamen quia plerunq; uitiosi

uitiosi fiunt, si nimij sint, posse ab homine adhibito modo salubriter temperari, ut tantum homini, quantum naturæ satis est, relinquatur. Non insipiens disputatio, si (ut dixi) omnia non ad hanc uitã referrentur. Stoici ergo furiosi, qui ea non temperant, sed abscindunt: rebusq; à natura insitis, castrare hominem quodammodo uolunt. Quod tale est, quale si uelint aut metum detrahere ceruis, aut uenenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ singula mutis animalibus data sunt, ea uero uniuersa homini simul. Quod si, ut medici dicunt, lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in iecore, timoris in corde, facilius est interficere animal ipsum, quàm ex corpore aliquid euellere, quod est animantis naturam uelle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, cum uitia ex homine tollũt, etiam uirtutem se tollere, cui soli locum faciunt. Nam si uirtus est, in medio iræ impetu seipsum cohibere & reprimere, quod negare non possunt: caret ergo uirtute, quisquis ira caret. Si uirtus est, libidinem corporis continere, uirtute careat necesse est, qui libidinem, quam temperet, non habet. Si uirtus est, cupiditatẽ ab alieni appetitione refrenare, nullam certe uirtutem potest habere, qui caret eo, ad quod cohibendum uirtutis usus adhibetur. Vbi ergo uitia non sunt, nec uirtuti locus est quidem: sicut nec uictoriæ quidem, ubi aduersarius nullus est. Ita fit, ut bonum sine malo esse in hac uita non possit. Affectus igitur, quasi ubertas animorum est naturalis. Nam sicut in sentes ager, qui est naturã fœcundus, exuberat: sic animus incultus uitijs sua sponte inualescentibus, uelut spinis obducitur. Sed cum uerus cultor accesserit, statim cedentibus uitijs, fruges uirtutis oriuntur. Deus itaq;, cum hominem primum fingeret, mirabili prouidentia ingenerauit ei prius istas animi commotiones, ut posset capere uirtutẽ sicut terra culturam. Posuitq; materiam uitiorum in affectibus, uirtutis in uitijs. Quæ profecto aut nulla erit, aut in usu esse non

poterit, si desint ea per quæ uis eius aut appareat, aut constet. Videamus nunc ijdem illi, qui uitia penitus excidũt, quid effecerint. Quatuor illos affectus, quos ex opinione bonorũ, malorũq; nasci putãt, quibus euulsis sanandũ esse animũ sapientis existimant: quoniã intelligũt & natura insitos esse, & sine his nihil moueri, nihil agi posse, alia quædam in eorũ locũ, uiamq; suppo nunt. Pro cupiditate substituunt uoluntatẽ, quasi uero nõ multo sit præstabilius bonũ cupere, q̃ malũ uelle. Item pro lætitia gaudium, pro metu cautionẽ. At in illo quarto immutandi nominis eius ratio deficit. Itaq; ægritudinẽ penitus, id est mœstitiã, dolorem q; animi sustulerunt: quod fieri nequaq̃ potest. Quis enim potest nõ dolere, si patriã aut pestilentia exhauserit, aut hostis inuaserit, aut tyrannus oppresserit? Potest aliquis non dolere, si sublatam uiderit libertatẽ, si proximos, si amicos, si bonos uiros aut exterminatos, aut crudelissime trucidatos: nisi cuius mens ita obstupuerit, ut sit ei sensus omnis ereptus? Quare aut omnia tollere debuerũt, aut implenda fuerat curta hæc, & debilis disputatio: id est etiã pro ægritudine aliquid reponendũ: quoniam superioribus ita ordinatis, hoc consequens erat. Vt enim præsentibus lætamur bonis, sic malis angimur, ac dolemus. Si ergo lætitiæ, quã uitiosam putabãt, nomẽ aliud indiderũt: sic ægritudini, quoniã & ipsam uitiosam putabant, aliud uocabulũ tribui congruebat. Vnde apparet nõ illis rem defuisse, sed uerbũ: cuius indigentia eũ totum affectum, qui est uel maximus, cõtra quã natura patefecretur, auferre uoluerunt. Nam illas nominũ commutationes poterã coarguere pluribus: & ostendere aut sermonis ornandi, augendæq; copiæ gratia, multa nomina eisdem rebus imposita, aut nihil, aut certe non multum inter se illa distare. Nam & cupiditas à uoluntate incipit, & cautio à metu oritur: & lætitiæ nihil aliud est, quàm profusum gaudium. Sed putemus, ut ipsi uolunt, esse diuersa. Nempe igitur cupiditatem esse dicent perseuerantem

rantem, ac perpetuam uoluntatem: lætitiam uero, insolenter se efferens gaudium: metum autem nimiam, & excedentem modū cautionem. Ita fit, ut ea, quæ tollenda esse censent, non tollant, sed temperēt: siquidem nomina ipsa tantummodo immutāt, res ipsæ manent. Eò igitur imprudentes reuoluuntur, quo Peripatetici ratione peruenerunt: ut uitia, quoniam tolli non possunt, medio temperanda sint. Errant ergo, quoniam non efficiunt, quod uolunt: & longo, asperóq; circuitu in eandem uiam redeunt.

Quomodo Peripatetici errauerunt: & quod bonus vsus affectuum virtus est, malus vitiū. Et quod vsus ipse ex causa pensandus est. Cap. XVI.

Atego ne Peripateticos quidem accessisse ad ueritatem puto, quia uitia esse cōcedunt, sed ea mediocriter temperant. Carendū est enim uitijs etiam mediocribus: quin potius efficiendū fuit primū, ne uitia essent: nec enim quicq; uitiosum nasci potest: sed uitia fieri, si male utamur affectibus: uirtutes, si bene. Deinde monstrandū est, nō ipsos affectus, sed corū causas esse moderandas. Nō est (inquiunt) nimia lætitia gestiendū, sed modice, ac tēperate. Hoc uero tale est, quale si dicerēt, non esse currendū concitate, sed gradiendum moderate. At potest & qui graditur errare, & qui currit, rectam uiam tenere. Quid si ostendero esse aliquid, ubi nō tantū modicum, sed uel punctū gaudere uitiosum sit: & aliud contrà, in quo uel exultare lætitia minime criminosum? Quid tandē nobis ista mediocritas proderit? Quæro utrū ne sapienti lætandū putent, si quid inimico suo mali uident accidere: aut utrum ne lætitiam refrenare debeant, si uictis hostibus, aut oppresso Tyrāno libertas, & salus ciuibus parta sit? Nemo dubitat, quin & in illo exiguum lætari, & in hoc parum lætari sit maximum crimen. Eadem de cæteris affectibus licet dicere.

Sed(ut dixi)non in his moderandis sapientiæ ratio uersatur,sed in causis eorum:quoniam extrinsecus commouentur:nec his potissimum frena imponi oportuit:quoniã & exigui possunt esse in maximo crimine, & maximi possunt esse sine crimine. Sed assignandi fuerũt certis temporibus,& rebus,& locis, ne uitia sint,quibus uti recte licet.Sicut enim recte ambulare bonum est, errare autem malum:sic moueri affectibus in rectum, bonũ est: in prauum,malum. Nam libido si extra legitimum torum non euagetur,licet sit uehemens,tamen culpa caret.Sin uero appetit alienum,licet sit mediocris,uitium tamen maximum est. Nõ est itaq; morbus irasci,nec cupere,nec libidine commoueri: sed iracundum esse morbus est,cupidũ,libidinosum.Qui enim iracundus est,etiam cui non debet,aut cui non oportet,irascitur. Qui cupidus est,etiã quod nõ opus est,concupiscit.Qui libidinosus, etiã quod legibus uetatur.affectat. Omnis ergo ratio in eo uersari debuit,ut quoniã earũ rerũ impetus inhiberi nõ potest,nec debet,quia necessario est insitus ad tuẽda officia uitæ, dirigetur potius in uiã rectã,ubi etiã cursus offensione,ac periculo caret.

Quod ea,quę philosophi uitia putant, uirtutes sunt, si tamẽ referantur ad finẽ debitum,id est ad deum. Et quod insani sunt, qui humanam naturam ingenitis affectibus spoliare nituntur. Cap. XVII.

SEd euectus sum coarguendi studio longius, cum sit mihi propositum ea,quæ uitia philosophi putauerunt,ostendere non tantum uitia non esse,uerumetiam magnas esse uirtutes.Ex alia docendi gratia sumam,quæ pertinere ad rem maxime puto. Metum,seu timorem in maximo uitio ponunt,summamq; imbecillitatem esse animi putant, cui sit contraria fortitudo: quæ si sit ũ

si sit in homine, locum timori esse nullum. Credit ergo ne aliquis fieri posse, ut idē metus summa sit fortitudo? Minime. Neq; enim uidetur capere natura, ut aliquid in contrarium recidat. Atqui ego non arguta aliqua conclusione, ut apud Platonem Socrates facit: qui cos, quos cōtra disputat, cogit ea, quæ negauerant, confiteri: sed simpliciter ostendam, summum metum summam esse uirtutem. Nemo dubitat, quin timidi, & imbecilli sit animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exiliū, aut carcerem, aut mortē: quæ omnia quisquis non exhorruerit, fortissimus iudicatur. Qui autem Deū metuit, illa uniuersa non metuit. Ad quod probandū argumentis opus nō est, spectatæ sunt enim semper, spectanturq; adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei: in quibus excruciandis noua, & inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari: cum immanium bestiarum ultra ipsam mortem carnificina sæuierit. Has tamē execrabiles corporum lacerationes felix, atq; inuicta patientia sine ullo gemitu pertulit. Hæc uirtus omnibus populis, atq; prouincijs, & ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit, cum patientiā crudelitas uinceretur. Atqui hanc uirtutem nihil aliud, q̄ metus Dei fecit. Itaq; (ut dicebam) non euellendus, ut Stoici: neq; temperandus timor, ut Peripatetici uolunt: sed in ueram uiam dirigendus est, auferendiq; sunt metus, sed ita, ut is solus relinquatur, qui quoniam legitimus, ac uerus est, solus efficit, ut possint cætera nō timeri. Cupiditas quoq; inter uitia numeratur. Sed si hæc, quæ terrena sunt, concupiscit, uitium est: uirtus autem, si cœlestia. Qui enim iustitiam, qui Deum, qui uitam perpetuam, qui lucem sempiternam, caq; omnia, quæ Deus homini pollicetur, consequi cupit, opes istas, & honores, & potentatus, & regna ipsa contemnet. Dicet fortasse Stoicus: Voluntate opus est ad hæc consequenda, non cupiditate: imò uero parum est uelle. Multi enim uolunt, sed cū dolor uisceribus acæserit, uoluntas cedit, cupiditas perseverat:

quæ si efficit,ut contemptui sint omnia,quæ à cæteris appetuntur: summa uirtus est:siquidem continentiæ mater est.Ideoq; potius illud efficere debemus,ut affectus,quibus prauc uti uitium est,dirigamus in rectũ.Nã istæ concitationes animorũ iuncto currui similes sunt:in quo recte moderando summũ rectoris officiũ est, ut uiam nouerit:quã si tenebit,q̃ concitate ierit,non offendet.Si autem errauerit,licet placide,ac leniter eat, aut per confragosa uexabitur,aut per præcipitia labetur:aut certe,quo nõ opus est deferetur.Sic arsus ille uiæ,qui affectibus uelut equis perniabus ducitur,si rectam uiam tenebit.sungetur officio. Metus igitur,& cupiditas,si proijdantur in terrã,uitia fient:uirtutes autem,si ad diuina referantur.Parsimoniam contrà uirtutis loco habẽt,quæ si studium est habendi,non potest esse uirtus : quia in augendis, uel tuendis terrestribus bonis tota uersatur. Nos autem summũ bonum nõ referimus ad corpus,sed omne officium solius animæ conseruatione metimur. Quod si (ut supra docui) patrimonio minime parcendum est,ut humanitatem, iustitiamq; tencamus, non est uirtus frugi esse:quod nomen uirtutis specie fefellit,atq; decepit.Est enim frugalitas abstinentia quidem uoluptatum:sed cò uitiũ,quia ex habendi amore descẽdit.cũ sit & uoluptatibus abstinendum,& pecuniæ minime temperandum.Nam parce,id est mediocriter uti pecunia, quasi quædam pusillitas est animi: aut pertimentis,ne sibi desit:aut desperantis,posse se illam reparare:aut contemptum terrestrium non capientis. Sed illi rursus eum,qui rei familiari suo non parcat,prodigum uocant.Nã ita liberalẽ distinguunt à prodigo: quod is liberalis sit, qui cibum & benemeritis,& cum oportet,& quantum satis est,largiatur. Prodigus uero,qui & non meritis,& cum opus nõ est, & sine respectu rei familiaris,effundat.Quid ergo? prodigũ ne dicemus eum, qui misericordiæ causa tribuit egentibus uictum? Atqui multum refert, utrum ne scortis propter libidinem largiare, an

miseris

miseris propter humanitatem. Vtrum peaniam tuam perductores, aleatores, lenonesq; diripiant, an illã pietati, ac Deo præstes. Vtrum ne illã uentri, ac gulæ ingeras, an in thesauro iustitiæ reponas. Vt ergo uitium est effundere in malam partẽ, sic in bonã uirtus. Si uirtus est non parcere opibus, quæ possunt reparari, ut hominis uitã sustentes, quæ raparari nõ potest, uitium igitur parsimonia est. Quare nihil aliud dixerim, q̃ insanos, qui hominem, mite ac sociale animal orbant suo nomine, qui eum sis affectibus, quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporẽ mentis perducere uolunt, dum student animum à perturbationibus liberare, & (ut ipsi dicunt) quietum tranquillumq; reddere. Quod fieri nõ tantum nõ potest, quia uis, & ratio eius in motu est, sed ne oportet quidem, quia sicut aqua quidem semper iacens & quieta insalubris, & magis turbida est, sic animus immotus, ac torpens, inutilis est, etiam sibi, nec uitam ipsam tueri poterit, quia nec faciet quicq̃, nec cogitabit, cũ cogitatio ipsa nihil aliud sit, q̃ mentis agitatio. Deniq; qui hanc immutabilitatem animi asserunt, priuare animum uita uolũt, quia uita actuosa est, mors quieta. Quædam etiam recte pro uirtutibus habent, sed earum modum non tenent. Virtus est constantia, nõ ut inferentibus iniuriam resistamus, his enim cedendum est, quod cur fieri debeat, mox docebo, sed ut iubentibus facere nos contra Dei legem, contraq; iustitiam, nullis minis, aut supplicijs terreamur, quo minus Dei iussionẽ, hominis iussioni præferamus. Item uirtus est mortẽ contẽnere, non ut appetamus, eamq; ultro nobis inferamus, sicut philosophorum plurimi, & maximi, sæpe fecerunt, quod est sceleratum, ac nefariũ, sed ut coacti Deum relinquere, ac fidẽ prodere, mortẽ suscipere malimus, libertatẽq; defendamus aduersus impotentiam stultã, uecordemq; uiolentiam, ut omnes seculi minas, atq; terrores fortitudine animi prouocemus. Sic ea quæ alij timent, excelsa, & insuperabili mente, dolorẽ mortẽq; calcamus.

Hæc est uirtus, hæc uera est constantia, in hoc tuenda, & conseq̃uanda solo, ut nullus nos terror, nulla uis à Deo possit auertere. Vera igitur Ciceronis illa sententia est: Nemo (inquit) iustus potest esse, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatẽ timet. Itẽ Senecæ in libris moralis philosophiæ, dicentis: Hic est homo ille honestus nõ apiæ, purpuráue, nõ lictorũ insignis ministerio: sed nulla re minor, qui cũ mortẽ in uicinia uidet, nõ sic perturbatur, tanq̃ rem nouam uiderit: qui siue toto corpore tormenta patienda sunt, siue flamma ore recipienda est, siue extendendæ per patibulum manus, nõ quærit, quid patiatur, sed quàm bene. Qui autem Deum colit, nec patitur, nec timet. Ergo iustus. His rebus efficitur, ut uirtutes, neq; uirtutũ exactissimos limites nosse, aut tenere possit omnino, qui est à religione dei singularis alienus.

Quomodo præcepta Dei, quibus insistendũ est, à philosophicis dissideant institutis: & quis sit patientiæ titulus. Cap. XVIII.

SEd omittamus philosophos, qui aut omnino nihil sciunt, idq; ipsum pro summa scientia præ se ferunt: aut qui non percipiunt etiam quæ sciunt: aut qui, quoniam se putãt scire quæ nesciunt, inepte, arroganterq; desipiunt. Nos ergo (ut ad propositum reuertamur) quibus solis à deo ueritas reuelata, et cœlitus missa sapiẽtia est, faciamus quæ iubet illuminator noster Deus: sustineamus inuicem, & labores huius uitæ mutuis adiumentis perferamus. Nec tamen, si quid boni operis feccrimus, gloriam cãptemus ex eo: monet enim Deus, operatorẽ iustitiæ non oportere esse iactantem: ne non tam mandatis cœlestibus obsequendi quàm studio placendi, humanitatis officio functus esse uideatur: habeatq; iam precium gloriæ, quod captauit: nec præmium cœlestis illius, ac diuinæ mercedis accipiat. Cætera, quæ obseruare cultor

cultor Dei debet, facilia sunt, illis uirtutibus comprehensis, ut non mentiatur unquam decipiendi, aut nocendi causa. Est enim nefas eum, qui ueritati studeat, in aliqua re esse fallacem: atq; ab ipsa, quam sequitur, ueritate discedere. In hac iustitiæ, uirtutumq; omnium uia, nullus mendacio locus est. Itaq; uiator ille uerus, ac iustus, non dicet illud Lucilianum:

Homini amico, ac familiari non est mentiri meum.

Sed etiam inimico, atq; ignoto, existimabit non esse mentiri suũ. Nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, à sensu, & cogitatione discordet. Pecuniam si quam crediderit, non accipiat usuram: ut & beneficium incolume sit, quod succurrit necessitati, & abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere officij debet suo esse contentus, quẽ oporteat aliàs ne proprio quidẽ parcere, ut bonum faciat: plus autem accipere, q̃ dederit, iniustũ est. Quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur. At iustus nunquam prætermittet, quo minus aliquid misericorditer faciat: nec inquinabit se huiusmodi quæstu, sed efficiet, ut sine ullo suo damno ipsum, quod commodat, inter bona opera numeretur. Munus nõ accipiet à paupere, ut si quid ipse præstiterit, eo bonum sit, quo fuerit gratuitum. Male dicenti benedicto respondeat: nunq̃ ipse male dicat: nec uerbum malũ procedat ex ore hominis, qui colit uerbũ bonũ. Quinetiã caueat diligenter, ne quando inimicum sua culpa faciat: & si quis extiterit tam proteruus, qui bono, & iusto faciat iniuriã, clementer ac moderate ferat, & ultionẽ suam sibi non assumat, sed Dei iudicio reseruet, innocentiã semper, & ubiq; custodiat: quod præceptum non ad hoc tantum ualet, ut ipse iniuriam nõ inferat, sed ut illatam sibi non uindicet. Sedet enim maximus, & æquissimus iudex speculator, ac testis omni. Hunc homini præferat, hunc malit de sua causa pronunciare, cuius sententiam nemo effugere potest, nec defensione cuiusq̃, nec gratia. Ita fit,

ut homo

ut homo iustus cõtemptui sit omnibus, & quia putabitur semet ipsum defendere non posse, habebitur pro segni, & inerti. Qui autẽ fuerit ultus inimicũ, hic fortis, hic strenuus iudicatur, hunc colunt, hunc omnes uerẽtur. Bonus uero ille, tametsi prodesse omnibus, uel pluribus posit, illũ tamen susapiunt, qui nocere, quàm qui prodesse posit: sed iustũ prauitas hominum depraua re non poterit, quo minus Deo studeat obtemperare, malitq; cõtemni, dummodo semper boni fungatur officio, mali nunq̃. Cicero in ijsdem illis officialibus libris: At uero si quis uoluerit, inquit, sui animi complicatam notionem euoluere, iam se ipse doceat, eum uirum bonum esse, qui prosit quibus posit, noccat nemini, nisi lacessitus iniuria. O quàm simplicem, ueramq; sententiã duorum uerborũ adiectione corrupit. Quid enim opus fuerat adiungere nisi lacessitus iniuria? ut uitium bono uiro quasi causam turpissimam apponeret, patiẽtiæq;, quæ omnium uirtutum maxima est, facere expertem? Nociturum esse dixit bonum uirum, si fuerit lacessitus: iam ex hoc ipso boni uiri nomen amittat necesse est, si nocebit. Non minus enim mali est, referre iniuriam, quàm inferre. Nam unde certamina inter homines, unde pugnæ, contentionesq; nascuntur, nisi quod improbati apposita impatientia, magnas sæpe concitat tempestates? Quod si patientiam, qua uirtute nihil est uerius, nihil homine dignius inueniri potest, improbitati opposueris, extinguetur protinus, tanq̃ si igni aquã superfuderis. Sin autem prouocatrix illa improbitas, impatientiam sibi comparem nacta est, tanq̃ perfusa oleo, tantũ excitabit incendiũ, ut id non flumen aliquod, sed effusio cruoris extinguat. Magna itaq; patientiæ ratio est, quam sapiens homo admit bono uiro: ut enim nihil malorum fiat, hæc sola efficiet: quæ si detur omnibus, nullũ scelus, nulla fraus in rebus humanis erit. Quid ergo bono uiro potest esse tam calamitosum, tamq; contrarium, q̃ iræ frena permittere: quæ illum non modo boni, sed etiam

etiam hominis appellatione dispoliet? Siquidem nocere alteri, ut ipse ait ucrissime, non est secundum hominis naturã. Nam & pecudes, si lacessas, aut calce, aut cornu repugnant. Et serpentes, ac feræ, nisi persequaris, ut occidis, negotium nõ exhibent. Et (ut ad hominum exempla redeamus) imperiti quoq;, & insipientes si quando accipiunt iniurias, cæco, & irrationabili furore ducuntur: & ijs, qui sibi nocent, uicem tribuere conantur. In quo igitur sapiens, ac bonus uir à malis, & insipientibus differt, nisi quod habet inuictã patientiã, qua stulti carent: nisi quod regere se, ac mitigare iram suam nouit: quàm illi, quia uirtute indigent, frenare nõ possunt. Sed uidelicet hæc illum res fefellit: quia cum de uirtute quæritur, in quacunq; contentione uincere, putauit esse uirtutis. Nec uidere ullo modo potuit, hominem dolori, & iræ succumbentem, & ijs affectibus indulgentem, quibus debet potius reluctari, & ruentem quancunq; in partẽ prouocauerit improbitas, uirtutis officium non tenere. Qui enim referre iniuriam nititur, eum ipsum, à quo læsus est, gestit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus esse nullo pacto potest. Duobus igitur uerbis duas uirtutes maximas bono & sapienti uiro, innocentiã patientiamq; detraxit. Sed quia ipse caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit, uoluit quoq; hominem canino modo uiuere, ut remordeat lacessitus. Quæ retributio contumeliæ, quàm perniciosa sit, & quas ædere soleat strages, unde opportunius peteretur exemplum, quàm ex ipsius doctoris tristissimo casu: qui dum his philosophorum præceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit? Qui si lacessitus iniuria patientiam tenuisset, si dissimulare, si ferre contumeliam boni uiri esse didicisset, nec illas nobiles orationes alieno titulo inscriptas, impatientia, & leuitate, & insania profudisset, nunquàm capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset: nec rempublicam funditus proscriptio illa delesset.

Sapientis

Sapientis ergo,ac boni uiri non est uelle certare, ac se periculo committere:quoniam & uincere nõ est in nostra potestate: & est anceps omne certamen:sed est sapientis,& optimi uiri, non aduersarium uelle tollere,quod fieri sine scelere, ac periculo non potest,sed certamẽ ipsum,quod fieri & utiliter,& iuste potest. Summa igitur uirtus habenda patientia est: quam ut caperet homo iustus, uoluit illum Deus (ut supra dictum est) pro inerte contemni. Nisi enim contumelijs fuerit affectus, quantũ habeat fortitudinis in seipso cohibẽdo ignorabitur. Si autem lacessitus iniuria lædentem persequi cœperit, uictus est. Si uero motum illum ratione compresserit, hic planè imperat sibi,& hic regere se potest. Quæ sustentatio sui, recte patientia nominatur: quæ una uirtus omnibus est opposita uitijs,& affectibus. Hæc perturbatum animum, ac fluctuantem, ad tranquillitatem suam reuocat: hæc mitigat: hæc hominem sibi reddit. Ergo quoniam naturæ repugnare impossibile est,& inutile: ut nõ commoueamur omnino, prius tamen quàm commotio illa prosiliat ad nocendum, quoad fieri potest, maturius sopiatur. Præcepit Deus non occidere solem super iram nostram, ne furoris nostri testis abscedat. Deniq; M. Tullius contra suum præceptum de quo paulo ante dixi, obliuionem iniuriarum in magnis laudibus posuit. Spero, inquit, Cæsar, qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias. Quod si hoc ille faciebat homo, non à cœlesti tantum, sed à publica quoq; ciuiliq; iustitia remotissimus, quanto magis id nos facere debemus, qui immortalitatis uelamine candidati sumus?

Quod Peripatetici Stoicis obuiant in defensione affectionum. Et quæ sint tres Furiæ, quas poëtæ finxerunt: & quis earũ usus sit, uel abusus. Cap. XIX.

Stoici,

STOici, cum affectus ex homine, tanquam morbos conantur euellere, Peripatetici se opponunt, eosq; non modo retinent sed etiã defendunt: nihilq; in homine esse dicunt, quod nõ magna ratione, ac prouidẽtia sit innatum. Recte id quidem, si singularũ rerum ueros terminos, scirent. Itaq; hanc ipsam iram fomitem dicũt esse uirtutis: tanquam nemo possit aduersus hostes fortiter dimicare, nisi fuerit ira concitatus. Quo plane ostendunt, nec quid sit uirtus scire se, nec cur homini attribuerit irã Deus. Quæ si nobis ideo data est, ut ea utamur ad occidendos homines, quid immanius homine, quid similius feris belluis existimandum est, quàm id animal, quod ad communionem, & innocentiam Deus fecit? Tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agant: ira, cupiditas, libido. Propterea poëtæ tres Furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitẽt: ira ultionẽ desiderat, cupiditas opes, libido uoluptates. Sed his omnibus deus certos limites statuit, quos si transcenderint, maioresq; esse cœperint, necesse est, naturã suam deprauent, & in morbos ac uitia uertantur. Qui autem sunt isti limites, non est magni laboris ostendere. Cupiditas ad ea comparanda nobis data est, quæ sunt ad uitam necessaria: libido ad sobolem propagandã: iræ affectus ad coërcenda peccata eorum, † quæ † Aliter qui sunt in nostra potestate: id est, ut arctiore disciplina minor ætas ad probitatẽ, iustitiãq; formetur: quæ nisi in metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium, & facinus euadet. Itaq; ut ira uti aduersum minores, & iustum est, & necessarium, sic & aduersum pares, & pernitiosum est, & impium. Impium, quo deturbatur humanitas: pernitiosum, quod illis repugnantibus aut perire necesse est, aut perire. Hanc autem, quam dixi esse rationẽ, cur homini sit iræ affectus datus, ex ipsius dei præceptis intelligi potest: qui iubet uiri male dictis, & lædentibus non irascamur. Manus autẽ nostras supra minores semper habeamus: hoc est, ut

peccantes

peccantes eos aßiduis uerberibus corrigamus: ne amore inutili, & indulgentia nimia educẽtur ad malũ, & ad uitia nutriantur. Sed rerum imperiti, & rationis ignari, eos affectus, qui sunt homini ad usus bonos dati, exterminauerũt, & latius quàm ratio postulat, euagantur. Inde iniuste, atq; impie uiuitur. Vtuntur ira contra pares. Hinc diſsidia, hinc expulsiones, hinc bella contra iustitiam nata sunt. Vtuntur cupiditate ad congregandas opes. Hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia scelerum genera orta sunt. Vtũtur libidine ad capiẽdas tantũ uoluptates. Hinc stupra hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes extiterunt. Quicunq; igitur illos affectus intra fines suos redegerit, quod ignorantes Deum facere non possunt, hic patiens, hic fortis, hic iustus est.

De quinq; sensuum voluptatibus: & quare plus voluptatis datum sit homini à natura, quàm cæteris animantibus. Et primum de voluptate visus, & de spectaculis euitandis: & de ludorum, & spectaculorum authoribus, Cap. XX.

REstat ut cõtra quinq; sensuum uoluptates dicã breuiter. Nam & ipsius libri mensura iam modum flagitat: quæ omnes, quoniam uitiosæ, ac mortiferæ sunt, uirtute superari, atq; opprimi debẽt: uel (quod paulo ante dicebam) de affectibus ad rationem suam reuocari. Cæteræ animantes, præter unam uoluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam sentiunt. Vtũtur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatem. Vident ut appetant ea, quibus opus est ad uitam tuendam: audiunt inuicem, seq; dignoscunt, ut possint cõgregari. Quæ utilia sunt ad uictũ, aut ex odore inueniunt, aut ex sapore percipiũt: inutilia respuunt, aut recusant. Edendi, ac bibẽdi officiũ uentris plenitudine metiũtur.

Homini

Homini uero solertissimi artificis prouidentia dedit uoluptatẽ infinitã, & in uitiũ cadentem: quia proposuit ei uirtutẽ, quæ cũ uoluptate semper, tanq̃ cum domestico hoste pugnaret. Cicero in Catone maiore: Stupra uero (inquit) & adulteria, & omne flagitium nullis excitari alijs illecebris, nisi uoluptatis. Cumq; homini siue natura siue quis deus, nihil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono nihil tam inimicũ, q̃ uoluptatem. Nec enim libidine dominãte temperantiæ locũ esse: neq; in uoluptatis regno uirtutẽ posse consistere: sed è contrario Deus idcirco uirtutem dedit, ut expugnaret, & uinceret uoluptatem: camq; egredientem fines sibi datos, infra præscriptũ coërceret: ne hominẽ suauitatibus delinitũ, atq; captum, ditioni suæ subijceret, ac sempiterna morte multaret. Voluptas oculorũ uaria, & multiplex est: quæ capitur ex aspectu rerũ, quæ sunt in usu hominum uel natura, uel opere delectabiles. Hanc philosophi rectissime sustulerũt. Aiunt enim multo esse præclarius, et homine dignius, cœlum potius, q̃ cœlata intueri. Et hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanq̃ floribus adornatum, q̃ picta, & ficta, & gemmis distincta mirari. Sed cum diserte ad cõtemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cœli spectaculum excitauerunt: tamen spectacula hæc publica non cõtemnunt. Itaq; his & delectantur, & libenter intersunt: quæ, quoniã maxima sunt irritamenta uitiorũ, & ad corrumpendos animos potissime ualẽt, tollenda sunt nobis: quia non modo ad beatã uitã nihil conferunt, sed etiã nocent plurimũ. Nam qui hominem, quamuis ob merita damnatum, in conspectu suo iugulari pro uoluptate computat, conscientiam suam polluit: tam scilicet, q̃ si homicidij, quod fit occulte, spectator, & particeps fiat. Hos tamen ludos uocant, in quibus humanus sanguis effunditur. Adeò longe ab hominibus secessit humanitas, ut cum animas hominum interficiant, ludere se opinentur, nocentiores ijs omnibus,

omnibus,quorum sanguinem uoluptati habent.Quæro nunc an poßint pij,& iusti homines esse,qui constitutos sub ictu mortis ac misericordiam deprecantes,non tantum patiuntur occidi,sed efflagitant,ferunt̃q; ad mortẽ crudelia, & inhumana suffragia, nec uulneribus saciati,nec cruore contenti,quinetiam percussos iacentes̃q; repeti iubent, & caduera ictibus dißipari, ne quis illos simulata morte deludat.Irascuntur etiam pugnantibus,niſi celeriter alter è duobus occisus est, & tanquam humanum sanguinem sitiant,oderunt moras:alios illis compares dari posant recentiores,ut quàm primum oculos suos satient.Hac consuetudine imbuti,humanitatem perdiderunt.Itaq; non parcunt innocentibus,sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt.Huius igitur publici homicidij socios,& participes esse non conuenit eos,qui iustitiæ uiã tenere nituntur.Non enim eum occidere Deus uetat, latrocinari nos tantũ prohibet,quod ne per leges quidem publicas licet:sed ea quoq; ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neq; militare iusto licebit,cuius militia est in ipsa iustitia,neq; ucro accusare quenq; crimine capitali,quia nihil distat, utrumne ferro,an uerbo potius occidas:quoniam ocasio ipsa prohibetur.Itaq; quod in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas,quem Deus sanctum animal esse uoluit:ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet,ut recentes natos liceat oblidere, quæ uel maxima est impietas. Ad uitã enim Deus inspirat animas,non ad mortem.Verũ homines, ne quod sit facinus,quo manus suas nõ polluant,rudibus adhuc, & simplicibus animis abnegant lucem nõ à se datam.Expectet uero aliquis,ut alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo: sed hi sine ulla controuersia scelerati,& iniusti. Quid illi,quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocẽtes existimari, qui uiscera sua in prædam canibus obijciunt: & quantum in ipsis est,

ipsis est, crudelius necant, quàm si strangulassent. Quis dubitet, quin impius sit: qui alienæ misericordiæ locũ non tribuit? quin etiam si contingat ei, quod uoluit, ut alatur, addixit certe sanguinem suum uel ad seruitutem, uel ad lupanar. Quæ autem possunt uel soleant accidere in utroq; sexu, uel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod uel unius Oedipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quàm necare. At enim paricidæ facultatum angustias conqueruntur: nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt: quasi uero aut facultates in potestate sint possidentiũ, aut nõ quotidie Deus ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites faciat. Quare si quis liberos ob paupertatem nõ poterit educare, satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, quàm sceleratis manibus Dei opera corrumpat. Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor. Siquidem populo sanguis ille præstatur. In Scenis quoq; nescio an sit corruptela uitiosior. Nã & Comicæ fabulæ de stupris uirginũ loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis sint eloquentes, qui flagitia illa finxẽrunt, eò magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ uersus numerosi, & ornati. Item Tragicæ historiæ subijciunt oculis paricidia, & incesta regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionũ quoq; impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigant? quorum eneruata corpora, & in muliebrem incessum, habituq; mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam: qui docent adulteria, dum fingũt, & simulatis cruciant ad ucra? Quid iuuenes, aut uirgines faciant: cum & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utiq; quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ

aſpectu maxime concitatur: ac ſe quiſq; pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probantq; illa dum rident, & adhærentibus uitijs corruptiores ad cubicula reuertũtur: nec pueri modo, quos præmaturis uitijs imbui non oportet, ſed etiã ſenes, quos peccare iam non decet, in talem uitiorũ ſemitam dilabuntur. Circenſium quoq; ludorum ratio quid aliud habet, niſi leuitatẽ uanitatem, inſaniam? Tanto namq; impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur: aut iam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia ueniũt, cũ exclamare, & efferri, & exilire cœperint. Vitanda ergo ſpectacula omnia: non ſolum, ne quid uitiorum pectoribus inſideat, quæ ſedata, & pacifica eſſe debent, ſed ne cuius nos uoluptatis cõſuetudo deliniat, & à Deo, atq; à bonis operibus auertat. Nam ludorũ celebrationes, deorũ feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, uel templorum nouorum dedicationes ſunt conſtituti: & primitus quidem uenationes, quæ uocantur munera, Saturno attributæ ſunt: Ludi autem Scenici Libero, Circenſes Neptuno. Paulatim uero & cæteris dijs idem honos tribui cœpit, ſinguliq; ludi numinibus eorum conſecrati ſunt. Sicut Ciſinnius Capito in libris ſpectaculorũ docet. Si quis ergo ſpectaculis adeſt, ad quæ religionis gratia cõuenit, reliquit dei cultũ, et ad deos ſe contulit, quorũ natales, et feſta celebrauit.

De voluptate auriũ. Et quid ſibi velit diuinorum eloquiorum ſimplicitas: quæ omnibus carminibus, & floribus, põpiſq; verborum præferenda eſt. Cap. XXI.

AVrium uoluptas ex uocum, & cantuum ſuauitate percipitur: quæ ſcilicet tã uitioſa eſt, q̃ oblectatio illa, de qua diximus, oculorũ. Quis enim non luxurioſum, ac nequam putet eum, qui Scenicas artes domi habeat? Atqui nihil refert utrumne luxuriam ſolus domi, an cum populo exerceas in theatro. Sed iam de

iam de spectaculis dictū est: restat unū, quod est nobis expugnandum, ne capiamur ijs, quæ ad sensum intimum penetrant. Nam illa omnia, quæ uerbis carent, id est aëris, & neruorū suaues sonitus possunt facile contemni: quia non adhærent, nec scribi possunt. Carmen autem compositum, & oratio cum suauitate decipiens capit mentes, & quo uoluerit, impellit. Inde homines literati, cū ad Dei religionē accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati minus credūt. Assueti enim dulcibus, & politis, siue orationibus siue carminibus, diuinarum literarum simplicem, communemq; sermonē pro sordido aspernantur. Id enim quærūt, quod sensum demulceat. Persuadet autē quicquid est suaue: & animo penitus dum delectat, insidet. Num igitur Deus & mentis, & uocis, & linguæ artifex diserte loqui non potest? Imò uero summa prouidentia carere fuco uoluit ea, quæ diuina sunt: ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur. Ergo qui ueritati studet, qui non uult ipse se decipere, abijciat inimicas, & noxias uoluptates: quæ animam sibi uinciant, ut corpus cibi dulces: præferātur uera falsis, æterna breuibus, utilia iucundis. Nihil aspectu gratiū sit, nisi quod pie, quod iuste fieri uideas: nihil auditu suaue, nisi quod alit animam, melioremq; te reddit. Maximeq; hic sensus nō est ad uitium detorquendus: qui nobis ideo datus est, ut doctrinā Dei percipere possemus. Itaq; si uoluptas est, audire cantus, & carmina: Dei laudes canere, & audire iucundum sit. Hæc est uoluptas uera, quæ comes, & socia uirtutis est. Hæc est non caducæ & breuis, ut illæ, quas appetūt, qui corpori, ut pecudes seruiunt, sed perpetua, & sine ulla intermissione delectans. Cuius terminos, si quis excesserit, nihilq; aliud ex uoluptate petierit, nisi ipsam uoluptatem, hic mortem meditatur: quia sicut uita perpetua in uirtute est, ita mors in uoluptate. Qui enim temporalia maluerit, carebit æternis: qui terrena prætulerit, cœlestia non habebit.

De voluptate olfactus, & gustus, quam vir prudens euitare debet, vt laqueos, & tendiculas mortis. Cap. XXII.

AD uoluptates autem saporis, & odoris, qui duo sensus ad solum corpus pertinent, nihil est aliud, quod à nobis disputetur, nisi forte quis exigit, ut dicamus, turpe est sapienti, ac bono, si uentri, ac gulæ seruiat: si unguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat: quod qui facit, utiq; insipiens, ineptus, & nihili est, & quem ne odor quidem uirtutis attigerit. Fortasse quispiam dixerit: Cur ergo illa facta sunt, nisi ut illis fruamur? At enim iam sæpe dictum est, uirtutem fuisse futuram nullã, nisi haberet quæ opprimeret. Itaq; fecit omnia Deus ad instruendum certamen rerum duarum. Ergo illecebræ istæ uoluptatum arma sunt illius, cuius opus unum est expugnare uirtutem, iustitiamq; ab omnibus excludere. His blandimentis, & suauitatibus titillat animas. Scit enim quia mortis est fabricatrix uoluptas. Nam sicut Deus hominem ad uitam non nisi per uirtutem ac laborem uocat, ita ille ad mortem per delitias, ac uoluptates: & sicut ad uerum bonum per fallacia mala, sic ad uerum malũ per bona fallacia peruenitur. Cauenda sunt igitur oblectamenta ista tanquàm laquei, & plagæ: ne suauitudinũ mollicie capti, sub ditionem mortis cum ipso corpore rediganur, cui nos mancipauimus.

De uo-

De voluptate tactus, & quare sit in homine vehementior, quàm inceteris animalibus: & quantas per eũ diabolus turpitudines ingerat, & pericula gehennæ. Et de licito coitu, & illicito. Et quare inter omnia animantia, sola mulier post conceptũ sit patiens viri. Et quis sit continentiæ, vel incontinentiæ fructus.

Caput. XXIII.

VEnio nunc ad eam, quæ percipitur ex tactu, uoluptatem, qui sensus est quidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis, aut uestibus, sed de sola libidine dicendum mihi puto: quæ maxime coërcenda est, quia maxime nocet. Cũ excogitasset Deus duorum sexuum rationem, attribuit ipsis, ut se inuicem appeterent, & coniunctione gauderent. Itaq; ardentissimam cupiditatẽ cunctorum animantium admiscuit corporibus: ut in hos affectus autdissime ruerent: eaq; ratione propagari, & multiplicari genera possent. Quæ cupiditas, & appetentia in homine uehementior, & acrior inuenitur: uel quia hominũ multitudinẽ uoluit esse maiorem: uel quoniam uirtutem soli homini dedit, ut esset laus, & gloria in coërcendis uoluptatibus, & sui abstinentia. Scit ergo aduersarius ille noster, quanta sit uis huius cupiditatis, quam quidam necessitatem dicere maluerunt: eamq; à recto & bono, ad malum & prauum transfert. Illicita enim desyderia immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria sine delicto licet. Obijcit quippe oculis irritabiles formas suggeritq; fomenta, & uitijs pabulum subministrat: tum intimis uisceribus stimulos omnes cõturbat, & commouet, & naturalẽ

illum incitat, atq; inflammat ardorem: donec irretitum hominẽ, implicatumq; decipiat. At ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoq; constituit, & pudorem infeliaum mulierum publicauit: ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quàm quas pati necesse est. His obscœnitatibus animas ad sanctitatem genitas, uelut in cœni gurgite demersit: pudorem extinxit, pudicitiam profligauit. Idem etiam mares admisceuit maribus: & nefandos coitus contra naturam, contraq; institutum dei machinatus est: sic imbuit homines, & armauit ad nefas omne. Quid enim potest esse sanctum ijs, qui ætatem imbecillam, & præsidio indigentem, libidini suæ depopulandã, fœdandamq; substrauerint? Nõ potest hæc res præ magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum, quàm impios, & parricidas: quibus non sufficiat sexus à deo datus, nisi et suũ sexum profane, ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos leuia, & quasi honesta sunt. Quid dicam de ijs, qui abominandam non libidinem, sed insaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his fore credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum est, quia fit. De istis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis furor, nec capiti quidem parcit. Quibus hoc uerbis, aut qua indignatione tantũ nefas prosequar? Vicit officium linguæ, sceleris magnitudo. Cum igitur libido hæc ædat opera, & hæc facinora designet, armãdi aduersus eam uirtute maxima sumus. Quisquis affectus illos frenare non potest, cohibeat eos intra præscriptum legitimi tori, ut & illud quod auide expetit, assequatur, & tamen in peccatum non incidat. Nam quid sibi homines perditi uolunt? Nempe honesta opera uoluptas sequitur: si ipsam per se appetunt, iusta, & legitima frui licet. Quod si aliqua necessitas prohibet, tum uero maxima adhibenda uirtus erit, ut cupiditati continentia reluctetur. Nec tantum alienis toris, quæ attingere non licet, uerumetiam publicis, uulgatisq; corporibus

corporibus abstinendum, deus præcepit: docetq; nos, cum duo inter se corpora fuerint copulata, unum corpus efficere. Itaque qui se cœno immerserit, cœno sit oblitus necesse est: & corpus quidem cito ablui potest, mens autem contagione impudici corporis inquinata non potest, nisi ex longo tempore, & multis bonis operibus ab ea, quæ inhæserit, colluuione purgari. Oportet ergo sibi quenq; proponere, duorũ sexuum coniunctionẽ generandi causa datã esse uiuentibus: camq; legẽ his affectibus positam, ut successionẽ parent. Sicut autẽ dedit nobis oculos Deus, non ut spectemus, uoluptatemq; capiamus, sed ut uideamus propter eos actus, qui pertinent ad uitæ necessitatem: ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet, nulla alia causa, nisi efficiendæ sobolis accepimus. Huic diuinæ legi summa deuotione parendum est: sint omnes, qui dei discipulos se profitebuntur, ita morati, & instituti, ut imperare sibi possint. Nam qui uoluptatibus indulgent, qui libidini obsequuntur, ij animã suã corpori mancipant, ad mortẽq; condemnant, quia se corpori addixerunt, in quo mors habet potestatem. Vnusquisq; igitur, quantum potest, formet se ad uerecundiã, pudoremq; colat: castitatẽ mente & conscientia tueatur. Nec tantum legibus publicis pareat, sed sit supra omnes leges, qui legem dei sequitur. Quibus bonis si assuerit, iam pudebit eum in deteriora descendere. Modo placeant recta, & honesta, quæ melioribus iucundiora sunt, quàm praua, & inhonesta pcioribus. Nondum omnia castitatis officia executus sum, quam non modo Deus intra priuatos parietes, sed etiã præscriptio lectuli terminat, ut cũ quis habeat uxorẽ neq; seruam, neq; liberam habere insuper uelit, sed matrimonio fidem seruet. Non enim, sicut iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium: maritus autem etiam si plures habeat, à crimine adulterij solutus est. Sed diuina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari iure coniungit, ut

adulter habeatur, quisquis cõpagem corporis in diuersa distraxerit. Nec ob aliam causam Deus, cũ cæteras animantes suscepto fœtu, maribus repugnare uoluisset, solam omnium mulierem patientem uiri fecit: scilicet ne fœminis repugnantibus libido cogeret uiros aliud appetere: eoq; facto, castitatis gloriam non tenerent. Sed neq; mulier uirtutẽ pudicitiæ caperet, si peccare non posset. Nam quis mutũ animal pudicũ esse dixerit, quod suscepto fœtu mari repugnat? Quod ideo facit, quia necesse est in dolorẽ atq; in periculũ ueniat, si admiserit. Nulla igitur laus est non facere, quod nõ possis facere. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia nõ naturalis est, sed uoluntaria. Seruãda igitur fides ab utroq; alteri est: imò exemplo continentiæ docenda uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse præstare nõ possis. Quæ iniquitas id effecit profecto, ut essent adulteria, fœminis ægre ferentibus præstare se fidem non exhibentibus mutuam charitatẽ. Denicq; nulla est tã perditi pudoris adultera, quæ nõ hanc causam uitijs suis prætendat, iniuriam se peccando non facere, sed referre. Quod optime Quintilianus expressit: Homo, inquit, neq; alienĩ matrimonij abstinens, neq; sui custos, quæ inter se natura connexa sunt. Nam neq; maritus circa corrumpendas aliorũ coniuges occupatus, potest uacare domesticæ sanctitati: & uxor, cum in tale incidit matrimonium, exemplo incitata, aut imitari se putat, aut uindicare. Cauendum igitur, ne occasionem uitijs nostra intemperantia demus: sed assuescant inuicem mores duorũ, & iugum paribus animis ferãt. Nos ipsos in altero cogitemus. Nam fere in hoc iustitiæ summa consistit: ut nõ facias alteri, quicquid ipse ab altero pati nolis. Hæc sunt, quæ ad continentiam præcipiuntur à Deo. Sed tamen ne quis diuina præcepta circunscribere se putet posse, addantur illa, ut omnis calumnia, & occasio fraudis remoueatur: adulterum esse, qui à marito dimissam duxerit, & cũ, qui præter crimẽ adulterij uxorem

uxorẽ dimiserit,ut alterã ducat. Dissociari enim corpus,& distrahi Deus uoluit. Prætrea nõ tantũ adulteriũ esse uitandũ,sed etiam cogitationẽ,ne quis aspiciat alienã,& animo cõaptiscat. Adulterã enim fieri mentem, si uel imaginẽ uoluptatis ipsa sibi depinxerit. Mẽs est enim profecto quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructũ cogitatione complectitur; in hac crimen est, in hac omne delictũ. Nam & si corpus nulla sit labe maculatum, nõ constat tamen pudicitiæ ratio,si animus incestus est:nec illibata castitas uideri potest,ubi conscientiã cupiditas inquinauit. Nec uero aliquis existimet difficile esse imponere frenos uoluptati:eamq; uagam & errantẽ,castitatis,pudicitiæq; limitibus includere:cum propositũ sit hominibus omnibus etiam uincere, ac plurimi beatã,atq; incorruptam corporis integritatẽ retinuerũt:multiq; sint qui hoc cœlesti genere uitæ felicissime perfruantur. Quod quidẽ nõ ita Deus fieri præcepit tanq; astringat,quia generari homines oportet,sed tanq; sinat. Scit enim quantam his affectibus imposuerit necessitatẽ. Si quis hoc,inquit,facere potuerit,habebit eximiam,incomparabilemq; mercedẽ. Quod continentiæ genus quasi fastigiũ est,omniumq; cõsummatio uirtutũ. Ad quã si quis eniti,atq; eluctari potuerit,hũc seruum dominus hunc discipulũ magister agnoscet. Hic terram triumphabit,hic erit consimilis Deo,qui uirtutem Dei ceperit. Hæc quidem difficilia uidentur:sed de eo loquimur,cui calcatis omnibus terrenis, iter in cœlũ paratur. Nam quia uirtus in dei agnitione cõsistit, omnia grauia sunt,dũ ignores:ubi cognoueris,facilia. Per ipsas difficultates nobis exeundum est, qui ad summũ bonũ tẽdimus.

De pœnitentia,& fructu eius,& conscientiæ stimulis,& districto dei iudicio:& quibus sacrificiis,& in qua ara possit placari. Ca. XXIIII.

Nec

NEc tamen deficiat aliquis, aut de se desperet, si aut cupiditate uictus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut ui coactus ad iniustitiæ uiam lapsus est. Potest enim reduci, ac liberari, si cum pœniteat actorum: & ad meliora conuersus, satis Deo faciat: quod fieri posse Cicero non putauit: cuius hæc in Academico tertio uerba sunt. Quod si liæret ijs, qui in itinere deerrassent, sic uiam deuiam secutos corrigere errorem pœnitendo, facilior esset emendatio temeritatis. Licet plane. Nam si liberos nostros, cum delictorũ suorum cernimus pœnitere, correptos esse arbitramur: & abdicatos, abiectos q; rursus tamen suscipimus, fouemus, amplectimur: cur desperemus, clementiam dei patris pœnitendo posse placari? Ergo idem dominus, ac parens indulgentissimus, remissurum se pœnitentibus peccata promittit: & obliteraturum omnes iniquitates nostras, si iustitiam denuo cœperimus operari. Sicut enim nihil prodest male uiuenti ante actæ uitæ probitas: quia superueniens nequitia iustitiæ opera deleuit. ita nihil efficiunt peccata uetera correcto: quia superueniens iustitia labem uitæ prioris abolcuit. Quem enim facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoq; Græci melius, & significantius μετάνοιαν dicunt: quàm nos Latini possumus dicere resipiscentiam. Resipiscit enim, quasi suam mentem ab insania receperit, quem errati piget: castigatq; seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius uiuendum: cum idipsum maxime cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Deniq; muta quoq; animalia cum fraude decipiuntur. si aliquo se modo in fugam extricaucrint, fiunt postmodum cautiora: uitantq; semper ea omnia, in quibus dolos, insidiasq; senserunt. Sic hominem pœnitentia cautum, ac diligentem facit ad cuitanda peccata, in quæ semel fraude deciderit. Nemo enim potest esse tam prudens, tam circunspectus, ut non aliquando labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate

pietate aperuit homini portum salutis: ut huic necessitati, cui fragilitas nostra subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret. Ergo quicunq; aberrauerit, referat pedem, seq; quamprimum recipiat, ac reformet. Vnde Vergilius:

Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Degustatis enim male iucundis uoluptatibus, uix diuelli ab his possunt: facilius recta sequerentur, si earum suauitates nō attigissent. Sic si eripiant se malæ seruituti, cōdonabitur his omnis error, si errorem suum uita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit. Scit enim ille omnia, in cuius conspectu uiuimus: nec si uniuersos homines cælare possumus, deū possumus: cui nihil abscōditū est, nihil potest esse secrete. Quod in exhortationibus suis Seneca mirabili sententia terminauit: Magnum (inquit) nescio quid, maiusq; quàm cogitari potest, numen est, cui uiuendo operam damus. Huic nos approbemus. Nā nihil prodest inclusam esse conscientiam, patemus deo. Quid uerius dici potest ab eo, qui deū nosset, q̄ dictum est ab homine ueræ religionis ignaro? Nam & maiestatem dei expressit, maiorē esse dicendo, q̄ ut eā cogitatio mentis humanæ capere posset: & ipsum ueritatis attigit fontem, sentiendo uitā hominum superuacuam non esse (ut Epicurei uolunt) sed deo ab his operam uiuendo dari, siquidem iuste, ac pie uixerint. Potuit esse uerus dei cultor, si quis illi monstrasset: & contempsisset profecto Zenonē, et magistrū suum Socionem, si ueræ sapientiæ ducē nactus esset. Huic nos (inquit) approbemus. Cœlestis prorsus oratio, nisi antecederet ignorantiæ confessio, nihil prodest inclusam habere conscientiā: patemus deo. Nullus ergo mēdacio nullus dissimulationi locus est: quia parietibus oculi hominum submouentur: dei aūt diuinitas nec uisceribus submoueri potest, quo minus totū hominē perspiciat, et norit. Idē in eiusdē operis

primo:

primo: Quid ais (inquit) quid machinaris? quid abscõdis? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium ualetudo. Hære hic, quo carere nunq̃ potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodest nõ habere conscium, habenti conscientiam? Nõ minus mirabiliter de conscientia, & deo Tullius: Meminerit (inquit) deum se habere testem, id est (ut ego arbitror) mentem suam, qua nihil homini dedit ipse diuinius. Item cum de bono, & iusto uiro loqueretur: Itaq; talis uir, inquit, non modo facere, sed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare, purgemus igitur conscientiam, quæ oculus Dei est peruia: & (ut idem ait) semper ita uiuamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur: putemusq; nos mometis omnibus nõ in aliquo (ut ille dixit) orbis terræ theatro ab hominibus, sed desuper spectari ab eo, qui & iudex, & testis ipse futurus est: cui rationem uitæ reposcenti actus suos inficiari non licebit. Ergo satius est aut effugere conscientiam, aut nos ipsos ultro aperire animum, & perniciem rescißis uulneribus effundere: quibus nemo alius mederi potest, nisi solus ille, qui gressum claudis, uisum cæcis reddidit, maculata purgauit mẽbra, mortuos excitauit. Ille ardorẽ cupiditatis extinguet, extirpabit libidines, inuidiam distrahet, iram mitigabit. Ille reddet uerã, & perpetuam sanitatem. Appetenda est hæc omnibus mediãa, quoniã maiori periculo uexatur anima, q̃ corpus: & quampri mum latẽtibus morbis adhibẽda est curatio. Neq; enim si ut atur aliquis oculorũ acie clara, membris omnibus integris, corporis totius fortißima ualetudine: tamen cum non dixerim sanum, si efferatur ira, superbia tumidus inflectur, libidini seruiat, cupiditatibus inardescat: sed cum potius, qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem sanctè uideat, nihil omnino appetat, nõ conupiscat alienũ, nõ inuideat ullis, non

ulli,non fastidiat quenq;:sit humilis,misericors, beneficus,mitis, humanus, pax in animo eius perpetua uersetur.Ille homo sanus, ille iustus,ille perfectus est. Quisquis igitur his omnibus præceptis cœlestibus obtemperauit,hic est ueri dei cultor:cuius sacrificia sunt mansuetudo animi, & uita innocens, & actus bonus. Quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat,quoties bonũ aliquid, ac pium fecerit.Deus enim non desyderat uictimã,neq; muti animalis,neq; mortis,ac sanguinis,sed hominis uitã.Ad quod sacrificiũ neq; uerbenis opus est,neq; fibris,neq; cespitibus,quæ sunt utiq; uanissima,sed ijs,quæ de intimo corde proferũtur. Itaq; in aram Dei,quæ uere maxima est,& quæ in corde hominis collocata coinquinari nõ potest sanguine,iustitia imponitur,patientia,fides,innocentia,castitas,abstinẽtia.Hic est uerissimus ritus, hæc illa lex Dei(ut à Cicerone est dictum)præclara, & diuina, semperq; recta,& honesta iubet: uetatq; praua,& turpia: cui parentem sanctissimæ,ac certissimæ legi iuste ac legitime necesse est uiuere. Cuius legis pauca equidẽ capita posui,quod sum policitus,ea me tantummodo esse dicturũ, quæ summum fastigium uirtuti,& iustitiæ imponerent.Si quis uolet cætera omnia comprehendere,ex fonte ipso petat,unde ad nos riuus iste manauit.

De differẽtia doni,& sacrificii diuini, & forma laudandi Deum, & orationis forma, & fructu. Caput. XXV.

NVnc de sacrificio ipso dicamus pauca. Ebur(inquit Plato)non castum donum deo.Quid ergo? Picta scilicet,& textu preciosa?imò uero nõ castum donũ deo, quicquid furripi, quicqd corrumpi potest. Sed sicut hoc uidit, non oportere uiuenti offerre aliquid,quod sit ex mortuo corpore: cur illud non uidit non debere incorporali corporale munus offerri? Quanto

melius,

melius, & uerius Seneca: Vultis ne uos (inquit) deum cogitare magnum, & placidum, & maiestate leni uerendum amicum: et semper in proximo, non immolationibus, & sanguine multo colendū. Quæ enim ex trucidatione immerentium uoluptas est? Sed mente pura, bono, honestoq; proposito: nō templa illi congestis in altitudinē saxis struenda sunt: in suo cuiq; consecrandus est pectore. Vestes igitur, gemmas, & cætera, quæ habentur in precio, si quis putet Deo chara, is plane quid sit Deus, nescit: cui putat uoluptati esse ea res, quas etiam homo si quis contempserit, iure laudabitur. Quid ergo castū, quid Deo dignum, nisi quod ipse in illa diuina lege sua poposcit? Duo sunt, quæ offerri debeant: donum, & sacrificiū: donum in perpetuum, sacrificium ad tēpus. Verum apud istos, qui nullo modo rationē diuinitatis intelligunt, donum est quicquid auro, argentoq; fabricatur. Nē quicquid serico, & purpura texitur, sacrificium est, & uictimæ & quæcunq; in ara cremantur. Sed utroq; nō utitur Deus: quia & ipse incorruptus est, & illud totum corruptibile. Itaq; Deo utrunq; incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi: sacrificium, laus, & hymnus. Si enim deus non indiget, ergo his rebus coli debet, quæ non uidentur. Nulla igitur alia religio est uera, nisi quæ uirtute, ac iustitia cōstat. Quomodo autē deus iustitia hominis utatur, intellectu facile est. Si enim iustus fuerit homo, accepta immortalitate, in æternū deo seruiat. Homines autem non nisi ad iustitiam nasci, cum philosophi uostercs, tum etiam Cicero suspicatur. Disserēs enim de legibus: Sed omnium (inquit) quæ in hominum doctorum disputatione uersantur, nihil est profecto præstabilius, q̄ plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos. Id ergo solum deo exhibere, atq; offerre debemus, ad quod capiendū nos ipse generauit. Hoc autem duplex sacrificij genus q̄ sit uerissimum, Trismegistus Hermes idoneus testis est: qui nobiscum, id est cum prophetis, quos sequimur, sic

uerba

uerbis,q̃re congruit: & sic de iustitia locutus est: Hoc uerbum ô fili adora,& cole. Cultus autem dei unus est,malum non esse. Item in illo sermone perfecto,cũ exaudisset Asclepium quærentẽ à suo filio,utrum placeret patri eius offerri thus,et alios odores ad sacrificiũ dei,exclamauit: Bene,ô mi nate,ô Asclepi. Est enim maxima impietas tale quid de illo uno,ac singulari bono in animum inducere. Hæc & his similia huic non conueniunt. Omniũ enim quæcunq; sunt,plenus est,& omniũ minime indigens. Nos uero gratias agentes,adoremus. Huius enim sacrificium sola benedictio. Et recte: Verbo enim sacrificari oportet deo: siquidem deus uerbum est,ut ipse cõfessus est. Summus igitur colendi ritus est,ex ore iusti hominis ad deũ directa laudatio: quæ tamen ipsa ut deo sit accepta,& humilitate,& timore,& deuotione maxima opus est: ne quis forte integritatis, & innocentiæ fiduciam gerens,tumoris,& arrogantiæ crimen incurrat: eoq; facto gratiã uirtutis amittat. Sed ut sit deo charus,omniq; macula careat, misericordiam dei semper imploret, nihilq; aliud precetur,nisi peccatis suis ueniam,licet nulla sint. Si quid aliud desyderauit,nõ est opus dicto scienti quid uelimus,si quid ei boni euenerit, gratias agat,si quid mali,satisfaciat,& illud sibi ob peccata sua fateatur euenisse, nihilominus in malis gratias agat, & in bonis satisfaciat,ut idem sit semper & stabilis,& immutabilis,& inconcussus. Nec tantum hoc in templo putet sibi esse faciendum, sed & domi, & in ipso etiam cubili suo. Secum deniq; habeat deum semper in corde suo consecratum, quoniam ipse est Dei templum. Quod si deo patri,ac domino hac assiduitate,hoc obsequio,hac deuotione seruierit,consummata,& perfecta iustitia est, quam qui tenuerit,hic (ut ante testati sumus) deo paruit,hic religioni,atq; suo officio satisfecit.

LIBRI SEXTI FINIS.

L.COELII

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM Institutionum aduersus genteis Liber Septimus & ultimus, De Diuino præmio, & ultimo futuro iudicio.

Quid sit dictum in præcedentibus libris: quid restat dicendum in vltimo: qui sint credituri veritati & qui non, & quare. Cap. I.

BEne habet: iacta sunt fundamenta, ut ait eximius orator. Verum nos non tantum fundamẽta iecimus, quæ firma & idonea essent operi perferendo: sed magnis, robustisq; molibus ædificiũ totũ penè usq; ad summam perduximus. Restat, id quod est multo facilius, uel tegere, uel ornare, sine quo tamen priora opera inutilia sunt, & ingrata. Nã quid prodest, aut falsis religionibus liberari, aut intelligere uerã? quid aut uanitatem falsæ sapiẽtiæ peruidere, aut quæ sit uera cognoscere? quid inquam prodest cœlestem illam iustitiam defendere? quid cũ magnis difficultatibus cultũ Dei tenere, quæ est summa uirtus, nisi eum diuinum præmium beatitudinis perpetuæ subsequatur? De qua nobis est in hoc libro disserendum, ne priora omnia irrita, & infructuosa uideantur: si hoc, cuius causa illa suscepta sunt, in incertum relinquamus: ne quis forte arbitretur tantos labores incassum suscipi, dum corũ cœlesti mercede differt: quam Deus statuit ei, qui hæc suauia terræ bona, pro solã nuda

nudaq; uirtute contempserit. Satis & huic parti faciamus, tum testimonijs diuinarum literarum, tum etiam probabilibus argumentis, ut æque clarum sit, & futura præsentibus, & diuina terrenis, & perpetua breuibus esse anteponenda: quoniam temporalia sunt præmia uitiorum, sempiterna uirtutum. Exponam igitur rationẽ mundi, ut facile possit intelligi, quando, & quare sit effectus à Deo: quod Plato, qui de mundi fabricatione disseruit, nec scire potuit, nec explicare: quippe qui cœleste mysteriũ quod non nisi prophetis, ac Deo docente discitur, ignorabat. Ideoq; in perpetuum dixit esse fabricatũ: quod longe secus est: quoniã quicquid est solido, ac graui corpore, ut initium cœpit aliquãdo, ita finẽ capiat necesse est. Nã Aristoteles, cũ nõ uideret quemadmodum posset tãta rerum magnitudo interire, & hanc præscriptionem uellet effugere: semper ait fuisse mundum, ac semper futurum. Prorsus nihil uidit, quia quicquid est, aliquãdo habuerit principium necesse est: nec omnino quicquam potest esse, nisi cœperit. Nam cum terram, & aquam, & ignem dispexerit, cõsumi, extinguiq; uideamus, quæ sunt utiq; mundi partes, intelligitur totum esse mortale, cuius membra sunt mortalia. Ita fit, ut natum sit, quicquid potest interire: sed & omne quod subiacet oculorũ uenit, & corporale (ut ait Plato) & solubile sit necesse est. Vnus igitur Epicurus, authore Democrito, ueridicus in hac re fuit: qui ait, & ortum aliquando, & aliquando esse peritiurum. Nec tamen rationem ullam reddere potuit, scilicet aut quibus de causis hoc tantum opus, aut quo tempore resoluatur. Quod quoniam nobis Deus reuelauit, nec cõiecturis id assequimur, sed traditione cœlesti, docebimus sedulo, ut tandẽ studiosis ueritas appareat, nec uidisse, nec comprehendisse philosophos ueritatem: sed ita leuiter odoratos, ut tamen unde eos ille odor sapientiæ tam suauis, tã iucundus afflarit, nullo modo senserint. Interim necessarium puto admonere lecturos, quod hæc nostra,

quæ tradimus, prauæ, utiosæq; mentes aut omnino nõ intelligẽt (hebetatur enim acies eorũ terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes grauant, imbecillesq; reddũt) aut etiã si intelligent, dissimulabunt tamen, & esse hæc uera nolent: quia trahuntur à uitijs, & scientes malis suis faucnt, quorũ suauitate capiũtur: & uirtutis uiam deserunt, cuius acerbitate offendũtur. Nã qui auaritia, & opum inexplebili quadam siti flagrant, quia nõ possunt uenditis aut elargitis, quæ amant, tenui cultu uitã degere, sine dubio malunt id esse fictum, quo desyderijs suis renunciare coguntur. Item qui libidinum stimulis incitati (ut ait poëta) in Furias, ignemq; ruunt, utiq; incredibilia nos afferre dicũt: quia uulnerant aures eorum præcepta continentiæ: quæ illos uoluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adiudicauerunt. Qui uero ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt: ne si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omni potentia, & honore contempto humiles uiuere: atq; ita humiles, ut & accipere iniuriam possint & referre nolint, si acceperint. Ii sunt homines, qui contra ueritatem clausis oculis quoquo modo latrant. Qui autẽ sani sunt, uel erũt, id est nõ ita uitijs immersi, ut sanabiles nõ sint, et credibus, & libenter accedẽt: & quæcunq; dicimus, aperta, & plana & simplicia, & quod maxime opus est, uera, & inexpugnabilia illis uidebũtur. Nemo uirtuti fauet, nisi qui sequi potest: sequi autem nõ facile est omnibus. Ii possunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces uirtutis effecit. Nã si uirtus est tolerantia malorũ, nõ capiunt ergo uirtutẽ, qui semper in bonis fuerunt: quia mala neq; experti sunt, neq; ferre possunt assuetudine, ac desyderio bonorũ, quæ sola nouerunt. Eo fit, ut pauperes & humiles Deo credant facilius, qui sunt expediti, q diuites, qui sunt impedimẽtis pluribus implicati: imò catenati, & cõpedi-

seruiũt

seruiunt ad nutũ dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus uinculis irretiuit: nec possunt in cœlum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona, humiq; defixa est, Virtutis autem uia nõ capit magna onera portãtes: angustus admodum trames est, per quem iustitia hominem deducit in cœlũ, hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam isti locupletes multis, & ingentibus sarcinis onerati, per uiam mortis incedunt: quæ latißima est, quoniam late perditio dominatur. His acerba sunt, his uenena, quæ Deus ad iustitiam præcepit: quæq; nos Dei magisterio de uirtute, ac ueritate disserimus. Quibus si repugnare audebunt, necesse est, hostes se esse uirtutis iustitiæq; fateantur. Aggrediar nunc quod superest, ut finis operi poßit imponi. Id autem superest, ut de iudicio dei disseramus: quod tunc constituetur, cũ dominus noster redierit in terrã, ut unicuiq; pro merito, aut præmiũ persoluat, aut pœnã. Itaq; ut in quarto libro de primo aduentu eius diximus, sic in hoc secundũ referamus aduentũ, quem Iudæi quoq; confitentur, & sperant, sed frustra: quoniam necesse est ad eos consolandos reuertatur, ad quos conuocandos prius uenerat: nã qui uiolauerunt impie humilẽ, sentient in potestate uictorẽ. Eaq; omnia, quæ legunt, & nõ intelligunt, Deo repensante patientur: quippe qui peccatis omnibus inquinati, & insuper sancto cruore perfusi, ab illo ipso, cui nefandas manus intulerũt, sint ad terrena supplicia destinati. Sed erit nobis cõtra Iudæos separata materia, qua illos erroris, et sceleris cõuincemus.

Quod aureũ seculum, id est felicissimus status futurus est post iudicium: & quare ratio mundi nõ potest ab homine cõprehẽdi: & quod verã sapiẽtiã nõ assequitur quis beneficio naturę, sed gratię. Cap. II.

NVnc ignaros ueritatis instruamus. Dispositione summi Dei sic ordinatum, ut iniustum hoc seculũ, decurso temporum spatio terminum sumat: extinctáq; protinus omni malitia, & piorum animis ad beatam uitam reuocatis, quietum, tranquillum, pacificum, aureum deniq; (ut poëtæ uocant) seculũ, Deo ipso regnante floreſcat. In primis causa errorum omnium philosophis hæc fuit: quod rationem mundi, quæ totam sapientiam continet, non comprehenderunt, ea uero sensu proprio, & interna intelligentia non potest comprehendi: quod illi sine doctore per seipsos facere uoluerunt. Itaq; in uarias sibi sæpe contrarias sententias inciderunt: ex quibus exitum non haberent, & in eodem luto (sicut Comicus ait) hæsitauerũt, scilicet assumptionibus eorum non respondente ratione: cum assumpsissent quidem uera, sed quæ affirmari, probariq; non possent sine scientia ueritatis, rerumq; cœlestium: quæ (ut sæpe iam dixi) non potest esse in homine, nisi Deo docẽte percepta. Nã si potest homo intelligere diuina, potest & facere. Nam intelligere est quasi è uestigio subsequi. Non potest autem facere, quæ Deus: quia mortali corpore indutus est. Ergo nec intelligere quidem potest quæ fecit Deus. Quod autẽ fieri non possit, ex immensitate rerũ atq; operum diuinorũ facile est unicuiq; metiri. Nam si mundũ cũ omnibus, quæ sunt in eo, cõtemplari uelis, intelliges profecto, quantũ Dei opus humanis operibus anteſtet. Ita quantũ inter opera diuina, & humana interest, tantum distare inter Dei, hominisq; sapientiam necesse est. Nam quia Deus incorruptus, & immortalis, & ideo perfectus, quia sempiternus est, sapientia quoq; eius perinde ut ipsa perfecta est. Nec obstare illi quicq; potest: quia subiectus est passioni, subiecta est & sapientia eius errori: & sicut hominis uitam multæ res impediunt, quo minus possit esse perpetua, ita sapientiam quoq; eius multis rebus impediri necesse est, quo minus in perspicienda penitus ueritate perfecta

perfecta sit. Ergo nulla est humana sapientia, si per se ad notionẽ ueri, scientiamq; nitatur: quoniam mens hominis cũ fragili corpore illigata, & tenebroso domicilio inclusa, neq; liberius euagari, neq; clarius perspicere ueritatẽ potest, cuius notio diuinæ conditionis est. Deo enim soli opera sua nota sunt: homo autem nõ cogitando, aut disputando assequi eum potest, sed discẽdo, & audiendo ab eo, qui scire solus potest, & docere. Idco M. Tullius sententiã Socratis de Platone transferens dicentis, uenisse tẽpus ut ipse migraret è uita: illos autem, apud quos causam suam perorabat, agere uitã. Vtrũ melius sit, inquit, dij immortales sciunt, hominẽ autem arbitror scire neminẽ. Quare necesse est, omnes philosophiæ sectas alienas esse à ueritate: quia homines erant, qui eas constituerunt, nec ullum fundamentum, aut firmitatem possunt habere, quæ nullis diuinarũ uocum fulciuntur oraculis.

Quantum errauerint Stoici de ratione mundi, & authore omnium Deo, & homine, per quẽ factus est mũdus: & quàm manifeste contra Epicurum rationibus doceatur, mundum, & omnia, quæ in eo sunt, Dei prouidentia gubernari. Ca. III.

ET quoniam de philosophorum erroribus loquimur: Stoicã naturam in duas diuidunt partes: unã, quæ effiãt: alterã, quæ se ad faciendum tractabilem præbeat. In illa prima esse uim sentiendi: in hac materiam: nec alterum sine altero esse posse. Quomodo idem esse potest, quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat idem esse figulũ, quod lutum: aut lutũ idem esse, quod figulum: nonne aperte insanire uideatur? At isti uno naturæ nomine duas res diuersissimas comprehenderũt, Deum & mundũ, artificem et opus: dicuntq; alterum sine altero nihil posse, tanq;

natura sit Deus mundo permistus: nam interdum sic confundãt, ut sic Deus ipse mens mundi, & mundus sit corpus Dei. Quasi uero simul esse cœperint mundus, & Deus, ac nõ ipse mundum fecerit: quod & ipsi fatentur aliás, cum hominum causa prædicant esse fabricatum, & esse sine mundo, si uelit, possit. Siquidem Deus est diuina mens, & æterna, à corpore soluta, & libera: cuius uim, maiestatemq; quoniam intelligere non poterant, miscuerunt cum mundo, id est operi suo. Vnde est illud Vergilianum,

Totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Vbi est ergo illud, quod ijdem ipsi aiunt, & factum esse diuina prouidentia, & regi? Si enim fecit mundũ, fuit ergo sine mundo. Si regit, nõ utiq; sicut mẽs corpus regit, sed tanq; dominus domũ nauimq; gubernator, auriga currũ, nec tamẽ misti sunt ijs rebus quas regunt. Nã si hæc omnia, quæ uidemus, Dei membra sunt, iam insensibilis ab his constituitur Deus, quoniã membra sensu carent, & mortalis est, quoniã uidemus membra esse mortalia. Possum enumerare, quoties repentinis quassatæ motibus uel hiauerint terræ, uel descenderint in abruptũ, quoties demersæ fluctibus & urbes, & insulæ abierint in profundũ, frugiferos cãpos paludes inundauerint, flumina, & stagna siccauerint, mõtes etiã uel deciderint abrupti, uel planis fuerint adæquati, plurimas regiones, & multorũ fundamenta montiũ latens et internus ignis absumit. Et hoc parum est, si membris suis non parcit Deus, nisi etiam homini liceat aliquid in Dei corpus. Mária extruuntur, montes exciduntur, & ad eruendas opes interiora terræ uiscera effodiuntur. Quid, quod ne arari quidem sine laceratione diuini corporis potest, ut iam scelerati, & impij simus, qui dei membra uiolemus? Patitur ne ergo uexari corpus suum Deus, & debile se uel ipse facere, uel ab homine fieri sinit? nisi forte diuinus ille sensus, qui mundo, & omnibus mundi partibus permistus est,

primam

primam terræ faciem reliquit, ac se in ima demersit, ne quid doloris de assidua laceratione sentiret. Quod si hoc uanũ, et absurdum est, tam igitur ipsi egucrunt, q̃ hæc indigent sensu, qui non perspexerunt diuinũ quidem spiritum esse ubiq; diffusum, eoq; omnia cõtineri. Nec tamen ita, ut Deus ipse, qui est incorruptus grauibus, et incorruptibilibus elementis misceatur. Illud ergo rectius, quod à Platone sumpserunt, à deo factũ esse mundum, et eius prouidentia gubernari. Oportebat igitur et Platonẽ, et eos qui idem senserunt, docere, atq; explicare, quæ causa, quæ ratio fuerit tanti operis fabricãdi, quare hoc, aut cuius gratia fecerit. At ijdẽ Stoici, hominũ inquiunt causa mundus effectus est, audio. Sed Epicurus ignorat, ipsos homines quare, aut quis effecerit, nã Lucretius, cum diceret mundũ nõ esse à dijs constitutum, sic ait,

Dicere porro hominum causa uoluisse parare
Præclaram mundi naturam,

Deinde intulit,

Desipere est. Quid enim immortalibus, atq; beatis,
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Vt nostra quicquam causa gerere aggrediantur?

Et merito. Illi enim nullã rationẽ affercbant cur humanũ genus uel creatũ, uel institutũ esset à deo. Nostrũ hoc officiũ est, sacramentum mundi, et hominis exponere, cuius illi expertes sacrariũ ueritatis nec attingere, nec uidere potuerũt. Ergo (ut paulo ante dicebam) cũ assumpsissent id, quod erat uerũ, id est mundũ à deo, & hominũ causa esse factũ: tamen quoniam cos in consequentibus ratio defecit, nõ potuerũt defendere id, quod assumpserant. Deniq; Plato, ne Dei opus imbecillum, & ruinosum faceret, in æternũ dixit esse mansurum. Si hominũ causa factus est, & ita factus est, ut esset æternus: cur ergo ipsi, quorũ causa factus est, nõ sunt sempiterni? Si mortales, propter quos factus est, ergo et ipse mortalis, atq; solubilis. Neq; enim pluris est ipse, q̃ ij, quorũ

gratia factus est. Quod si ei ratio quadraret, intelligeret peritu-
rum esse, quia factus est: nec posse in æternum manere, nisi quod
tangi non potest. Qui autem negat hominum causa factum, hic
nullã rationem tenet. Si enim dicit ipsum fabricatorẽ sua causa
tantum, hæc opera esse molitum, cur ergo nos nati sumus? Cur
mundo ipso fruimur? Quid sibi uult humani generis, cæterorũq;
animantiũ fictio? Cur aliena cõmoda intercipimus? Cur demq;
augemur, minuimur, interimus? Quid habet rationis ipsa gene-
ratio? quid perpetua suæsio? Nimirum uidere Deus uoluit, er
suis uarijs imaginibus tanq̃ sigilla confingere, quibus se oblecta
ret: & nihilominus tamen, si ita esset, curæ haberet animantes,
præcipuecq; hominem, cuius imperio cuncta subiecit. Qui autem
dicunt semper fuisse mundum: omitto illud quod esse ipse sine
aliquo principio nõ potest, unde extricare se nequeunt: sed hoc
dico, si semper mundus fuit, nullam potest habere rationem.
Quomodo enim potuit in eo ratio moliri, quod nunq̃ sumpsit
exordium? Nam prius, quàm fiat aliquid, aut struatur, opus est
consilio, ut disponi possit quemadmodum fiat: nec incipi quicq̃
potest sine prouisione rationis. Itaq; omne opus ratio præcedit:
non habet ergo rationem, quod factum non est. Atqui mundus
habet rationem, qua & constat, & regitur. Ergo factus est: &
si factus est, resoluetur. Reddãt ergo isti rationem, si possint, aut
cur factus in principio sit, aut postea resoluatur. Quod quia
docere non poterat Epicurus, siue Democritus, sua sponte natũ
esse dixit, seminibus inter se passim coëuntibus: quibus itcrum
resolutis, dissidium, atq; interitũ secuturum. Corrupit ergo quod
recte uiderat, & totam rationem penitus ignorantia rationis
cuertit: redegitq; mundum, & omnia, quæ in eo geruntur, ad si-
militudinem cuiusdam somni uanissimi: siquidem rebus humanis
nulla ratio subsistat. Cum uero mundum, omnesq; partes eius, ut
uidemus, mirabilis ratio gubernet: cum cœli temperantia, &

æqualis

æqualis in ipsa uarietate cursus astrorum, luminumq; cœlestiũ temporum constans ac mira descriptio, terrarum uaria fœcunditas, plana camporum, munimenta & aggeres montium, uiriditas ubertasq; syluarum, fontium saluberrima eruptio, fluminũ opportuna inundatio, maris opulenta & copiosa interfusio, uentorum diuersa, & utilis aspirato, cæteraq; omnia summa ratione constent: quis tam cæcus est, ut existimet sine causa facta esse, in quibus mira dispositio prouidentissimæ rationis elucet? Si ergo sine causa nec est, nec fit quicquam omnino, si & prouidentia summi Dei ex dispositione rerum, & uirtus ex magnitudine, & potestas ex gubernatione manifesta est: hebetes ergo, & insani, qui prouidentiam non esse dixerunt. Non improbarẽ si deos idcirco non esse dicerent, ut unum dicerent. Cum autem ideo, ut nullum: quicunq; eos deliraſſe non putat, ipse delirat.

Quod omnis res ad aliquẽ vsum facta est, etiam illa, quæ omnino videntur esse mala: & quare homo creatus sit corpore fragili, & capax rationis. Cap. IIII.

SEd de prouidentia satis in primo libro diximus: quia si est, ut apparet ex mirabilitate operum suorum, necesse est etiã hominem, cæteraq; animantes, eadem prouidentia creauerit. Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani: quoniam constat, id quod Stoici dicunt, hominum causa mundum esse fabricatum: quanq; in hoc ipso nõ mediocriter peccent, quod non hominis causa dicunt, sed hominum. Vnius enim singularis appellatio totum comprehendit humanum genus. Sed hoc ideo quoniam ignorant unum hominem à Deo esse formatum: putantq; homines in omnibus terris, & agris, tanq; fungos esse generatos. At Hermes non ignorauit hominem à Deo, & ad Dei similitudinem factum. Sed redeo ad propositum. Nihil est (ut opinor)

opinor) quod sit propter seipsum factum, sed quicquid omnino fit, ad usum aliquem fieri necesse est. Quis enim uel tam ineptus est, uel tam otiosus, ut aggrediatur facere aliquid frustra: ex quo nullam utilitatem, nullum commodum speret? Qui domum ædificat, non idcirco ædificat, ut tantummodo domus sit, sed ut in ea possit habitari. Qui nauem fabricat, non ideo assumit operam, ut tantum nauis appareat, sed ut in ea nauigetur. Item qui uas aliquod instruit, aut format: non propter id facit, ut tantum fecisse uideatur, sed ut uas illud effectum, capiat aliquid necessarium. Similiter cætera, quæcunq; fiunt, non utiq; in superuacuum, sed ad usus aliquos laborantur. Mundus igitur à Deo factus est, nõ utiq; propter ipsum mundum. Neq; enim aut calore solis, aut lumine, aut aspiratione uentorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugũ, cum sensu careat, indiget. Sed ne illud quidem dici potest quod deus propter seipsum fecerit mundũ: quoniã potest esse sine mundo, sicut fuit antea: & ijs omnibus, quæ in eo sunt, quæq; geruntur, Deus ipse non utitur. Apparet ergo animantiũ causa mundum esse constructum: quoniam ijs rebus, quibus constat, animantes fruuntur: quæ ut uiuere, ut cõstare possint, omnia his necessaria tẽporibus certis subministrantur. Rursus cæteræ animãtes, hominis causa esse factas ex eo clarũ est, quod homini seruiunt, & tutelæ eius, atq; usibus data sunt: quoniam siue terrenæ sunt, siue aquatiles, nõ sentiunt mundi rationẽ, sicut homo. Respondendum est hoc loco philosophis, maximeq; Ciceroni, qui ait: Cur omnia nostri causa cum faceret, tantã uim natricũ, uiperarumq; fecerit? cur tam multa pestifera, terra mariq; disperserit? Ingens ad disputandum locus est, sed ut in transcursu breuiter stringendus est. Quoniam homo ex rebus diuersis, ac repugnantibus cõfiguratus est, animo & corpore, id est cœlo atq; terra, tenui, & comprehensibili, æterno, ac temporali, sensibili, atq; bruto, luce prædito, atq; tenebroso, ipsa ratio, ac necessitas exigebat,

exigebat,& bona homini proponi,& mala:bona,quibus utatur:mala,quæ uitet,& caueat.Idcirco enim data est illi sapiẽtia, ut cognita bonorum malorumq; natura,in appetendis bonis,et malis declinandis uim suæ rationis exerceat. Nam cæteris animantibus,quibus sapientia data non est,munita indumentis naturalibus, & armata sunt.Homini autẽ pro his omnibus,quod erat præcipuum,rationem dedit solam.Itaq; nudum formauit,et inermem,ut eum sapientia & muniret,& regeret.Munimenta, & ornamenta eius non foris,sed intus : non in corpore, sed in corde constituit.Nisi ergo essent mala,quæ caueret,quæ à bonis utilibusq; distingueret,nõ esset ei sapiẽtia necessaria. Sciat ergo M.Tullius,aut ideo homini datam esse rationem,ut & pisces caperet usus sui gratia, & natrices, uiperasq; uitaret salutis suæ causa. Aut idcirco bona ei, malaq; proposita,quia sapientiam dæperat:cuius uis omnis in discernẽdis bonis malisq; uersatur. Magna igitur,& recta,& admirabilis est uis,& ratio,& potestas hominis:propter quem mundum ipsum,& uniuersa,quæ cunq; sunt,Deus fecit:tantumq; illi honoris habuit,ut cum præficeret uniuersis:quoniã solus poterat dei opera mirari.Optime igitur Asclepiades noster de prouidentia summi dei disserens,in eo libro,quem scripsit ad me: Atq; adeo (inquit) merito quis arbitretur, proximum sibi locum diuinam prouidentiam dedisse ei,qui potuit intelligere ordinationem suam. Nã sol iste est,quis eum uidet ita,ut intelligat,quia sol est, & quantum gratiæ afferat cæteris institutis? Hoc cœlum est, quis id suspicit? terra hæc, quis eam colit? hoc pelagus,quis in eo nauigat? hic ignis est,quis eo utitur? Instituit ergo summus Deus non propter se, quia nihilo indiget,sed propter hominẽ, qui his congruenter uteretur.

Quare

Quare homo creatus sit,& quare ex contrariis cōstet:& quod ei domicilium constitutum sit in medio:& via duplex proponitur, quarum alteram ministrat natura,alterā largitur gratia. Et quid significet, quod homo primum quadrupedibus cōformatur,& posteà erigitur,& tandem vtitur exercitio rationis. Cap. V.

REddamus nunc rationem, quare hominem ipsum fecerit. Quod si philosophi fecissent, aut defendissent illa, quæ uera inuenerant,aut in maximos errores non incidissent. Hæc est summa,hic cardo rerum est: quem qui non tenuerit, ueritas illi omnis elabitur. Hoc est deniq;,quod efficit illis nō quadrare rationem: quæ illis si effulsisset, si sacramentum hominis omne cognouissent,nunq; disputationes corū, & omnem philosophiā de transuerso Academia iugulasset. Sicut ergo mūdū nō propter se Deus fecit,quia commodis eius non indiget: sed propter hominem,qui eo utitur:ita ipsum hominē propter se. Quæ utilitas Deo in homine,inquit Epicurus,ut eum propter se faceret? Scilicet ut esset qui opera eius intelligeret,qui prouidentiam disponendi,rationem faciendi,uirtutem consummandi,& sensu admirari,& uoce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat. Is enim colit,qui hæc intelligit:is artificem rerū omnium,is uerum patrem suum debita ueneratione prosequitur, qui uirtutem maiestatis eius de suorum operum inuentione,inceptione,perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest,& mundum hominis,& hominem sua causa Deum fecisse,quàm quod ex omnibus animantibus solus ita formatus

est,ut

est,ut oculi eius ad cœlum erecti,facies ad deum spectans,uultus cum suo parẽte communis sit:ut uideatur hominem Deus, quasi porrecta manu alleuatum ex humo,ad contemplationem sui excitasse? Quid ergo,inquit,Deo cultus hominis confert beato,& nulla re indigẽti? uel si tantum honoris homini habuit,ut ipsius causa mundum fabricaret,cumq; diligeret tanq̃ filium,cur mortalem,fragilemq; constituit? cur omnibus malis,quem diligebat, obiecit:cũ oporteret & beatum esse hominem,tanq̃ coniunctũ, & proximũ Deo,& perpetuum,sicut ipse est,ad quem colendũ & contemplandum figuratus est? Quanq̃ hæc fere in prioribus libris sparsim docuimus,tamen quoniã proprie id materia nunc exigit, quia de uita beata disserere propositum est, explicanda sunt ista diligentius,& plenius: ut dispositio Dei, & opus,uoluntasq; nosc̃atur. Cũ posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut angelos genuit, quibus immortalitas sine ullo malorum periculo,& metu constat:excogitauit tamen inenarrabile opus,quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum: quas primo imbecillibus, fragilibusq; corporibus illigatas, constitueret inter bonum, malumq; medias,ut cõstantibus ex utriusq; naturis uirtutem proponeret: ne immortalitatẽ delicate assequerentur,ac molliter,sed ad illud eternæ uitæ incloquibile præmium summa cum difficultate, ac magnis laboribus peruenirent. Ergo ut eos grauibus, & inexibilibus membris indueret, quoniam cõsistere in medio inani nõ poterant,ponderibus & grauitate corporis deorsum premente, sedem illis,ad domicilium primo condendum esse decreuit. Itaq; ineffabili uirtute ac potẽtia,præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudinem leuibus elementis, & grauibus in imis depressis,& cœlestia firmauit,& terrena constituit. Non est necesse nunc exequi singula: quoniam in secundo libro uniuersa excussi sumus. Lumina igitur posuit in cœlo,quorũ moderatione

& claritas

& claritas,et motus aptißimus ad utilitates uiuentiũ tẽperatus est. Terræ autem,quam sedem uoluit esse,fœcunditatem uariam gignendi,ac proferẽdi dedit:ut ubertas frugũ, & herbarum,& uirentiũ pro natura, & usu cuiusq; generis alimoniã miniſtraret.Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionẽ mundi pertinebant,hominẽ finxit ex ipsa terra,quam illi à principio in habitaculum præparauit:id est ſpiritũ ſuum terreno corpore induit, & inuoluit, ut compactus ex rebus diuerſis,ac repugnantibus, bonũ,ac malũ caperet: & ſicut terra ipſa fœcũda eſt ad fruges pariendas,ita corpus hominis,quod aſſumptum eſt è terra,generandi copiã,faultatemq; procreandæ ſobolis acæpit.Vt quoniã fragili materia formatus in æternũ manere nõ poterat,peracto tẽporalis uitæ ſpatio cederet:et illud quod fragile,atq; imbecillũ gereb at,perpetua ſucceſſione renouaret. Cur igitur eũ mortalẽ finxit,atq; fragilem,cum illius cauſa mundũ ædificaſſet? Primũ ut infinita uis animarũ gigneretur, omnemq; terrã multitudine opplcret. Deinde ut proponeret homini uirtutem, id eſt tolerantiam malorum ac bonorum,per quam poſſet præmiũ immortalitatis adipiſci.Nam quia homo ex duabus rebus conſtat,corpore,atq; anima,quorum alterum terrenum eſt,alterum cœleſte, duæ uiæ homini attributæ ſunt: una temporalis, quæ corpori aßignatur:altera ſempiterna,quæ animæ ſubiacet.Illã naſcendo acæpimus,hanc aſſequimur laborando,ne immortalitas hominis (ut ante diximus) ſine ulla difficultate cõſtaret. Illa terrena eſt, ſicut corpus,& ideo finitur: hæc uero cœleſtis,ſicut anima,& ideo terminũ nõ habet.Illam primã neſcientes accepimus,hanc ſecundã ſcientes.Virtuti enim,non naturæ datur,quia uoluit noſter deus uitam nobis in uita comparare.Idcirco hanc nobis præſentem dedit,ut illã ueram,& perpetuam,aut uitijs amittamus,aut uirtute mereamur. In hac corporali nõ eſt ſummũ bonũ:quoniã ut neceßitate diuina nobis data eſt, ita rurſus diuina neceßitate ſoluetur.

soluetur. Itaq; quod finẽ habet, summum bonũ non habet. In illa uero spiritali, quã per nos ipsi acquirimus, summũ bonũ continetur: quia nec malũ potest habere, nec finẽ: cuius rei argumentum natura & ratio corporis præbet. Cætera nanq; animalia in humum uergunt, quia terrena sunt, nec capiunt immortalitatem, quæ de cœlo est. Homo autem rectus in cœlum spectat: quia proposita est illi immortalitas, nec tamen uenit, nisi tribuatur homini à Deo. Nã nihil interesset inter iustũ, & iniustũ: siquidẽ omnis homo natus, immortalis fieret: ergo immortalitas nos sequela naturæ, sed merces præmiumq; uirtutis est. Deniq; homo non statim quando natus est, rectus ingreditur, sed quadrupes primo: quia ratio corporis, & huius præsentis uitæ communis est nobis cũ mutis animalibus. Post deinde confirmatis uiribus erigitur, & lingua eius in eloquiũ soluitur, et mutũ animal esse desinit. Quæ ratio docet mortalẽ nasci hominẽ: postea uero immortalem fieri, cũ cœperit ex deo uiuere: id est iustitiã sequi, quæ continetur in dei cultu: cũ excitauerit hominẽ deus ad aspectum cœli, ac sui. Quod tunc fit, cũ homo cœlesti lauacro purificatus exponit infantiam cum omni labe uitæ prioris: & incremento diuini uigoris acepto, fit homo perfectus, & plenus. Ergo quia uirtutẽ proposuit homini deus, licet anima & corpus cõsociata sint, tamẽ cõtraria sunt, et inpugnant inuicẽ. Animi bona, mala sunt corporis: id est opum fuga, uoluptatum interdictio, doloris mortisq; cõtemptus. Itẽ corporis bona, mala sunt animi: hoc est cupiditas, & libido, quibus & opes appetuntur: & suauitas uariarum uoluptatum, quibus eneruatus animus extinguitur. Ideo necesse est iustum, & sapientem in omnibus malis esse, quoniam malorũ uictrix est fortitudo: iniustos autẽ in diuitijs, in honore in potestate. Hæc enim bona corporalia, & terrena sunt. Illi autem, qui terrenam uitam agunt, nec assequi immortalitatem queunt: quia se uoluptatibus dediderũt, quæ sunt uirtutis inimicæ.

Itaq;

Itaq; uita hæc temporalis illi æternæ debet esse subiecta, sicut corpus animæ. Quisquis ergo animæ uitam malucrit, uitam corporis contemnat necesse est: nec aliter eniti ad summum poterit, nisi quæ sunt ima, despexerit. Qui autem corporis uitam fuerit amplexus, & cupiditates suas in terrã deiecerit, illam superiorẽ uitã consequi non potest. Sed qui mauult bene uiuere in æternũ, male uiuet ad tempus: & afficietur omnibus molestijs, & laboribus, quàm diu fuerit in terra, ut habeat diuinum, ac cœleste solatium. Et qui malucrit bene uiuere ad tẽpus, male uiuet in æternum: quia damnabitur Dei sententia ad pœnam, qui cœlestibus bonis terrena præposuit. Propterea igitur coli se Deus expetit, & honorari ab homine tanquàm pater, ut uirtutem & sapientiam teneat: quæ sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipsum donare eam potest, quia solus possidet pietatem hominis, qui Deum honorauerit: hoc afficietur præmio, ut sit in æternum beatus: sitq; apud Deum, & cum Deo semper.

Item quare mundus creatus sit, quare homo: & quàm inanis sit cultus deorum. Cap. VI.

NVnc totam rationem breui circunscriptione signemus: idcirco mũdus factus est, ut nascamur. Ideo nascimur, ut cognoscamus factorem mundi, ac nostri deum. Ideo agnoscimus, ut colamus. Ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus: quoniam maximis laboribus cultus Dei constat. Ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo patri, ac Deo in perpetuum seruiamus, & simus æterni dei regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium Dei, hoc mysterium mundi: à quo sunt alieni, qui sequentes prasentem uoluptatẽ terrestribus, ac fragilibus bonis se addixerunt, & animas ad cœlestia genitas, suauitatibus mortiferis, tãquàm lutu,

luto, cœnóue demersérunt. Quæramus nunc uicissim, an in cultu deorum ratio ulla subsistat: qui si multi sunt, si ideo tantum ab hominibus colũtur, ut præstent illis opes, honores, uictorias, & quæq; alia, quæ nõ nisi ad præsens ualent, si sine causa gignimur si in hominibus procreandis prouidentia nulla uersatur: si casu nobismetipsis, ac uoluptatis nostræ gratia nascimur, si nihil post mortẽ sumus: quid potest esse tam superuacuum, tam inane, tam uanum, quàm humana res, & quàm mundus iste? qui, cum sit incredibili magnitudine, tam mirabili ratione constitutus, tamẽ rebus ineptis uacet. Cur enim uentorũ spiritus citent nubes? Cur emicent fulgura? tonitrua mugiant? imbres cadant? ut fruges terra producat, ut uarios fœtus alat? Cur denique omnis naturæ rerũ laboret, ne quid desit earũ rerum, quibus uita hominũ sustinetur, si est inanis, si ad nihilum interimus, si nihil est in nobis maioris emolumenti deo? Quod si est dictu nefas, nec putandum est fieri posse, ut non ob aliquam maximam rationẽ fuerit constitutum, quod uideamus maxima ratione cõstare: quæ potest ratio esse in his erroribus prauarum religionũ, & in hac persuasione philosophorũ, qua putãt animus interire? Profecto nulla. Quid enim habent dicere, cur dij hominibus tam diligenter suis quæq; temporibus exhibeant? An ut illis far, & merũ demus, & odorẽ thuris, & sanguinem pecudum? quæ neq; immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia: neq; usui esse expertibus corporum, quia hæc ad usum corporalium data sunt. Et tamen si ea desyderarent, sibijpsi possent exhibere, cum uellent. Siue igitur intereunt animæ, siue in æternum manent, quam rationem continet cultus deorũ, aut à quo mũdus factus est? Cur, aut quando, aut quousq;, quatenus homines, aut quamobrem procreati? Cur nascuntur, intereunt, succedunt, renouantur? Quidue ex cultibus deorum assequuntur, qui post mortem nihil futuri sunt? Quid præstant? Quid pollicentur? Quid minantur aut hominibus,

aut dijs dignum? Vel si manent animæ post obitum, quid de his faciunt, facturiue sunt? Quid illis opus est thesauro animarum? Ipsi illi ex quo fonte oriuntur? Quomodo, aut quare, aut unde multi sunt? Ita fit, ut si ab illa rerum summa, quam superius comprehendimus, aberraueris, omnis ratio intereat, & ad nihilum omnia reuoluantur.

Quare philosophi nequiuerint comprehendere veritatem integrè: quam tamen, sicut exempla declarant, particulatim comprehenderunt totam, sed defendere nequiuerunt. Caput. VII.

QVam summam quia philosophi non comprehenderunt, nec ueritatẽ comprehendere potuerũt: quamuis ea fere, quibus summa ipsa cõstat, et uiderint, et explicauerint: sed diuersi, ac diuerse omnia illa protulerũt, nõ annectentes nec causas rerũ, nec cõsequentias, nec rationes, ut summã illã, quæ continet uniuersa, & cõpingerent, & implerẽt. Facile est autem decere, pene uniuersam ueritatẽ per philosophos, & sectas esse diuisam. Nõ enim sic philosophiã nos euertimus, ut Academici solent, quibus ad omnia respondere propositũ est: quod est potius calumniari, & illudere. Sed docemus, nullã sectã fuisse tã deuiam nec philosophorũ quenq̃ tam inanem, qui nõ uiderit aliquid ex uero. Sed dũ contradicendi studio insaniunt, dũ sua etiam falsa defendunt, aliorũ etiam uera subuertunt: nõ tantum illis ueritas elapsa est, quam se quærere simulabant, sed ipsi etiam potissimũ suo uitio perdiderunt. Quod si extitisset aliquis, qui ueritatem sparsam per singulos, per sectasq; diffusam colligeret in unum, ac redegerit in corpus, is profecto non dissentiret à nobis. Sed hoc nemo facere, nisi ueri peritus, ac sciens potest. Verum autem

scire,

scire,non nisi eius est, qui sit doctus à Deo. Nemo enim potest aliter repudiare quæ falsa sunt:eligere,ac probare quæ uera:sed si uel casu id efficeret,certissime philosopharetur. Et quamuis nõ posset diuinis testimonijs illa defendere, tamen seipsam ueritas illustraret suo lumine. Quare incredibilis est error illorũ,qui,cũ aliquam sectam probaucrint,eiq; se addixerint,cæteras damnãt tanq̃ falsas,et inanes:armantq; se ad præliandum,nec quid defendere debeant scientes,nec quid refutare: incursantq; passim sine delectu omnia,quæ afferunt quicunq; dissentiunt. Ob has eorum pertinacissimas contentiones nulla extitit philosophia, quæ ad uerum propius accederet. Nam particulatim ueritas ab his tota comprehensa est. Factum esse mundum à Deo dixit Plato. Idem prophetæ loquuntur. Idemq; ex Sibyllæ carminibus apparet. Errant ergo qui omnia, uel suâ sponte nata esse dixerunt, uel minutis seminibus conglobatis:quoniam tanta res,tam ornata, tam magna,neq; fieri,neq; disponi,& ordinari sine aliquo prudentissimo authore potuit: & ea ipsa ratio, qua constare, ac regi omnia sentiuntur, solertissimæ mentis artificem confitetur. Hominum causa mundum, & omnia, quæ in eo sunt,esse facta Stoici loquuntur: idem nos diuinæ literæ docent. Errauit ergo Democritus,qui uermiculorũ modo putauit effusos esse de terra nullo authore,nullaq; ratione. Cur enim formatus sit homo,diuini sacramenti est: quod quia ille scire non poterat,humanam uitam deduxit ad nihilum. Ad uirtutem capessendam nasci homines Ariston disseruit:idem nos monemur, ac discimus à prophetis. Igitur falsus Aristippus, qui hominem uoluptati, id est malo,tanq̃ pecudem subiugauit. Immortales esse animas Pherecydes,& Plato disputauerũt. Hæc uero propria est in nostra religione doctrina. Ergo Dicæarchus cum Democrito errauit,qui perire cũ corpore,ac dissolui arguẽtatus est. Esse inferos Zenõ Stoicus docuit,& sedes piorum,ac impijs esse discretas: & illos

quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones: hos uero luere pœnas in tenebrosis locis, atq; in cœni uoraginibus horrendis. Idem nobis prophetæ palam faciũt. Ergo Epicurus errauit, qui poëtarum id esse figmentum putauit, & illas inferorum pœnas, quæ feruntur, in hac esse uita interpretatus est. Totam igitur ueritatem, et omne diuinæ religionis arcanũ philosophi attigerũt. Sed alijs refellentibus defendere id, quod inuenerant, nequiuerũt: quia singulis ratio non quadrauit: nec ea, quæ uera senserant, in summam redigere potuerunt, sicut superius nos fecimus.

De immortalitate animæ, & quibus eam argumentis Plato sit conatus astruere. Caput. VIII.

VNum est igitur summum bonum immortalitas, ad quam capiendam, & formati à principio, & nati sumus. Ad hanc tendimus, hanc spectat humana natura, ad hanc nos prouehit uirtus. Quod bonũ quia comprehendimus, superest etiam, ut de ipsa immortalitate dicamus. Platonis argumenta, quamuis ad rem conferant multum, tamen parum habent firmitatis ad probandam, & implendam ueritatem: quoniam nec rationem mysterij totius magni cõsummauerat, in unumq; collegerat, nec summum bonum comprehenderat. Nam licet uerum de immortalitate animæ sentiret, tamen nõ ita de illo, tanquàm de summo bono disserebat. Nos igitur certioribus signis eligere possumus ueritatem: qui eam nõ ancipiti suspicione collegimus, sed diuina traditione cognouimus. Plato autẽ sic argumentatus est, immortale esse, quicquid per seipsum et sentit, et semper mouetur. Quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum: quia deseri à semetipso non potest. Quod argumentum etiam mutis animalibus æternitatem daret, nisi adiectione sapientiæ discessisset. Addidit igitur, ut effugeret hanc communitatem, fieri non

posse,

posse, quin sit immortalis animus humanus: cuius miranda solertia inueniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi, atq; discendi, & memoria præteritorum, & prouidentia futurorum, & artium plerunq; innumerabilium scientia, qua cæteræ careant animãtes, diuina, & cœlestis appareat: quia origo animi, qui tanta capiat, & tanta contineat, nulla reperiatur in terra: siquidem ex concretione terrena nihil habeat admistum: sed necesse est in terram resolui, quod est in homine ponderosum & dissolubile: quod autem tenue, ac subtile, id uero esse diuiduum, ac domicilio corporis uelut carcere liberatum, ad cœlum & naturã suam peruolare. Hæc fere Platonis collecta breuiter, quæ apud ipsum late, copioseq; explicantur. In eadem sententia fuit etiam Pythagoras antea, eiusdemq; præceptor Pherecydes, quem Cicero tradit primum de æternitate animarum disputasse. Qui omnes, licet eloquentia excellerent, tamen in hac duntaxat contentione, non minus authoritatis habuerũt, qui contra hanc sententiam disserebant: Dicæarchus primo, deinde Democritus, postremo Epicurus: adeo ut res ipsa, de qua inter se pugnabant in dubiũ uocaretur: deniq; & Tullius expositis horũ omniũ de immortalitate, ac morte sentẽtijs, nescire se quid sit ucrũ pronunciauit. Harum (inquit) sententiarum quæ uera sit, deus aliquis uiderit. Et rursus: Quoniã utraq; earũ sententiarum doctissimos habuit authores, nec quid certi sit diuinari potest. Verum opus nobis diuinatione nõ est, quibus ueritatẽ diuinitas ipsa patefecit.

Quæ sit de immortalitate animæ fidelis assertio. Et quod laborũ virtutumq; finis beata æternitas est.

Caput. IX.

His itaq; argumẽtis, quæ nec Plato, nec ullus alius inuenit, animarum æternitas probari, ac perspiã potest: quæ nos

breuiter collegimus: quoniam properat oratio ad narrandum iudicium Dei maximum, quod in terra propinquante seculorum fine celebrabitur. Ante omnia, quoniã deus ab homine uideri nõ potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret Deũ non esse, quia mortalibus oculis nõ uideretur, inter cætera institutorũ suorum miracula fecit etiam multa, quorum uis quidem apparet, substãtia tamen non uideretur: sicut & uox, odor, uentus, ut harum rerũ argumento, & exemplo etiam Deũ, licet sub oculos nõ uenit, de sua tamen ui, & effectu, & operibus cerneremus. Quid uoce clarius? aut uento fortius? aut odore uiolentius? Hæc tamẽ cum per aërem feruntur, ad sensusq; nostros ueniunt, & eos potentia sua impellunt, nõ cernuntur acie luminũ, sed alijs corporis partibus sentiuntur. Similiter Deus non aspectu nobis, aliõue fragili sensu comprehendendus est, sed mentis oculis intuendus: cum opera eius præclara, & miranda uideamus. Nam illos, qui nullum omnino deum esse dixerunt, nõ modo philosophos, sed ne homines quidem esse dixerim: qui mutis simillimi, ex solo corpore constiterunt, nihil omnino cernentes animo, & ad sensum corporis cuncta referentes: qui nihil putabant esse, nisi quod oculis contuebantur. Et quia uidebãt aut bonis accidere aduersa, aut malis prospera, fortuitu geri omnia crediderunt: & natura mundum, non prouidentia constitutum. Hinc iam prolapsi sunt ad deliramenta, quæ talem sententiam necessario sequebantur. Quod si est Deus & incorporalis, & inuisibilis, & æternus, ergo non idcirco interire animam credibile est, quia nõ uidetur, postquam recessit à corpore: quoniã constat esse aliquid sentiens, ac uigens quod non ueniat sub aspectum. At enim difficile est animo comprehendere, quemadmodum possit anima retinere sensum sine ijs partibus corporis, in quibus inest officium sentiẽdi. Quid de Deo? Num facile est comprehẽdere, quemadmodum uigeat sine corpore? Quod si deos esse credũt, qui si sunt, utiq; sunt expertes

corporum,

corporum, necesse est humanas animas eadem ratione subsistere: quoniam ex ipsa ratione, ac prouidentia intelligitur esse quædã in homine, ac Deo similitudo. Deniq; illud argumentũ, quod & M. Tullius uidit, satis firmum est, ex eo æternitatem animæ posse dignosci, quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiã Dei aliquam: religiõq; sit pene sola, quæ hominem discernat à mutis: quæ cum in hominem solum cadat, profecto testatur id affectare nos, id desyderare, id colere, quod nobis familiare, quod proximũ sit futurum. An aliquis, cum cæterarum animantium naturam consyderauerit, quas pronis corporibus abiectas, in terramq; prostratas, summi Dei prouidentia effecit, ut ex hoc intelligi possit, nihil eas rationis habere cum cœlo, potest non intelligere solũ ex omnibus cœleste, ac diuinũ animal esse hominẽ: cuius corpus ab humo excitatum, uultus sublimis, status erectus, originẽ suam quærit, & quasi contempta humilitate terræ ad altum nititur: quia sentit summum bonum in summo sibi esse quærendum memorq; conditionis suæ, qua Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat. Quam spectationẽ Trismegistus θεωρίαν rectissime nominauit, quæ in mutis animalibus nulla est. Cum autem sapientia, quæ soli homini data est, nihil aliud sit, quàm Dei notitia, apparet animam non interire, neq; dissolui, sed manere in sempiternum: quia Deum, qui sempiternus est, & quærit & diligit, ipsa cogente natura, sentiens uel unde orta sit, uel quo reditura. Præterea non exiguum immortalitatis argumentum est, quod homo solus cœlesti elemento utatur. Nã cum rerũ natura his duobus elementis, quæ repugnantia sibi, & inimica sunt, constet, igne & aqua, quorum alterum cœlo, alterum terræ ascribitur: cæteræ animantes, quæ terrenæ, mortalesq; sunt, terreno, grauique utuntur elemento: homo solus ignem in usu habet, quod est elementum leue, sublime, cœleste. Ea uero, quæ ponderosa sunt, ad mortem deprimunt: & quæ leuia sunt, ad

uitam subleuant: quia uita in summo est, mors in imo. Et ut lux esse sine igne non potest, sic uita sine luce. Igitur ignis clementiã est lucis, ac uitæ: unde apparet hominem, qui eo utitur, immortalem sortitum esse conditionẽ: quia id illi familiare est, quod facit uitam. Virtus quoq; homini solidata, magno argumento est, immortales esse animas, quod nec erit secundum naturam, si anima extinguitur. Huic enim præsenti uitæ nocet. Nam uita ista terrena, quam communem cum multis animalibus ducimus, & uoluptatem expetit, cuius uarijs fructibus, ac suauitatibus delectatur: & dolorem fugit, cuius asperitas naturã uiuentium acerbis sensibus lædit, & ad mortem perducere nititur, quæ dissoluit animantes. Si ergo uirtus & prohibet ijs bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur: & ad sustinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur: ergo malum est uirtus, & inimica naturæ, stultumq; iudicari necesse est, qui eam sequitur: quoniam se ipse lædit, & fugiendo bona præsentia, & appetẽdo æque mala sine fine fructus amplioris. Nam cum liceat nobis iucundissimis frui uoluptatibus, nonne sensu carere uideamur, si malimus in humilitate, in egestate, in contẽptu, in ignominia uiuere, aut ne uiuere quidem, sed dolere, cruciari, & mori? Ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo possit uoluptas omissa pensari. Si autem uirtus malum non est: facitq; honeste, quod uoluptates uitiosas, turpesq; contemnit: & fortiter, quod nec dolorem, nec mortem timet, ut officium seruet: ergo maius aliquod bonum assequatur necesse est, quàm sunt illa, quæ spernit. At uero morte suscepta, quod ulterius bonum sperari potest, nisi æternitas?

Item de immortalitate animæ: & quod virtus semel habita perpetuatur, & amitti nõ potest. Et ꝙ vita duplex est, & item mortes duę homini pręponuntur. Ca. V.

Transeamus nunc uicißim ad ea, quæ uirtuti repugnant, ut etiã ex ijs immortalitas animæ colligatur. Vitia omnia temporalia sunt: cum ad præsens enim mouetur iræ impetus recepta ultione sedatur: libidinis uoluptas, corporis finis est: cupiditatem autem satietas earum rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt. Ambitio postq̃ honores, quos uoluit, adepta est, consenescit. Item cætera uitia consistere, ac permanere non possunt: sed ipso fructu, quẽ expetunt, finiuntur. Recedũt ergo, & redeunt. Virtus autẽ sine ulla intermißione perpetua est: nec discedere ab eo potest, qui eam semel cepit. Nã si habeat interuallum, si aliquando ea carere possumus, redibũt protinus uitia, quæ uirtutem semper impugnant. Non est igitur comprehensa, si deserit, si aliquando secedit. Cum uero sibi domicilium stabile collocauit, in omni actu uersari eã necesse est. Nec potest fideliter depellere uitia, et fugare, nisi pectus, quod insedit perpetua statione munierit. Ipsa ergo uirtutis perpetuitas indicat, humanum animum, si uirtutem ceperit, permanere: quia & uirtus perpetua est, & solus animus humanus uirtutem capit. Quoniã igitur contraria sunt uitia uirtuti, omnis ratio diuersa & contraria sit necesse est: quia uitia commotiones & perturbationes animi sunt: uirtus è cõtrario lenitudo, & tranquillitas animi est. Quia uitia tẽporalia, & breuia sunt, uirtus perpetua, & constans, & par sibi semper. Quia uitiorum fructus, id est, uoluptates, æque ut ipsa breues, temporales q; sunt: uirtutis ergo fructus, ac præmium sempiternum est: quia uitiorum commodũ in præsenti est, uirtutis igitur in futuro. Ita fit, ut in hac uita uirtutis præmium nullum sit: quia uirtus adhuc ipsa est. Nam sicut uitia, cum in actu suo finiuntur, uoluptas & præmia eorum sequuntur: ita uirtus, cum finita est, merces eius insequitur. Virtus autem nunquam nisi morte finitur: quoniam & in morte suscipienda summum eius officium est. Ergo præmiũ uirtutis est post

mortem.

mortem. Deniq; Cicero in Tusculanis, quamuis dubitanter, tamẽ sensit, summum homini bonum non nisi post mortẽ contingere. Fidenti animo, inquit, si ita res feret, gradietur ad mortẽ, in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognouimus. Mors igitur non extinguit hominem, sed ad præmiũ uirtutis admittit. Qui autem se (ut ait idem) uitijs, ac scelcribus contaminauerit, uoluptatiq; seruierit, is uero damnatus, æternam luet pœnam: quam diuinæ literæ secundam mortem nominant, quæ est perpetua, & grauissimis cruciatibus plena. Nã sicut duæ uitæ propositæ sunt homini, quarũ altera est animæ, altera corporis, ita & mortes duæ propositæ sunt: una pertinẽs ad corpus, qua cunctos secundum naturam fungi necesse est: altera pertinens ad animã quæ scelere acquiritur, uirtute uitatur: & ut hæc uita tẽporalis est, certosq; terminos habet, quia corporis est, sic & mors æque temporalis est, certumq; habet finem, quia corpus attingit.

De resurrectione corporum mortuorum, & morte, & animarum perpetuitate. Cap. XI.

IMpletis ergo temporibus, quæ Deus morti statuit, terminabitur ipsa mors. Et quia temporalem uitam temporalis mors sequitur, consequens est, ut resurgant animæ ad uitam perennem: quia finem mors temporalis accipit. Rursus, sicut uita animi sempiterna est, in qua diuinos, & ineloquibiles immortalitatis suæ fructus capit: ita et mors eius perpetua sit necesse est, in qua perennes pœnas, & infinita tormenta pro peccatis suis pendet. Ergo in ea cõditione res posita est, ut qui beati sunt in hac uita corporali, atq; terrena, semper miseri sint futuri: quia iã bonis, quæ maluerunt, potiti sunt: quod ijs cuenit, qui deos adorant, deũ negligunt. Deinde qui iustitiam sequentes in hac uita miseri fuerint, & cõtempti, & inopes, & ob ipsam iustitiã cõtumelijs & iniurijs

iniurijs sæpe uexati, quia nec aliter uirtus teneri potest, semper beati sunt futuri: ut quia mala iam pertulerunt, etiam bonis fruantur. Quod his utiq; cõtingit, qui contemptis terrestribus dijs & fragilibus bonis, cœlestem religionem Dei sequuntur, cuius bona, sicut ipse qui tribuit, sempiterna sunt. Quid opera corporis atq; animi? Nonne indicant esse animam mortis expertem? Nã corpus, quia ipsum fragile est, & mortale, quæcunq; opera molitur, æque caduca sunt. Nihil enim Tullius esse ait, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitũ redigatur: uel iniuria hominum, uel ipsa confectrice rerum omnium uetustate. At uero animi opera uidemus æterna. Nam quia cunq; contemptui præsentium studentes, in memoriam monimenta ingeniorum, factorumq; magnorum reliquerunt, ij plane mentis suæ, ac uirtutis nomen indelebile quæsierunt. Ergo si opera corporis ideo mortalia sunt, quia ipsum mortale est: sequitur ex eo, ut anima immortalis appareat, quia uidemus opera eius non esse mortalia. Eodem modo desyderia quoq; corporis, animiq; declarant, alterum esse mortale, alterum sempiternum. Corpus enim nihil, nisi temporale desyderat: id est, cibum, potũ, indumentum, quietem, uoluptatem. Et tamen hæc ipsa sine ui, & adminiculo animi nec cupere, nec assequi potest. Animus autem per se multa desyderat, quæ ad officium, fructúmue corporis non redundent: eaq; non fragilia, sed æterna sunt, ut fama uirtutis, ut memoria nominis. Nam cultũ Dei, qui cõstat abstinentia cupiditatum, ac libidinũ, patientia doloris, ac cõtemptu mortis, etiam contra corpus anima cõcupiscit. Vnde credibile est nõ interire animã, sed dissociari à corpore: quia corpus sine anima nihil potest, animus aũt potest multa, et magna sine corpore. Quid, quod ea, quæ uisibilia sunt oculis, et tangibilia manu, quia æternã uim pati possunt, æterna nõ sunt? Ea uero, quæ neq; sub tactum, neq; sub uisum ueniunt, sed tantummodo uis eorũ, et ratio, et effectus

apparet,

apparet, æterna sunt: quia nullã uim patiũtur extrinsecus: corpus aũt si ideo mortale est, quia uisui pariter, ac tactui subiacet: ergo et anima idcirco immortalis est, quia nec tãgi potest, nec uideri.

Item de immortalitate animę contra Lucretium, & Epicurũ. Et de differentia mẽtis & animę, & corporũ resurrectione. Cap. XII.

NVnc argumenta eorum, qui contradixerunt, refellamus, quæ Lucretius tertio libro executus est: quoniam cum corpore, inquit, anima nascitur, cũ corpore intercat necesse est. At nõ est par utriusq; ratio: Solidum enim, & comprehensibile corpus est, & oculis, & manu: anima uero tenuis, & tactum, ut sumq; fugiens. Corpus ex terra fictum, atq; solidatum est: anima in se nihil concreti, nihil terreni ponderis habet, ut Plato disserebat. Nec enim tantam posset habere solertiã, tantam uim, tantã celeritatem, nisi originẽ traheret è cœlo. Corpus igitur, quoniã fictum ex ponderoso, & corruptibili elemento, & tangibile est, & uisibile, corrũpitur, atq; occidit: nec uim repellere potest, quia sub aspectum, & sub tactum uenit. Anima autem, quia tenuitate sua omnem tactũ fugit, nullo ictu dissolui potest. Ergo quamuis inter se coniuncta, & sociata nascantur: & alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi uasculum sit alterius, quod est à cœlesti subtilitate deductum, cum uis aliqua utrunq; discreuerit, quæ discretio mors uocatur: tum utrunq; in naturam suam recedit: quod ex terra fuit, id in terram resoluitur: quod ex cœlesti spiritu, id cõstat, ac uiget semper: quoniam diuinus spiritus sempiternus est. Deinde idem Lucretius oblitus quid asseruerit, & quod dogma defenderet, hos uersus posuit:

Cedit idem retro, de terra quod fuit ante,
In terras: & quod missum est ex ætheris oris,

Id rursus

Id rursum cœli rellatum templa receptat.

Quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat: sed uictus est ueritate, & imprudenti ratio uera surrepsit. Præterea idipsum, quod colligit, dissolui animam, hoc est, simul cum corpore interire, quoniam simul nascantur, & falsum est, & in contrarium conuerti potest. Non enim simul interit, sed anima discedente integrum per multos dies manet: & plerunq; medicatum diutißime durat. Nam si ut simul nascuntur, simul interirent, nõ discederet repẽte anima, corpusq; desereret, sed uno temporis puncto utrunq; pariter dißiparetur: & tam celeriter etiam corpus, adhuc spiritu in eo manẽte deliquesceret, ac periret, quàm celeriter anima discedit. Imò uero dissoluto corpore anima uanesceret, uelut humor fracto uase diffusus. Nam si terrenum, & fragile corpus post secessum animæ non statim defluit, in terramq; tabescit, ex qua illi origo est: ergo anima, quæ fragilis non est, in æternum manet: quoniã origo eius æterna est. Quoniam crescit, inquit, sensus in pueris, & in iuuenibus uiget, & in senibus diminuitur, apparet esse mortalem. Primum, non est idem mens, & anima. Aliud est enim quo uiuimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium mens, non anima sopitur: & in furiosis mens extinguitur, anima manet: & ideo non exanimes, sed dementes uocãtur. Mens ergo, id est intelligentia, uel augetur uel minuitur pro ætate. Anima in statu suo semper est, ex quo tempore spirandi accepit facultatem: eadem usq; ad ultimum durat, donec emissa corporis claustro, ad sedem suam reuolet. Deinde, quod anima, quamuis à Deo sit inspirata, tamen quia tenebroso domicilio terrenæ carnis inclusa est, scientiam non habet, quæ est diuinitatis. Audit ergo, ac discit omnia, & sapientiam discendo, & audiendo capit: & senectus non minuit sapientiam, sed auget, si tamen iuuenilis ætas uirtute decursa est. Sed si nimia senectus fregerit membra, non est animæ uitium, si

uisus

uisus euanuit, si lingua torpuit, si auditus obsorduit, sed corporis. At enim memoria defecit: quid mirum, si labētis domicilij ruina premitur mens, & præterita obliuiscitur, non aliter futura diuina, q̃ si carcerem, quo cohibetur, effugerit? Verū eadem (inquit) dolori ac luctui obnoxia est, & ebrietate demētiæ, unde fragilis & mortalis apparet. Idcirco igitur uirtus, & sapientia necessaria est, ut & mœror, qui contrahitur indigna patiendo, ac uidendo, fortitudine repellatur: & uoluptas non modo potandi, sed etiam cæterarum rerum abstinētia superetur. Nam si careat uirtute, si uoluptatibus dedita molliatur, morti fiet obnoxia: quoniam et uirtus (ut docuimus) immortalitatis est fabricatrix, & uoluptas, mortis. Mors autem (sicut ostendi) non funditus perimit, ac delet, sed æternis afficit cruciatibus. Nam interire prorsus anima non potest: quoniam ex Dei spiritu, qui aeternus est, originem cepit. Anima etiam (inquit) morbum corporis sentit, & obliuionem sui patitur. Et sicut ægrescit, sic etiam sæpe sanatur. Hoc est ergo, cur maxima uirtus adhibēda sit: ne ullo corporis dolore frangatur, & obliuionē suam non anima, sed mens patiatur. Quæ quoniã certa corporis regione consistit, cũ eam partem uis aliqua morbi uitiauerit, mouetur loco, & quasi conquassata de sede sua migrat, reditura scilicet cũ medela, & cum sanitas domiciliũ suum reformauerit. Nã quia anima est iuncta cũ corpore, si uirtute careat, cõtagio eius ægrescit: & imbecillitas de societate fragilitatis redundat ad mentē. Cum autem dissociata fuerit à corpore, uigebit ipsa per se, nec ulla iam fragilitatis conditione tentabitur, quia indumentũ fragile proiecit. Sicut oculus (inquit) euulsus à corpore, ac separatus nihil potest uidere: ita & anima separata nihil sentire: quia & ipsa pars est corporis. Falsum hoc, & dissimile est. Anima enim nō pars corporis sed in corpore est. Sicut id quod uase continetur, uasis pars non est: nec ea quæ in domo sunt, partes domus esse dicuntur: ita nec

anima

anima pars est corporis, quia corpus uel uas animæ est, uel receptaculum. Iam illud argumentum multo magis inane est, quo ait animam, quia non citius emittatur è corpore, mortalem uideri, sed paulatim se ex omnibus membris explicet, à summis pedibus inapiens: quæ si esset æterna, uno temporis momento erumperet, quod fit in ijs, qui ferro intereunt. Quos autē morbus interimit, spiritum diutius exhalant, ut paulatim frigescentibus membris anima effletur: quæ cū materia sanguinis cōitneatur, sicut lumen oleo, ea materia febrium calore cōsumpta, necesse est membrorū summa quæq; frigescere: quoniā uenæ exiliores in extrema corporis porrigūtur: & extremi, ac tenuiores riui deficiente uena fontis arescunt. Nec tamen, quia sensus corporis deficit, animæ sensum extingui, & occidere putandū est. Non enim anima corpore deficiente, sed corpus anima decidēte putrescit: quia sensum omnem trahit secum. Cum autem præsens anima sensum tribuat corpori, et uiuere id efficiat, fieri nō potest, ut nō ipsa per se uiuat & sentiat: quoniam & ipsa est & sensus & uita. Nā quod ait:

Quod si immortalis nostra foret mens,
Non tam se moriens dissolui conquereretur,
Sed magis ire foras, uestemq; relinquere, ut anguis,
Gauderet.

Equidem nunq̄ uidi qui quereretur se morte dissolui: sed ille fortasse Epicurcum aliquē uiderat, etiam dū moritur, philosophantē ac de sua dissolutione in extremo spiritu disserentem. Quomodo sciri potest, utrum dissolui se sentiat, an corpore liberari, cum in exitu lingua mutescat? Nā dū sentit, et loqui potest, nondū dissolutus est: ubi dissolutus est, nec sentire iam, nec loqui potest. Ita queri de dissolutione aut nondū potest, aut iā nō potest. At enim prius q̄ dissoluatur, intelligit se dissolutū iri. Quid, quod uidemus plerosq; morientium, nec dissolui conquerentes (ut ait) sed exire se, & proficisci, & ambulare testātes: idq; aut gestu significant,

aut si

aut si adhuc possunt,& uoce pronunciant? Vnde apparet non dissolutionem fieri,sed separationem,quæ declarat animam permanere.Cætera Epicurei dogmatis argumenta, Pythagoreæ repugnant disserenti, migrare animas de corporibus uetustate ac morte cõfectis,& insinuare se nouis & recens natis:& eadem semper renasci,modo in homine,modo in pecude,modo in bestia modo in uolucre:& hac ratione immortales esse,quod sæpe ad riorum, ac dissimilium corporum domicilia commutent. Quæ sententia deliri hominis, quoniam ridicula, & mimo dignior, quàm † schola † Aliter scholastico fuit,nec refelli quidem serio debuit.Quod qui facit, uidetur uereri ne quis id credat. Pretexrenda sunt igitur nobis ea, quæ pro falso contra falsum disserebantur:satis est ea refutasse,quæ contra uerum disputata sunt.

Quibus testimoniis immortalitas animæ approbatur,& futurũ iudicium Dei. Et quantum Aristoxenus alios vicerit errore. Caput. XIII.

DEclaraui(ut opinor) animam nõ esse solubilem: superest citare testes,quorum authoritate argumenta firmentur. Neq; nunc prophetas in testimonium uocabo:quorum ratio,& diuinatio in hoc solo posita est,ut ad cultum Dei,& ad immortalitatem ab eo accipiendam creari hominem doceant: sed cos potius, quibus istos qui respuunt ueritatem, credere sit necesse. Hermes naturam hominis describens,ut doceret quemadmodum esset à deo factus,hæc intulit: καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τῆς τε ἀθανάτου καὶ τῆς θνητῆς μίαν ἐποίει φύσιν ἄνθρώπου,τὸν αὐτὸν πᾶ μὲν ἀθάνατον,πᾶ δὲ θνητὸν ποιήσας,καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ θείας,καὶ ἀθανάτου φύσεως,καὶ τῆς θνητῆς, καὶ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν πάντα,πάντα καὶ θεωμάσῃ. Id est: Et ide ex utraq; natura,

natura, immortali atq; mortali, unam faciebat naturã hominis, eundem partim immortalem, partim mortalem faciens: et hunc ferens in medio diuinæ & immortalis naturæ, & mortalis mutabilisq; collocauit, ut omnia uidens, omnia miraretur. Sed hũc fortasse aliquis in numero philosophorum computet: quamuis in deos relatus, Mercurij nomine ab Aegyptijs honoretur, nec plus ei authoritatis tribuat, q̃ Platoni, aut Pythagoræ. Maius igitur testimonium requiramus. Polytes quidam consuluit Apollinem Milesium, utrúmne maneat anima post mortem, an resoluatur. Et respondit his uersibus:

ψυχὴ μὲν μέχρι οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται
φθαρτὰ νοοῦσα πάθη θνητοῖς ἀλγηδόσιν ἐείκει
Ηνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαραν θὲν
ωκίστην εὕρηται ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται
αἰ ἐν ἀγήρασι, οὖσα μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτειρής
πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Id est: Anima quidem quoad uinculis corporeis tenetur,
Corruptibiles paßiones sentiens, mortalibus cedit doloribus.
Quum uero humanam solutionem uelocißimam,
Post corruptum corpus inuenerit, omnis in æthera fertur,
Nunquam senescens, & manet in totum indomita,
Primogenita enim hoc diuina disposuit prouidentia.

Quid carmina Sibyllina? Nonne ita esse declarant: cum fore aliquando denunciant, ut à Deo de uiuis, ac mortuis iudicetur? quorum exempla paulo post inferemus. Falsa est igitur Democriti, & Epicuri, & Dicæarchi de animæ dissolutione sententia: qui profecto nõ auderent de interitu animarum mago aliquo præsente disserere: qui sciret certis carminibus ciere ab inferis animas, & adesse, & præbere se humanis oculis uidendis, & loqui, & futura prædicere. Et si auderent, re ipsa, & documentis præsentibus uincerentur. Sed quia non peruidebant animæ rationẽ,

quæ tam ſubtilis eſt,ut oculos humanæ mentis effugiat, interire dixerũt. Quid Ariſtoxenus,qui negauit ullã omnino eſſe animã etiam cum uiuit in corpore? Sed ſicut in fidibus ex intentione neruorum effici concordem ſonum,atq; cantũ,quem Muſici harmoniam uocant,ita in corporibus ex cõpage uiſcerũ,ac uigore membrorũ uim ſentiendi exiſtere, quo nihil dici delirius poteſt. Ille oculos habuit incolumes,cor tamen cæcum: quia ſe habere mentẽ,qua idipſum cogitauerat,nõ uidebat. Sed pleriſq; hoc philoſophis accidit,ut putarẽt omnino nõ eſſe,quicquid oculis nõ apparet: cũ mentis acies multo clarior eſſe debeat,quàm corporis, ad ea perſpicienda,quorũ uis,ac ratio ſentitur potius,q̃ uidetur.

De fine mũdi,& errore Chaldæorũ. De ætate mũdi,& quod poſt ſex ætates,id eſt ſex mille annorũ,ſtatus mũdi mutabitur & renouabitur: & quod mille anni ſunt vnus dies dei:& q̃ mille annos regnabũt electi dei in terra poſt iudiciũ. Ca. XIIII.

QVoniam de immortalitate diximus animæ, ſequitur,ut doceamus,quatenus homini,& quando tribuatur: ut in hoc quoq; prauitatis,& ſtultitiæ ſuæ perſpiciant errores, qui mortales quoſdam decretis placitiſq; mortaliũ deos eſſe factos opinantur: uel quod artes inuenerant,uel quod uſum quarundam frugum docuerant, uel quod utilia uitæ hominum prodiderant,uel quod immanes beſtias interemerant. Quæ merita,q̃ longe ab immortalitate ſemota ſint, & docuimus in prioribus libris,& nunc docebimus: ut appareat ſolam eſſe iuſtitiam,quæ uitam homini pariat æternam: & ſolum deum,qui æternæ uitæ præmium largiatur. Nam illi, qui ſuis meritis immortales facti eſſe dicuntur: quia nec iuſtitia, nec ulla in his uera uirtus fuit:

non im-

non immortalitatem sibi, sed mortẽ peccatis, ac libidinibus quæsierunt. Nec cœleste præmium, sed inferna supplicia meruerunt, quæ pendunt simul cum ijs omnibus, qui eos coluerunt. Cuius tu dicij propinquare tempus ostendam: ut & iustis merces digna soluatur, & pœna merita impijs irrogetur. Plato & multi alij philosophorum, cum ignorarent originem rerum, supremumq; illud tempus, quo mundus esset effectus, multa millia seculorum fluxisse dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi ornatus extiterit: sicuti fortasse Chaldæi, qui (ut Cicero tradidit in libro de diuinatione primo) quadringenta septuaginta millia annorum monumentis cõprehensa se habere delirant, in quo se quia posse argui nõ putabant, liberum sibi crediderũt esse mẽtiri. Nos autẽ quos diuinæ literæ ad scientiam ueritatis erudiunt, principium mũdi, finemq; cognouimus, de quo nũc in fine operis disseremus: quoniã de principio in secũdo libro explicauimus. Sciant igitur philosophi, qui ab exordio mũdi scalorũ millia enumerãt, nondũ sextũ millesimum annũ esse conclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, et humanarũ rerũ statũ in melius reformari: cuius rei argumentũ prius est enarrandũ, ut ratio elucescat. Mundũ Deus, & hoc naturæ admirabile opus (sicut arcanis sacræ scripturæ cõtinetur) sex dierũ spatio consummauit, diemq; septimũ, quo ab operibus requieuit, sanxit. Hic est autem dies sabbati, qui in lingua Hebræorũ à numero nomen accepit: unde septenarius numerus legitimus & plenus est. Nã & dies septem sunt, quibus per uicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum: & septem stellæ, quæ nõ occidunt: & septem sydera, quæ uocantur errantia: quorum dispares cursus, & inæquales motus rerum, ac temporum uarietates efficere creduntur. Ergo quoniã sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula, id est sex millia manere in hoc statu mundũ necesse est. Dies enim magnus dei mille annorũ circulo terminatur. Vt indicat propheta dicẽs:

Ante oculos tuos domine mille annorum tanquàm dies unus.
Et sicut Deus sex illos dies in tantis rebus faciendis laborauit,
ita & religio eius, & ueritas in his sex millibus annorum labo
rare necesse est, malitia prævalente, ac dominante. Et rursus,
quoniam perfectis operibus requieuit die septimo, cumq; bene-
dixit, necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis
aboleatur è terra, & regnet per annos mille iustitia: sitq; tran-
quillitas, & requies à laboribus, quos mundus iam diu perfert.
Verum quatenus id eueniat, explicabo suo ordine. Sæpe diximus
minora & exigua magnorũ figuras & permonstrationes esse:
& hunc diem nostrũ, qui ortu solis, & occasu finitur, diei magni
speciem gerere, quem circuitus annorũ mille determinat. Eodem
modo etiam figuratio terreni hominis, cœlestis populi præfera-
bat in posterum fictionem. Nam sicut perfectis omnibus, quæ in
usum hominis molitus est deus, ipsum hominem sexto die ultimũ
fecit: cumq; induxit in hunc mundum, tanquam in domum iam
diligenter instructam. Ita nunc sexto die magno, uerus homo
uerbo Dei fingitur: id est sanctus populus doctrina, et præceptis
Dei ad iustitiam figuratur. Et sicut tunc mortalis, atq; imper-
fectus è terra fictus est, ut mille annis in hoc mundo uiueret: ita
nunc ex hoc terrestri seculo fingitur homo perfectus, ut uiuifi-
catus à Deo, in hoc eodem mundo per annos mille dominetur.
Quomodo autem consummatio futura sit, & qualis exitus hu-
manis rebus impendeat, si quis diuinas literas fuerit scrutatus,
inueniet. Sed & secularium prophetarum congruentes cum cæ-
lestibus uoces, finem rerum, & occasum post breue tempus an-
nunciant: describentes quasi fastigati, & dilabentis mundi ulti-
mam senectutem. Quæ uero à prophetis, & uatibus futura esse
dicantur prius quàm superueniat extrema illa cõclusio, collecta
ex omnibus, & coacernata subnectam.

Quod

Quod submersio Pharaonis, & Aegyptiorum, & liberatio Hebræorum de seruitute Aegypti præfigurauit liberationẽ electorum, & reprobationem damnatorum, quæ futura est in fine mundi. Et ꝙ signa multa, sicut illam, ita & hanc præcedent liberationẽ. Et quod Rhomanũ imperiũ ante delebitur. Et ꝙ in Asiam summa potestas omnium reuertetur. Et quibus ætatũ gradibus Rhoma creuerit, & deficiet. Caput. XV.

EST in arcanis sanctarũ literarũ, transcendisse in Aegyptũ cogente inopia rei frumentariæ, principem Hebræorum, cum omni domo, & cognatione: cuius & posteri, cum diutius in Aegypto commorãtes, in magnã gentem creuissent, & grauiq; intolerabili seruitutis iugo premerentur, percußit Aegyptũ Deus insanabili plaga: & populum suum liberauit traductum medio mari, discißis fluctibus, & in utranq; partem dimotis, ut per siccum populus graderetur. Conatusq; rex Aegyptiorum profugos insequi, cœunte in statum suum pelago, cum omnibus copijs interceptus est. Quod facinus tam clarũ, tamq; mirabile, quamuis ad præsens uirtutem Dei hominibus ostenderet, tamen præsignificatio, & figura maioris rei fuit, quam Deus idem in extrema temporis consummatione facturus est. Liberauit enim plebem suam de graui seruitute mundi. Sed quoniam tunc una plebs Dei, & apud unã gentẽ fuit, Aegyptus tunc sola percussa est. Nũc autẽ, quia Dei populus ex omnibus linguis cõgregatus,

apud omnes gentes commoratur, & ab his dominantibus premitur, necesse est uniuersas nationes, id est orbem totũ, cœlestibus plagis uerberari, ut iustus, & cultor Dei populus liberetur. Et sicut tunc signa facta sunt, quibus futura clades Aegypti ostenderetur: ita in ultimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus uniuersis gentibus intelligatur. Propinquante igitur huius seculi termino, humanarum rerum statum cõmutari necesse est, & in deterius nequitia inualescente prolabi: ut iam nostra hæc tempora, quibus iniquitas & malitia usq; ad summum gradum creuit, in illius tamen insanabilis mali comparatione felicia, & prope aurea possint iudicari. Ita enim iustitia rarescet: ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebrescet: ut si qui tum forte fuerint boni, prædæ sint sceleratis, ac diucxentur undiq; ab iniustis: soli autem mali opulẽti sint, boni uero in omnibus cõtumelijs, atq; in egestate iactentur. Confundetur omne ius, & leges peribunt. Nihil tunc quispiam habebit, nisi aut quæsitum, aut defensum male: audacia, & uis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, nõ pax, non humanitas, non pudor, non ueritas erit. Atq; ita neq; fœcunditas, neq; regimẽ, neq; requies à malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur frement undiq; bella: omnes gentes in armis erunt, & se inuicem oppugnabũt. Ciuitates finitimæ inter se præliabuntur. Et prima omniũ Aegyptus stultarũ superstitionũ luet pœnas, & sanguine uelut flumine operietur. Tum peragrabit gladius, orbem metens omnia, & tanq̃ messem cuncta prosternens. Cuius uastitatis, & confusionis hæc erit causa, quod Rhomanũ nomẽ, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurũ est) tolletur de terra, & imperiũ in Asiam reuertetur, ac rursus orientes dominabitur, atq; occidẽs seruiet. Nec mirũ cuiq̃ debet uideri, si regnũ tanta mole fundatũ, ac tã diu per tot, et tales uiros auctũ tantis deniq; opibus confirmatum, aliquando tamen corruet.

Nihil

Nihil est humanis uiribus laboratũ, quod nõ ab humanis æque uiribus destrui posſit. Quoniam mortalia sunt opera mortaliũ. Sic & alia prius regna, cũ diutius floruissent, nihilominus tamẽ occiderunt. Nã Aegyptios, & Persas, & Græcos, & Assyrios, proditũ est regimẽ habuisse terrarũ: quibus omnibus destructis, ad Rhomanos quoq; rerũ summa peruenit. Qui quanto cæteris omnibus regnis antestant, tanto maiore decidẽt lapsu: quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora. Nõ insite Seneca Rhomanæ urbis tempora distribuit per ætates. Primam enim dixit infantiã sub rege Rhomulo fuisse, à quo & genita, et quasi educata sit Rhoma. Deinde pueritiam sub cæteris regibus à quibus et aucta sit, et disciplinis pluribus, institutisq; formata. At uero Tarquinio regnante, cũ iam quasi adulta esse cœpisset, seruitium nõ tulisse: & reiecto superbæ dominationis iugo, maluisse se legibus obtemperare, q̃ regibus. Cumq; esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum deniq; confirmatis uiribus cœpisse iuuenescere. Sublata igitur Carthagine, quæ diu æmula imperij Rhomani fuit, manus suas in totum orbẽ terra mariq; porrexit: donec regibus cunctis, & nationibus subiugatis, cum iam bellorũ materia deficeret, uiribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata ciuilibus, atq; intestino malo pressa, rursus ad regimẽ singularis imperij recidit, quasi ad alteram infantiam reuoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce & authore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non ualeret, nisi adminiculo regentium niteretur. Quod si hæc ita sunt, quid restat, nisi ut sequatur interitus senectutem? Et id futurum breui, conciones prophetarum denunciant sub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat. Sibyllæ tamen aperte interituram esse Rhomam loquuntur, & quidem iudicio Dei: quod nomen eius habuerit inuisum, et inimica iustitiæ alumnũ ueritatis populũ trucidarit.

Hydaspes quoq; , qui fuit Medorum rex antiquissimus, à quo amnis quoq; nomen acepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabilis omniũ, sub interpretatione uaticinantis pueri ad memoriã posteris tradidit, sublatum iri ex orbe imperium: nomenq; Rhomanum multo ante præfatus, quàm illa Troiana gens cõderetur.

Quomodo imperii vẽtura sit destructio & quæ illam signa præcessura sint, secundum vaticinia prophetarum, & Sibyllę. Caput. XVI.

QVomodo autem id futurum sit, ne quis incredibile arbitretur, ostendam. In primis multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata, & concisa, minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serẽtur, nec ulla requies bellis exitialibus erit, donec & reges decem pariter existant, qui orbẽ terræ, non ad regendum, sed & consummandũ partiantur. Hi exercitibus in immensum auctis, & agrorum cultibus destitutis, quod est principium euersionis, & cladis, disperdent omnia, & comminuent, & uorabunt. Tunc repente aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagę septẽtrionalis orietur: qui tribus ex eo numero delctis, qui tunc Asiam obtinebũt, assumetur in societatem à cæteris, ac princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione uexabit orbẽ: diuina & humana miscebit: infanda dictu, & execrabilia molietur: noua consilia in pectore suo uolutabit, ut proprium sibi constituat imperium: & leges commutabit, & suas sanciet, cõtaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Deniq; immutato nomine atq; imperij sede translata, confusio ac perturbatio humani generis consequetur. Tam uero detestabile, atq; abominandũ tẽpus existet, quo nulli hominum sit uita iucunda. Eruentur funditus ciuitates, atq; interibunt non modo ferro, atq; igni, uerumetiam terræmo-

terremotibus aſsiduis,& eluuie aquarũ,& morbis frequẽtibus, & fame crebra. Aër enim uitiabitur, & corruptus,ac peſtilens fiet: & modo importunis imbribus, modo inutili ſiccitate,nunc frigoribus,nunc æſtibus nimijs: nec terra homini dabit fructum nec ſeges quicq̃,non arbor,non uitis feret. Sed cum in flore ſpem maximam dederint,in fruge decipient. Fontes quoq; cum flumi-nibus areſcent,ut ne potus quidẽ ſuppetat: & aquæ in ſanguinẽ aut amaritudinẽ mutabuntur. Propter hæc deficient & in terra quadrupes,et in aëre uolucres,et in mari piſces. Prodigia quoq; in cœlo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundẽt, & crines cometarum,& ſolis tenebræ,& calor lunæ,& caden tium ſyderũ lapſus. Nec tamẽ hæc uſitato modo fient,ſed exiſtẽt ſubito,& ignota,& inuiſa oculis aſtra: ſol in perpetuum fuſca bitur,ut uix inter noctẽ dieq̃; diſcernatur. Luna iam nõ tribus deficiet horis,ſed perpetuo ſanguine offuſa,meatus extraordina rios peraget: ut non ſit homini promptum, aut ſyderum curſus, aut rationẽ temporum agnoſcere. Fiet enim uel æſtas in hyeme, uel hyems in æſtate. Tũc annus breuiabitur,& menſis minuetur & dies in anguſtum coartabitur. Stellæ uero creberrimæ cadent ut cœlum omne cæcum ſine ullis luminibus appareat. Montes quoq; altiſſimi decident,& planis æquabuntur: mare innauiga bile conſtituetur. Ac ne quid malis hominum, terræq; deſit, au dietur de cœlo tuba: quod hoc modo Sibylla denunciat dicens:

σάλπιγξ ὐψοθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.

Id eſt: Tuba de cœlo uocem luctuoſam emittet.

Itaq; trepidabunt omnes,& ad luctuoſum illum ſonitum contre miſcent. Tunc uero per iram Dei aduerſus homines,qui iuſtitiã Dei nõ agnouerunt,ſæuiet ferrum,ignis,fames,morbus. Et ſuper omnia metus ſemper impendent: tunc orabunt Deum, & non exaudiet: optabitur mors,& non ueniet: nec uox quidẽ requiem timori dabit,nec ad oculos ſomnus accedet. Sed animas hominũ

ſolicitudo

solicitudo ac uigilia macerabit: plorabunt, & gement, & dentibus stridebunt: gratulabuntur mortuis, et uiuos plangent. His & alijs pluribus malis solitudo fiet in terra, & erit deformatus orbis, atq; desertus: quod in carminibus Sibyllinis ita dicitur:

Εσαι κόσμος ἄκοσμος ἀπορλυμένων ἀνθρώπων.

Id est: Erit mundus immundus pereuntibus hominibus.

Ita enim conficietur humanum genus, ut uix decima pars hominum relinquatur: & unde mille processerant, uix prodient centum. De cultoribus etiam Dei duæ partes interibunt: & tertia, quæ fuerit probata, remanebit.

De aduentu Heliæ: & quomodo interficietur ab Antichristo, & resurget die tertia, & ascendet in cœlum. Et de persecutione ecclesiæ, quã inferet Antichristus: & de miraculis eius. Cap. XVII.

SEd planius quomodo id eueniat, exponam. Imminente iam temporum cõclusione, propheta magnus mittetur à deo, qui cõuertat homines ad dei agnitionẽ, & accipiat potestatẽ mirabilia faciendi. Vbicunq; nõ audierint eũ homines, claudet cœlũ, & abstinebit imbres, & aquam conuertet in sanguinẽ, & cruciabit illos siti ac fame. Et quicunq; conabitur cum lædere, procedet ignis de ore eius, atq; comburet illum. His prodigijs, atq; uirtutibus cõuertet multos ad dei cultũ: peractisq; operibus eius alter rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus, euersor ac proditor generis humani: qui reliquias prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit aduersus prophetã dei, & uincet, & interficiet eũ, & insepultũ iacêre patietur. Sed post diem tertiũ reuiuiscet: atq; iuspectãtibus, & mirãtibus cunctis, rapietur in cœlũ. Rex uero ille teterrimus erit quidem & ipse, sed mendaciorum

propheta

propheta,& seipsum constituet,ac uocabit deum,& se coli iubebit ut dei filium. Et dabitur ei potestas,ut faciat signa,& prodigia:quibus uisis,irretiat homines,ut adorent cũ. Iubebit ignẽ descendere de cœlo, & solem à suis cursibus stare,& imaginẽ loqui: & fient hæc sub uerbo eius: quibus miraculis etiam sapientum plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere templum Dei conabitur,& iustum populũ persequetur: & erit pressura,& contritio,qualis nunq̃ fuit à principio mundi. Quicunq; crediderint,atq; accesserint ei,signabuntur ab eo tanq̃ pecudes. Qui autem recusauerint notam eius,aut in montes fugient,aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabũtur. Idem iustos homines obuoluet libris prophetarum: atq; ita cremabit, & dabitur ei desolare orbem terræ mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus,quo iustitia proijcietur, & innocentia odio erit,quo mali bonos hostiliter prædabuntur: non lex,aut ordo,aut militiæ disciplina seruabitur: non canos quisq̃ reuerebitur, non officium pietatis agnoscet: non sexus,aut infantiæ miserebitur. Confundentur omnia,& miscebũtur contra fas,cõtra iura naturæ. Ita quasi uno cõmuni,grauiq; latrocinio,terra uniuersa uastabitur. Cum hæc ita erũt,tunc iusti, & sectatores ueritatis segregabũt se à malis: & fugient in solitudines. Quo audito,impius rex inflammatus ira,ueniet cũ exercitu magno, & admotis omnibus copijs,circundabit montẽ,in quo iusti morabuntur,ut eos comprehendat. Illi uero,ubi se clausos undiq;,atq; obsessos uiderint, exclamabunt ad Deũ uoce magna,& auxilium cœleste implorabunt: & exaudiet eos Deus, & mittet regẽ magnũ de cœlo, qui eos eripiat,et liberet,omnesq; impios ferro,igniq; disperdat.

Quomodo hęc pronunciata sint & uaticiniis prophetarum,& oraculis gentiliũ, & uersibus Sibyllinis. Cap. XVIII.

Hæc

HAec ita futura esse, cum prophetæ omnes ex Dei spiritu, tum etiam uates ex instinctu dæmonum cecinerunt. Hydaspes enim, quem superius nominaui, descripta iniquitate seculi huius extremi, pios, ac fideles à nocentibus segregatos ait, cum fletu, & gemitu extensuros esse ad cœlum manus, & imploraturos fidem Iouis: Iouem respecturum ad terram, & auditurum uoces hominum, atq; impios extincturum. Quæ omnia uera sunt, præter unũ, quod Iouem dixit illa facturum, quæ deus faciet. Sed & illud non sine dæmonum fraude subtractum est, missum iri tunc à patre filiũ Dei, qui deletis omnibus malis, pios liberet: quod Hermes tamen non dissimulauit. In eo enim libro, qui λόγος τέλειος inscribitur, post enumerationem malorũ de quibus diximus, subiecit hæc: ἐπ' ἂν δὴ ταῦτα ὧδε γένηται ὦ ἀσκληπιὲ τότε ὁ κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ τοῦ πρῶτου, καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιοῦργος ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις, καὶ τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τοῖς τοιούτοις τὸ ἀγαθὸν ἀτερείσας τῇ ἀταξίᾳ, καὶ ἄνακα λεσάμενος τὴν πλάνην, καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθήρας πῇ μὲν ὕδατι πολλῷ κατακλύσας πῇ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας. ἐνίοτε δὲ πολέμοις, καὶ λοιμοῖς ἐκπίεσας ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ἀποκατέστησε τὸν ἑαυτοῦ κόσμον. Id est:

Quum hæc ita facta fuerint ô Asclepi, tunc dominus, & pater, & Deus, & primi, & unius dei creator, respiciens quæ facta sunt, & sua uoluntate quum bonum obiecisset temeritati, & errore reuocato, malitiaq; purgata, partim aqua nimia diluens, partim igne rapido cremans, interdum bellis & pestilentijs extergens, ad statum pristinum perduxit, & restituit suum mundũ. Sibyllæ quoq; non aliter fore ostendũt, q̃ ut dei filius à summo patre mittatur: qui iustos liberet de manu impiorũ, & iniustos cũ Tyrannis sæuientibus deleat: è quibus una sic tradit:

Ἥξει καὶ μακράρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι
Καὶ κέν τις θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ' ἰδίων
πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους καὶ φῶτας ἀρίστους
Εἶθ' οὕτως κρινεῖται ὑπ' ἀφθίτοισ' ἀνθρώποισι.

Id est: Veniet & beatorum uolens urbem expugnare,
Et quidam à deo missus rex ad suos,
Omnes perdet reges magnos, & uiros optimos,
Et sic iudicabitur ab immortalibus hominibus.

Item alia Sibylla:

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου πέμψειε θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Id est: Tunc ex sole Deus mittet regem,
Qui omnem terram placabit à bello malo.

Et rursus alia:

Ἡμετέρας δουλείας
Ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἄρει
Καὶ θεσμοὺς ἀθέους λύσει δεσμούς τε βιαίους.

Id est: Nostræ seruitutis
Iugum intolerabile in collo positum tollet,
Et leges impias soluet, uinculaq; uiolenta.

Quomodo Christus, & quibus signis pręcedentibus descendet de cœlo, vt interficiat Antichristum, & tyrannos, & impios deleat de terra: & quod vigiliæ nocturnę Christianorum ideo institutę sunt, quod Christus de nocte venturus est: & quod dii, & cultores eorũ dabũtur incendio, vt Sibylla prędixit, Cap. XIX.

Oppresso

Oppresso igitur orbe terræ, cum ad destruendam immensa rum uirium tyrannidē humanæ opes defecerint: siquidē capto mūdo cum magnis latronū exercitibus incubabit, diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus, & ancipiti periculo, & miseranda comploratione iustorum, mittet protinus liberatorē. Tunc aperietur cœlum mediū inter pesta nocte, & tenebrosa, ut in orbe toto lumē descendentis Dei tanquam fulgur appareat: quod Sibylla his uersibus locuta est

-ὅππότ' ἂμ' ἔλθῃ
πῦρ ἔσεσθαι σκότῳ ἐν τῇ μέσσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.

Id est: Quum ueniet
Ignis erit, tenebræq; in medio nocte obscura.

Hæc est nox, quæ à nobis propter aduentum regis, ac dei nostri peruigilio celebratur: cuius noctis duplex est ratio, quod in ea ui uitam tunc recepit, cum passus est: & postea orbis terræ regni recepturus est. Hic est enim liberator, & iudex, & ultor, & rex & Deus, quē nos Christum uocamus, qui prius q̄ descendat, hoc signum dabit. Cadet repēte gladius à cœlo, ut sciant iusti ducem sanctæ militiæ descensurum: & descendet comitantibus angelis in mediū terræ, & præcedet eū flamma inextinguibilis: et uirtus angelorum tradet in manus iustorum multitudinem illam, quæ montē circunsederit: & concidetur ab hora tertia usq; ad uesperum, & fluet sanguis more torrentis: deletisq; omnibus copijs, impius solus effugiet, & peribit ab eo uirtus sua. Hic est autem, qui appellatur Antichristus, sed se ipse Christum mentietur, et contra uerum dimicabit: & uictus effugiet, & bellum sæpe renouabit: & sæpe uincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impijs debellatus, & captus, tandem scelerū suorum luet pœnas. Sed & cæteri principes, & tyranni, qui contriuerūt orbē, simul cū eo uincti adducentur ad regem: et increpabit eos, et conargue. Et exprobrabit his facinora ipsorū, et damnabit eos, ac meritis cruciatibus

cruciatibus tradet. Sic extincta malitia, et impietate compressa, requiescit orbis: qui per tot secula subiectus errori, ac sceleri, nefandam pertulit seruitutem. Non colentur ulterius dij manu facti, sed à templis, & puluinaribus suis deturbata simulachra igni dabuntur. Et cum donis suis mirabilibus ardebunt: quod etiam Sibylla cum prophetis congruens, futurum esse prædixit:

Τρίψουσι δ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

Id est: Conterent autem simulachra homines, & diuitias omnes.

Erythræa quoq; idem spopondit:

Εργα δὲ χειροποίητα θεῶν συνεκκαυσονται.

Id est: Opera autem deorum humanis manibus facta exurentur.

Quomodo aperiẽtur inferi, & resurgẽt mortui: & qui iudicandi sunt, & qui non. Et quomodo hæc Sibylla prædixerit. Et qua ratione anima, cũ immortalis sit, patibilis esse possit secũdũ Stoicos. Ca. XX.

Post hæc aperientur inferi, & resurgent mortui: de quibus iudicium magnum ipse idem rex, ac deus faciet: cui summus pater iudicandi, & regnandi dabit maximam potestatem. De quo iudicio, ac regno, apud Erythræam Sibyllam sic inuenitur:

Οππότε καὶ τὸ λάβη τέλος αἴσιμον ἡ δὲ βροτοῖσι
Καὶ δὴ ἀφίξηται κρίσις ἀθανάτοιο θεοῖο
Ἥξει ἐπ' ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις ἡ δὲ καὶ ἀρχή

Id est: Quum autẽ dies iste finem fatalẽ acceperit, et ad mortales
Iudicium immortalis dei ueniet,
Veniet super homines magnum iudicium et initium.

Deinde apud aliam:

Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα
Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.

Id est:

Id est: Tartareum autem chaos ostendet terra dehiscens:
Venient autem ad tribunal Dei reges omnes.

Et alio loco penes eandem:

Οὐρανὸν εἰλίξας γαίης κεθυμιῶνας ἀνόιξω
Καὶ τὸ τ' ἀνασήσω νεκροὺς μοῖραν ἀναλύσας
Καὶ θανάτου κέντρον ἠδὲ ὕστερον εἰς κρίσιν ἄξω
Κρίνων εὐσεβέων ⟨&⟩ δυσεβέων βίον ἀνδρῶν.

Id est: Cœlum uoluens terræ latebras aperiam,
Et tunc exuscitabo mortuos fatum soluens,
Et stimulum mortis: posteaq; in iudicium ducam,
Iudicans piorum atq; impiorum uitam uirorum.

Nec tamen uniuersi tunc à Deo iudicabuntur, sed ij tantum, qui sunt in Dei religione uersati. Nam qui Deum non agnouerunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, iam iudicati, damnatiq; sunt sanctis literis contestantibus, nō resurrecturos esse impios ad iudicium. Iudicabuntur ergo, qui Deum scierunt, et facinora eorum in mala opera cũ bonis collata perderabuntur: ut si plura, et grauia fuerint bona, iustaq;, dentur ad uitam beatam. Si autem mala superauerint, condemnentur ad pœnã. Hic fortasse dixerit quispiam. Si est immortalis anima, quomodo passibilis inducitur, ac pœnam sentiens? Si enim ob merita punietur, sentiet utiq; dolorem, atq; ita etiam mortẽ. Si morti non est obnoxia, nec dolori quidem: patibilis ergo nõ est. Huic quæstioni, siue argumẽto, ita à Stoicis occurritur: Animæ quidem hominum permanere, nec interuentu mortis in nihilum resolui: sed eorum, qui iusti fuerũt, puras, et impatibiles, et beatas ad sedem cœlestem, unde illis origo est, remeare: uel in campos quosdam fortunatos rapi, ubi fruantur miris uoluptatibus: impios uero, quoniam se malis cupiditatibus inquinauerunt, medias quandam gerere inter immortalem mortalemq; naturam; et habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis: cuius defe-

derij,

deriſs,ac libidinibus addictæ, ineluibilem quendam ſucū trahāt, labemq; terrenam: quæ cum corporis diuturnitate penitus inhæ ſerit,eius naturæ reddi animas,ut ſi non extinguibiles in totum quoniam ex Deo ſunt,tamen cruciabiles fiant per corporis ma culam,quæ peccatis inuſta ſenſum doloris attribuit. Quam ſen tentiam poëta ſic explicauit:

Quin & ſupremo cum lumine uita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris,nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes,penitusq; neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis,ueterumq; malorum
Supplicia expendunt.

Hæc propemodum uera ſunt. Anima enim, cum diuortium fecit à corpore,eſt (ut idem ait poëta)

Par leuibus uentis,uolucriq; ſimillima ſomno.

Quia ſpiritus eſt, & ipſa tenuitate imcomprehenſibilis,ſed no bis,qui ſumus corporales: Deo autem,cui ſubiacet poſſe omnia, comprehenſibilis.

De potentia Dei, quæ pro merito cuiuſq; poteſt & homines,& angelos punire. De carnis immortalitate poſt reſurrectionem. De differentia ignis gehennalis,& ignis cōmunis. Et quid in electis & quid in reprobis operetur. Cap. XXI.

PRimum igitur dicimus,tantam eſſe Dei poteſtatē,ut etiam incorporalia comprehendat,& quemadmodum uoluerit, efficiat. Nam & angeli Deum metuunt, quia caſtigari ab eo poſſunt inenarrabili quodam modo. Et dæmones reformidant: quia torquentur ab eo,& puniuntur. Quid ergo mirum,ſi cum

sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo? Nam cũ in se nihil habeant solidum, & tractabile, à solidis, & corporalibus nullã uim pati possunt: sed quia in solis spiritibus uiuunt, à solo Deo tractabiles sunt, cui uirtus, & substantia spiritalis est. Sed tamen docent nos sanctæ literæ, quemadmodũ pœnas impij sint laturi. Nã quia peccata in corporibus contraxerũt, rursus carne induentur, ut in corporibus placulũ soluant: & tamen non erit caro illa, quã deus homini superiecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis, ac permanẽs in æternũ, ut sufficere possit cruciatibus & igni sempiterno: cuius natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad uitæ necessaria utimur: qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per seipsum semper uiuit, ac uiget sine ullis alimentis: nec admistum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquæ modũ fluidus. Non enim ui aliqua sursum uersus urgetur, sicut noster: quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus interministus exilire cogit, et ad cœlestem naturã cum trepidatione mobili subuolare. Idem igitur diuinus ignis, una, eademq; ui, atq; potẽtia, & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit: quod poëtæ in uulturem, & Tityum transtulerunt. Ita sine ullo reuiuiscentium corporum detrimẽto aduret tantũ, ac sensum doloris efficiet. Sed & iustos cum iudicauerit Deus, etiam igni cos examinabit. Tum quorum peccata uel pondere, uel numero prævalucrint, perstringentur igni, atq; amburentur. Quos autem plena iustitia, & maturitas uirtutis incoxerit, ignem illum nõ sentient. Habent enim aliquid in se dei, quod uim flammæ repellat, ac reijciat. Tanta uis est innocentiæ, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius: qui accipit à deo hanc potestatẽ, ut impios urat, iustis obtẽperet. Nec tamẽ quisq; putet, animas post mortẽ protinus iudicari. Nã omnes in una, communiq; custodia detinentur, donec tempus aduenial, quo maximus

maximus iudex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata iustitia, ij præmiũ immortalitatis accipient. Quorũ autem peccata, & scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cũ impijs in easdem tenebras recõdentur ad certa supplicia destinati.

Quòd hæc à quibusdam dicuntur esse poetica: & vnde ad notitiam venerint poetarũ: & quibus de causis corruperint veritatem, & Lethæum amnem, & alia phantastica induxerint. Cap. XXII.

FIgmenta hæc poëtarum quidam putant, ignorantes unde illa poëtæ acceperint, ac negant hæc fieri posse. Nec mirũ ita illis uideri. Aliter enim q̃ res habet, traditur à poëtis: qui licet sint multò antiquiores, q̃ historiã, & oratores, et cætera genera scriptorum, tamen quia mysterium diuini sacramenti nesciebãt, & ad eos mentio resurrectionis futuræ obscurior peruenerat, eã ucro temere, ac lcuiter auditam in modum commentitiæ fabulæ prodiderunt. Et tamen ijdem testati sunt, non authorẽ se certum sed opinionem sequi, ut Maro, qui ait: Sit mihi fas audita loqui. Quamuis igitur ueritatis arcana in parte corruperint, tamen ipsa res eò ucrior inuenitur, quòd cũ prophetis in parte consentiunt: quod nobis ad probationẽ rei satis est. Errori tamen eorũ subest ratio nonnulla. Nam cum prophetæ assiduis concionibus prædicarent, iudicaturũ esse de mortuis filiũ Dei, & hæc annunciatio non lateret, quoniam rectorem cœli non alium putabant q̃ Iouem, iudicaturum apud inferos Iouis filium tradiderunt. Sed tamen non Apollinem, aut Liberũ, aut Mercurium, qui cœlestes putantur, sed deũ, qui & mortalis fuerit, & iustus, uel Minoëm, uel Acacũ, uel Rhadamanthũ. Corruperũt igitur poëtica licẽtiã quod acceperãt: uel opinio ueritatẽ per diuersa ora, sermonesq̃s

uarios dissipata mutauit. Nam quod peractis apud inferos mille annis, rursus ad uitam restitui cecinerunt, Marone ita dicente:

Has omnes, ubi mille rotam uoluêre per annos,
Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut conuexa reuisant:
Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.

Hæc eos ratio fefellit, quod resurgent defuncti non post mille annos mortis suæ, sed ut restituti rursus in uitam, mille annis cũ Deo regnent. Deus enim ueniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato, rediuiuas iustorum animas corporibus innouatis ad sempiternam beatitudinẽ suscitet. Itaq; præter aquam obliuionis, uera sunt cætera: quam idcirco finxerũt, ne quis illis opponeret: Cur ergo non meminerunt se aliquando uixisse, aut qui fuerint, aut quæ gesserint? Sed nihilominus tamen ueri simile non putatur, res tota uelut licenter, & fabulose ficta respuatur. Nobis autem de resurrectione affirmantibus, atq; docẽtibus, animas ad alteri uitam non oblitas sui, sed in eodem sensu, ac figura esse redituras, illud opponitur. Tot iam secula transierunt, quis unq̃ unus ab inferis resurrexit, ut exemplo eius fieri posse credamus? At enim resurrectio fieri nõ potest dominãte adhuc iniustitia. Hoc enim in seculo necantur homines ui, ferro, insidijs, uenenis: afficiuntur iniurijs, egestate, carceribus, tormentis, proscriptionibus. Eò accidit, quod iustitia inuisa est, quod omnes, qui Deum sequi uolũt, non tantum odio habentur, sed uexantur omnibus contumelijs, & cruciantur multiplici genere pœnarum: & ad impios cultus manu factorum deorum, non ratione, aut ueritate, sed nefandã corporum laceratione coguntur. Num igitur oportet ad hæc eadem resurgere, ac reuerti homines ad uitam, in qua tuti esse nõ possint? Cum ergo iusti tam uiles habeantur, tam facile tollãtur, quid putemus futurum fuisse, si quis ab inferis rediens, uitã postliminio recepisset? Auferretur profecto ab oculis hominum, ne uiso eo

uiso eo uel audito, deos uniuersi relinquerent, & ad unius se dei cultum, religionemq; conuerterent. Ergo semel fieri resurrectionem necesse est, cum malum fuerit ablatum: quoniam eos, qui resurrexerint, nec mori iam ulterius, nec uiolari ullo modo fas est: ut beatam possint agere uitam, quorum mors resignata est. Poëtæ uero, cum scirent hoc seculum malis omnibus redundare, obliuionis amnem induxerunt: ne laborum, ac malorum memores animæ, reuerti ad superos recusarent. Vnde Vergilius:

O pater, an ne aliquas ad cœlum hinc iri putandum est
Sublimes animas, iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?

Ignorabat enim quomodo, aut quando id fieri oporteret. Itaq; renasci eos putauerunt, & denuo ad uterum reuolui, atq; ad infantiam regredi. Vnde & Plato de anima disserens, ex hoc ait posse cognosci, animas esse immortales, atq; diuinas, quod in puerismobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia: quod ea, quæ discant, ita celeriter capiant, uti non tunc primum discere illa uideantur, sed recognoscere, atq; reminisci: in quo uir sapiens poëtis inceptissime credidit.

De resurrectione. Et quod Pythagoras & alii philosophi inepte locuti sunt: & de anastasi mentientes animas in varia transire corpora. Caput. XXIII.

NOn igitur renascentur, quod fieri non potest: sed resurgent, & à Deo corporibus induentur: & prioris uitæ, factorumq; omnium memores erunt, & in bonis cœlestibus collocatæ, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum præsenti deo gratias agẽt, quod malum omne deleuerit, quod eos ad regnum, utamq; perpetuam suscitarit. Qua de anastasi philosophi quoq; dicere aliquid conati sunt tam corruptè, q̃ poëtæ.

Nam Pythagoras transire animas in noua corpora disputauit, sed inepte: quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & seipsum ex Euphorbo esse reparatū. Meluus Chrysippus, quem Cicero ait fulcire porticum Stoicorū: qui in libris quos de prouidentia scripsit, cum de innouatione mundi loqueretur, hæc intulit: Τουτου δὲ ὄντως ἐχοντος σκοπον, ως οὐδεν ἀδυνατον, ηξειν ποτε καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων μυριων εἱλιγμένων χρόνου εἰς ὃν νῦν ἐσμεν ἀποκατάστασιν σχῆμα. Id est: Quod cum ita sit, apparet non esse impossibile: & nos, quum uitam finierimus, rursus uertigibus certis tēporis reuolutis, in hunc statū, in quo nunc sumus restitutum iri.

Sed nos ab humanis ad diuina redeamus. Sibylla iterum dicit:

Φανισομαι γὰρ ἅπαν μεσόπων γένος. ἀλλ' ὁταν πάντα
Κόσμου καὶ θνητῶν ἔλθη κρίσις, ἣν θεὸς αὐτὸς
ποιήσει κρίνων ἀσεβεῖς θ' ἅμα εὐσεβέας τε,
Καὶ τότε δὴ ἀσεβέας μὲν ἐπὶ ζόφον ἠερόεντα πυρὶ τεμεῖ
Οσσοι δ' εὐσεβέουσι πάλιν ζήσουσ' ἐπὶ γαίης
πνεῦμα θεὸς δώσει ζωὴν ἅμα καὶ βίοτον αὐτοῖς. Id est:

Etenim durum ad credēdum omne hominū genus: sed cum iam
Mundi & mortalium uenerit iudicium, quod deus ipse
Faciet, iudicans impios, simul & pios,
Tunc demum impios quidem in tenebras in igne mittet:
Qui autem pietatem colunt, iterum uiuent in terra,
Spiritum deo dante, honorem simul & uitam ipsis.

Quod si non modo prophetæ, sed etiam uates, & poëtæ, & philosophi anastasim mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quærat à nobis, quemadmodum fieri possit. Nec enim diuinorum operum potest reddi ratio. Sed si à principio Deus hominem, nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui ueterem posse, qui nouum fecit.

Quod

Quod secundũ vaticinia Sibyllæ post iudicium per mille annos regnabit in terra filius Dei cũ electis suis in sancta ciuitate, quam constituet. Et quod diabolus vincietur mille annis, & omnis creatura mãsuescet, & ad iucunditatem seruiet homini: & q̃ Christus ab omnibus coletur, vt deus, & dñs. Ca. XXIIII.

NVnc reliqua subnectam. Venict igitur summi, et maximi Dei filius, ut uiuos ac mortuos iudicet, dicente Sibylla:

πάσης γὰρ γαίης τότε θνητῶν σύγχυσις ἔσται
Αὐτὸς ὁ παντοκράτως ὅτ' ἂν ἔλθῃ κρῖναι
Ζώντων καὶ νεκύων ψυχὰς καὶ κόσμον ἅπαντα.

Id est: Totius enim terræ mortalium confusio tunc erit,
Et ipse omnipotens cum uenerit tribunali iudicare
Viuorum mortuorumq́; animas, & mundum uniuersum.

Verum ille, cum deleuerit iniustitiam, iudiciumq́; maximum fecerit, ac iustos, qui à principio fuerunt, ad uitam restaurauerit, mille annis inter homines uersabitur, eosq́; iustissimo imperio reget. Quod alibi Sibylla uaticinans, furensq́; proclamat:

Κλῦτε δέ μου μέροπες, βασιλεὺς ἀϊδίου ἄρχει.

Id est: Audite me homines, rex sempiternus dominatur.

Tunc qui crũt in corporibus uiui, nõ morientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabũt: & erit soboles eorum sancta, & Deo chara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, iis præcrunt uiuentibus, uelut iudices. Gentes uero non extinguentur omnino, sed quædam relinquentur in uictoriam dei, ut triumphentur à iustis, ac subiugẽtur perpetuæ seruituti. Sub id tempus etiam princeps dæmonũ, qui est machinator omniũ

malorum,uincietur catenis: & erit in custodia mille annis cælestis imperij, quo iustitia in orbe regnabit, ne quid malum aduersus populum Dei moliatur. Post cuius aduentum congregabuntur iusti ex omni terra,peracto q; iudicio ciuitas sancta constituetur in medio terræ,in qua ipse cõditor deus cũ iustis dominantibus commoretur, quam ciuitatẽ Sibylla designat,cũ dicit:

καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, αὖτ' ἣν ἐποίησε
λαμπροτέραν ἄστρων, καὶ ἡλίου, ἢ δὲ σελήνης.

Id est: Vrbem quam fecit deus,eam fecit
Clariorem astris,atq; sole lunaq;.

Tunc auferentur è mũdo tenebræ illæ,quibus offundebatur,atq; obcæcabatur cœlum,& luna claritatem solis accipiet,nec minuetur ulterius. Sol autem septies tanto quàm nunc est,clarior fiet. Terra uero aperiet fœcũditatem suam,& uberrimas fruges sua sponte generabit,rupes montium melle sudabũt, per riuos uina decurrent,& flumina lacte inundabũt. Mundus deniq; ipse gaudebit,& omnis rerum natura lætabitur,erepta & liberata dominio mali,& impietatis,& sceleris,& erroris. Nõ bestiæ per hoc tempus sanguine alentur,nõ aues præda,sed quieta,& placida erunt omnia. Leones & uituli ad præsepe simul stabunt, lupus ouẽ non rapiet. Canis nõ uenabitur,accipitres & aquilæ non nocebunt,infans cum serpentibus ludet. Deniq; tunc fient illa,quæ poëtæ aureis tẽporibus facta esse iam Saturno regnãte dixerunt. Quorũ error hinc exortus est,quod prophetæ futurũ pleraq; sic proferunt,& enunciant,quasi iam peracta. Visiones enim diuino spiritu offerebantur oculis eorũ,& uidebantur illa in conspectu suo fieri,ac terminari. Quæ uaticinia eorum cum paulatim fama uulgasset, quoniam profani à sacramento ignorabant quatenus dicerentur,completa iam esse ueteribus seculis illa omnia putauerũt,quæ utiq; fieri, cõpleriq; nõ poterãt homine regnãte. Deletis q; religionibus impijs,subiecta erit deo terra.

Cedet

Cedet & ipse mari uector, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non uinea falcem.
Robustus quoq; iam tauris iuga soluet arator.
Tunc etiam molli flauescet campus arista,
Incultisq; rubens pendebit sentibus uua,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Nec uarios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam crocco mutabit uellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes uestiet agnos.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

Quæ poëta secundum Cumeæ Sibyllæ carmina prælocutus est, Erythræa uero sic ait:

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἅμ' ἰλλοῦντ'
Χόρτον γὰρ λίγκες τ' ἐρίφοισιν ἁμαβόσκονται
Αρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ καὶ πᾶσι βροτοῖσι.
σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχυρον πρὰ φάτναις
σὺν βρέφεσιν τε δράκοντες ἀμάτροσι κοιμήσοντ'.

Id est: Et tunc lupi cum agnis in montibus uersabuntur.
Herbamq; linces pariter cum hœdis pascentur
Vrsi cum uitulis simul, omnibusq; pecoribus,
Carniuorans leo comedet paleas ad præsepia.
Cum infantibus dracones matrum orbis dormient.

Et alio loco de ubertate rerum:

καὶ τότε δὴ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει.
καὶ γὰρ γῆ τὰ δένδρα τὰ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσιν καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
Οἴνου καὶ μέλιτος γλυκέως, λευκοῦ τε γάλακτος
καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶν βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων.

Id est:

Id est: Tunc gaudium magnum deus dabit hominibus.
Nam & terra, & arbores, & innumerabilia terræ pecora,
Dabunt fructum uerum hominibus.
Vini & mellis dulcissimi, & candidi lactis,
Atq; tritici, quod est hominibus optimum omnium.
Et alia eodem modo:

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἁγία χθὼν πάντα τάδ' ἕσται
Νᾶμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης καὶ ἀπὸ πηγῆς
Καὶ γάλα τ' ἀμβροσίης ξεύσεται πάντεσσι δικαίοις.

Id est: Piorum autem solum sancta terra omnia hæc feret,
Fluente mellis de petra, atq; fonte:
Et lac immortalitatis manabit omnibus iustis.

Viuent itaq; homines tranquillissimam uitam, & copiosissimã, & regnabunt cum Deo pariter: & reges gentium uenient à finibus terræ cum donis, ac muneribus, ut adorent, & honorificent regem magnum: cuius nomen erit præclarum, ac uenerabile uniuersis nationibus, quæ sub cœlo erunt, & regibus, qui dominabuntur in terra.

Quod non restant ex quarundam scripturarum assertione, nisi ducẽti anni, vsq; ad rerũ innouationẽ: & quod finis nõ aderit, nisi Rhoma destructa. Cap. XXV.

HAec sunt, quæ à prophetis futura dicuntur, quorum testimonia, & uerba ponere opus nõ esse duxi: quoniã esset infinitum, nec tantam rerum multitudinẽ mensura libri caperet, tam multis uno spiritu similia dicentibus: simulq; ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta, & translata congererẽ. Præterea ut ea ipsa, quæ dicerem, non nostris, sed alienis litteris potissimum

potißimum confirmarem: doceremq; non modo apud nos, uerumetiam apud eos ipsos, qui nos insectantur, ueritatem consignatam teneri, quam recusant agnoscere. Qui autem hæc diligentius uoluerit scire, ex ipso fonte hauriat: & plura, quàm nos in his libris complexi sumus, admirabilia reperiet. Fortasse nũc quißiam requirat, quando ista, quæ diximus, sint futura: iam superius ostendi. Completis annorum sex millibus, mutationem istam fieri oportere: & iam propinquare illum summum conclusionis extremæ diem, de signis, quæ à prophetis dicta sunt, licet noscere. Prædixerunt enim signa, quibus consummatio temporum expectanda sit nobis in singulos dies, atq; timenda. Quando tamen compleatur hæc summa, docent ij, qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex uarijs historijs, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi: qui licet uarient, & aliquantulum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius, quàm ducentorum uidetur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum, ruinamq; rerum breui fore, nisi quod incolumi urbe Rhoma, nihil istius uidetur esse metuendum. At uero cum caput illud orbis ceciderit, & πῦϱ esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet, uenisse iam finem rebus humanis, orbiq; terrarum? Illa est enim ciuitas, quæ adhuc sustentat omnia: præcandusq; nobis, & adorandus est Deus cœli, si tamen statuta eius, & placita differri possunt: ne citius, quàm putemus, tyrannus ille abominandus ueniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipse lapsurus est. Nunc ad cætera exequenda redeamus, quæ deinceps secutura sunt.

Quomodo

Quomodo elapsis mille annis aurei seculi post iudicium, soluetur iterum diabolus, & concitabit gentes, vt sanctam expugnent ciuitatem, & obsidebunt eam & quomodo eam omnino deus destruet & pœnis æternis tradet, electis hominibus translatis ad gloriam angelorũ post resurrectionem secundam. Cap. XXVI.

DIximus paulo ante, in principio regni sancti fore, vt à deo princeps dæmoniorum uinciatur. Sed idem, cũ mille anni regni, hoc est septem millia cœperint terminari, soluetur denuo, & custodia missus exibit. Atq; omnes gentes, quæ tunc erunt sub ditione iustorum, concitabit, vt inferant bellũ sanctæ ciuitati. Et colligetur ex omni orbe terræ innumerabilis populus nationum, & obsidebit, et circundabit ciuitatẽ: tunc uenient nouissima ira Dei super gentes, & debellabit eas usq; ad unum. Ac primum concutiet terram quàm ualidissime: & à motu eius scindentur montes Syriæ, & subsident colles in abruptum, & muri omnium ciuitatũ concident: & statuet Deus solem triduo ne occidat, & inflammabit eum, & descendet æstus nimius, & adustio magna supra perduelles, & impios populos, & imbres sulphuris, & grandines lapidum, & guttæ ignis, & liquescent spiritus eorum in calore, & corpora conterentur in grandine, & ipsi se inuicem gladio ferient: replebuntur montes cadaueribus, & campi operientur ossibus. Populus autem dei tribus illis diebus sub concauis terræ occultatus erit, donec ira dei aduersus gentes, & extremum iudicium terminetur. Tunc exibunt iusti de latebris suis, & inuenient omnia cadaueribus, atq; ossibus tecta. Sed & genus omne impiorum radicitus iteribit, nec erit

in hoc

in hoc mundo ulla natio amplius, præter solam gentẽ Dei. Tum per annos septem perpetes intactæ erunt syluæ, nec excidetur de montibus lignum. Sed arma gentium comburentur, & iam non erit bellum, sed pax, & requies sempiterna. Cum uero completi fuerint mille anni, renouabitur mundus à Deo, & cœlum complicabitur, & terra mutabitur: & transformabit Deus homines in similitudinem angelorum, & erunt candidi sicut nix, & uersabuntur semper in conspectu omnipotentis, & domino suo sacrificabunt, & seruient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa, & publica omnium resurrectio, etiam in qua excitabuntur impij ad cruciatus sempiternos. Ii sunt, qui manu facta coluerunt, qui dominum mundi ac parentem, uel nescierunt, uel abnegauerunt. Sed & dominus illorum cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamq; damnabitur: cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu angelorum, atq; iustorum perpetuo igni cremabitur in æternum. Hæc est doctrina sanctorum prophetarum quam Christiani sequuntur. Hæc sapientia nostra, quam isti, qui fragilia colunt, uel inanem philosophiam tuentur, tanquam stultitiam, uanitatemq; deridẽt. Quia nos defendere hanc publicè, atq; asserere non solemus, Deo iubente, ut quieti ac silentes arcanum eius in abscondito, atq; intra nostram conscientiam teneamus: nec aduersus istos uere profanos, qui non discendi, sed arguendi, atq; illudendi gratia inclementer Deum, ac religionem eius impugnant, pertinaci contentione certemus. Abscondi enim, tegiq; mysterium quàm fidelissimè oportet, maxime à nobis, qui nomen fidei gerimus. Verum illi hanc taciturnitatem nostram, ueluti conscientiam malam criminantur. Vnde etiam quasdam execrabiles opiniones de pudicis, & innocentibus fingunt: & libenter his, quæ finxerunt, credunt.

Exhortatio,

Exhortatio, vt omnes properent ad suscipiendam cum religione sapiẽtiam: per quas ad beatissimam peruenitur æternæ vitæ beatitudinem. Cap. XXVII.

QVoniam decursis propositi operis septẽ spatijs, ad mẽ proiecti sumus: superest, ut exhortemur omnes ad suscipiendam cum uera religione sapientiam: cuius uis, & officiũ in eo uertitur, ut contemptis terrestribus, & abiectis erroribus, quibus antea tenebamur, fragilibus seruiẽtes, et fragilia concupiscentes, ad æterna cœlestis thesauri præmia dirigamur: quæ ut capere possimus, q̃ primum omittẽdæ sunt huius præsentis uitæ illicibiles uoluptates, quæ animas hominũ pernicioſiſſima suauitate deliniũt. Quãta felicitas existimãda est, subtractis his labibus terræ, proficisci ad illũ æquissimum iudicem, parentemq; indulgentissimum: qui pro laboribus requiem, pro mortuitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis ac breuibus bonis æterna & cœlestia largiatur: cum qua mercede acerbitates, miseriæ, quas perpetiamur in hoc mundo faciẽtes opera iustitiæ, conferri, & coæquari nullo modo possunt. Proinde si sapientes, si beati esse uolumus, cogitanda, ac proponenda nobis sunt, non tantum Terentiana illa, molendum esse usq; in pristinum, naptalandum, habendæ compedes: sed his multo atrociora. Carcer, catenæ, tormenta patienda, sustinendi dolores, mors denique ipsa & susciepienda, & ferenda: cum liqueat conscientiæ nostræ nec fragilẽ istã uoluptatẽ sine pœna, nec uirtutẽ sine diuino præmio fore. Vniuersos igitur oportet operã dare, ut se quàm primũ ad rectam uiam dirigant: ut susceptis, operatisq; uirtutibus, huius uitæ laboribus patienter exactis, consolatorẽ deum habere mereantur. Pater enim noster, ac dominus, qui condidit, firmauitq; cœlum, qui solem cum cæteris syderibus induxit, qui libratam magnitu

magnitudine sua terrã uallauit montibus, mare circundedit, amnibusq; distinxit: & quicquid est in hoc opere mũdi, cõstauit, ac perfecit è nihilo: perspectis erroribus hominũ, ducem misit, qui nobis iustitiæ uiam panderet. Hunc sequamur omnes, huc audiamus, huic deuotissime pareamus: quoniã solus (ut ait Lucretius)

Veridicis hominum purgauit pectora dictis:
Et finẽ statuit † cupedinis, atq; timoris: aliter † torpedinis
Exposuitq; bonum summum quô tendimus omnes,
Quid foret, atq; uiam monstrauit tramite paruo:
Qua possemus ad id recto concedere cursu.

Nec monstrauit tantum, sed etiam præcessit, ne quis difficultatis gratia iter uirtutis horreret. Deseratur (si fieri potest) uia perditionis, & fraudis, in qua mors uoluptatis illecebris adoperta cælatur. Et quãto quisq; annis in senectutẽ uergentibus appropinquare cernit illũ diẽ, quo sit ei ex hac uita migrandũ, cogitet q̃ purus abscedat, q̃ innocens ad iudicium ueniat: non ut faciunt quidam cæcis mentibus nixi, qui iam deficientibus corporis uiribus, in hoc admonẽtur instãtis ultimæ necessitatis, ut cupidius & ardentius hauriendis libidinibus intendãt. Qua ex uoragine liberet se quisq;, dũ licet, dũ facultas adest: sęq; ad deũ tota mente conuertat, ut illum diem securus expectet, quo præses, dominusq; mundi Deus de singulorum factis, cogitationibusq; iudicabit. Quæcunq; hic expetuntur, non tantũ negligat, sed effugiat: potioremq; animã suam iudicet, q̃ bona ista fallacia, quorũ incerta & caduca possessio est. Migrant enim quotidie, & multo uelocius exeunt, q̃ intrauerãt. Et tamẽ si nobis usq; ad ultimũ liceat istis frui, alijs certe relinquenda sunt. Nihil nobiscũ ferre possumus, nisi uitã bene, atq; innocenter actam. Ille ad Deũ copiosus, ille opulentus aduenict, cui astabũt cõtinentia, misericordia, patientia, charitas, fides. Hæc est hæreditas nostra, quæ nec eripi cuiquam potest, nec transferri ad aliũ. Et quis est, qui hæc bona

parare,

parare, ac adquirere sibi uelit? Veniant qui esuriunt, ut cœlesti cibo saturati, sempiternam famem ponant. Veniant qui sitiunt, ut aquam salutarem de perenni, cœlestiq; fonte pleniſsimis faucibus trahant. Hoc cibatu, atq; potu Dei, & cæci uidebunt, & surdi audient, & muti loquẽtur, & claudi ambulabũt, & mortui reuiuiscent, & stulti sapient, & ægroti ualebũt. Quisquis enim corruptelas terræ uirtute calcauerit, hunc arbiter ille summus, et uerax ad lucem, uitamq; perpetuam suscitabit: nemo diuitijs, nemo fascibus, nemo etiam regia potestate confisus sit, immortalem ista nõ faciunt. Nam quicunq; rationem hominis abiecerit, ac præsentia secutus in humũ se ipse prostrauerit, tanq̃ desertor domini, & imperatoris, et patris sui punictur. Intẽdamus igitur iustitiæ, quæ nos inseparabilis comes ad Deum sola perducet: et dum spiritus hos regit artus, infatigabili militia deo militemus, stationes, uigiliasq; celebremus. Congrediamur cum hoste, quem nouimus, fortiter: ut uictores, ac deuicto aduersario triumphantes, præmium uirtutis, quod ipse promisit, à Deo consequamur.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, DE IRA DEI, AD DONATVM Liber Vnus.

Quæ causa suscepti operis, & de ordine dicendorum. Caput Primum.

Animaduerti



Animaduerti sæpe, Donate, plurimos existimare (quod etiam nonnulli philosophorum putauerunt) non irasci Deum: quoniam uel benefica sit tantummodo natura diuina: nec cuiquàm nocere, præstantißimæ atq; optimæ cõgruat potestati. Vel certe nihil curet omnino, ut neq; ex beneficentia eius quicquam boni perueniat ad nos, neq; ex maleficẽtia quicquam mali. Quorum error, quia maximus est, & ad euertendum uitæ humanæ statum spectat, coarguendus est à nobis, ne ipse fallaris impulsus authoritate hominum, qui se putant esse sapientes. Nec tamen nos tam arrogantes sumus, ut comprehensam nostro ingenio ueritatem gloriemur: sed doctrinã Dei sequimur, qui scire solus potest, & reuelare secreta. Cuius doctrinæ philosophi expertes, existimauerunt naturam rerum omnium cõiectura posse deprehendi. Quod nequaq̃ fieri potest: quia mens hominis tenebroso corporis domicilio circunsepta, longe à Dei perspectione summota est. Et hoc differt ab humanitate diuinitas, quod humanitatis est ignoratio, diuinitatis scientia. Vnde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras, quibus offusa est hominis cogitatio: quoniam in carne mortali agentes, nostris sensibus diuinare non possumus. Lumen autem mentis humanæ deus est: quem qui cognouerit, & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium ueritatis agnoscet. Remoto autem Deo, cœlestiq; doctrina, omnia erroribus plena sunt. Rectéq; Socrates, cũ esset omnium philosophorum doctißimus, tamen ut cæterorum argueret insciti am, qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait se nihil scire, nisi unum, quod nihil sciret. Intellexit enim doctrinam illã nihil habere in se certi, nihil ueri: nec (ut putabant quidam) dißimulauit ipsam doctrinam, ut alios refelleret: sed uidit ex parte

aliqua ueritatem. Testatus est etiam in iudicio (sicut traditur à Platone) quod nulla esset humana sapientia. Adeo doctrinam, qua tam philosophi gloriabantur, contempsit, derisit, abiecit: ut idipsum pro summa doctrina profiteretur, quod nihil scire didicisset. Si ergo nulla est sapientia humana, ut Socrates docuit, ut Plato tradidit, apparet esse diuinam, nec ulli alij quàm Deo ueritatis notitiam subiacere. Deus igitur noscendus est, in quo solo ueritas est. Ille mundi parens, & conditor rerum, qui oculis non uidetur, mẽte uix cernitur. Cuius religio multis modis impugnari solet ab ijs, qui neq; ueram sapientiam tenere potuerunt, neq; magni & cœlestis arcani comprehendere rationem.

De gradibus, per quos ad veritatem ascenditur: & qui de ipsis gradibus deiiciantur. Caput. II.

Nam cum sint gradus multi, per quos ad domicilium ueritatis ascenditur, nõ est facile cuilibet cuchi ad summum. Caligãtibus enim ueritatis fulgore luminibus, qui stabilẽ gressũ tenere nõ possunt, reuoluuntur in planũ. Primus autem gradus est, intelligere falsas religiones, & abijcere impios cultus deorũ humana manu fabricatos. Secũdus uero, persuadere animo, quod unus sit Deus summus, cuius potestas & prouidentia effecerit à principio mundũ, & gubernet in posterũ. Tertius, cognoscere ministrum eius, ac nuncium, quẽ legauit in terram: quo docente, liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatiq; ad ueri dei cultũ, iustitiam diiceremus. Ex quibus omnibus gradibus (ut dixi) pronus est lapsus, & facilis ad ruinã, nisi pedes incõcussa stabilitate figantur. De primo gradu eos excuti uidemus, qui cũ falsa intelligant, tamẽ uerum nõ inueniunt: cõtemptisq; terrenis fragilibusq; simulachris, nõ ad colendũ sc deum conferunt, quẽ ignorãt: sed ad mundi clemẽta mirantes, cœlũ, terrã, mare, solem, lunam,

lunam, cæteraq; astra uenerantur. Sed imperitiam horum iam coarguimus in secundo diuinarũ institutionũ libro. De secundo uero gradu eos dicimus cadere, qui consentiunt unũ esse summũ deũ: ijdem tamen à philosophis irretiti, & falsis argumentationibus capti, aliter de unica illa maiestate sentiunt, quàm ueritas habet: qui aut figurã negant habere ullam deum, aut ullo affectu commoueri putant: quia sit omnis affectus imbecillitatis, quæ in deo nulla est. De tertio uero ij præcipitantur, qui cum sciant legatum dei, eundemq; diuini, & immortalis templi conditorem, tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, q̃ fides poscit: quos ex parte iã refutauimus in quarto supradicti operis libro, & refutabimus postea diligẽtius, cũ respondere ad omnes sectas cœperimus, quæ ueritatem, dum disputant, perdiderunt. Nunc uero contra eos disseremus, qui de secundo gradu lapsi, praua de summo Deo sentiunt. Aiunt enim quidam, nec gratificari eum cuiquam, nec irasci, sed securum, & quietum immortalitatis suæ bonis perfrui. Illi uero iram tollunt, gratiam relinquunt Deo. Naturam enim summa uirtute præstantem, ut non maleficam, sic beneficam esse debere: ita omnes philosophi de ira consentiunt, de gratia discrepant. Sed ut ad propositam materiam per ordinem discendat oratio, huiusmodi facienda nobis, & exequenda partitio est: cum diuersa, & repugnantia sint, ira & gratia. Aut ira tribuenda est Deo, & gratia detrahenda, aut utrunq; pariter detrahendum: aut ira demenda est, & gratia tribuenda, aut neutrum tribuendum. Aliud amplius præter hæc nihil potest capere natura, ut necesse sit, in uno istorum aliquo, uerum, quod quæritur, inueniri. Consyderemus singula, ut nos ad latebras ueritatis, & ratio, & ordo deducat.

Quòd nullus asseruit Deum irasci, & gratia non moueri. Cap. III.

PRimum illud nemo de Deo dixit unquam, irasci eum tantummodo, & gratia non moueri. Est enim disconueniens Deo, ut eiusmodi potestate sit præditus, qua noceat, & obsit: prodesse uero, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ spes salutis hominibus proposita est, si malorum tãtummodo author est Deus? Quod si sit, iam maiestas illa uenerabilis, nõ ad iudicis potestatem, cui licet seruare ac liberare, sed ad tortoris, & carnificis officium deducetur. Cum autem uideamus, non modo mala esse in rebus humanis, sed etiam bona: utiq; si Deus non est, autorem esse alterum necesse est, qui contraria Deo faciat, & det nobis bona. Si est, quo nomine appellandus est? Aut cur nobis, qui male faciat, notior est, quàm ille, qui bene? Si autem nihil potest esse præter Deum, absurdum est, & uanum, diuinam putare potestatem, qua nihil est maius, nihil melius, nocere posse, prodesse non posse. Et ideo nemo extitit, qui auderet id dicere: quia nec rationem habet, nec ullo modo potest credi. Quod quia conuenit, transeamus, & ueritatem alibi requiramus.

Contra Epicurum disputat, qui negabat Deum irasci, gratificari, & omnia prouidere. Cap. IIII.

QVod sequitur, de schola Epicuri est, sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem. Nam cum putaret Epicurus, alienum esse à deo malum facere, atq; nocere, quod ex affectu iracundiæ pleruńq; nascitur, ademit ei etiam beneficentiam: quoniam uidebat consequens esse, ut si habeat iram deus, habeat & gratiam. Itaq; ne illi uitium concederet, etiam uirtutis fecit expertem. Ex hoc (inquit) beatus, & incorruptus est, quia nihil curat, neq; hæbet ipse negotium, neq; alteri exhibet: deus igitur nõ est, si nec mouetur, quod est proprium uiuentis: nec facit aliquid impossibile homini, quod est proprium dei: si omnino

omnino nullam habet uoluntatem, nullum actum, nullam deniq; administrationẽ, quæ deo digna sit. Et quæ maior, et quæ dignior administratio deo aßignari potest, quàm mundi gubernatio, q̃ cura uiuentium, maximeq; generis humani, cui omnia terrena subiecta sunt? Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet? si precantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium deo, q̃ prouidentia? Sed si nihil curat, nihil prouidet, amisit omnem diuinitatem. Quẽ ergo totam uim, totam deo substantiam tollit, quid aliud dicit, nisi deum omnino non esse? Deniq; M. T. à Poßidonio dictum refert, id Epicurum sensisse, nullos deos esse: sed ea, quæ de dijs locutus sit, depellendæ inuidiæ causa dixisse: Itaq; uerbis illum deos relinquere, re autem ipsa tollere: quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod si ita est, quid eo fallacius? quod à sapiẽte & graui uiro debet esse alienũ. Hic uero si aliud sensit, & aliud locutus est, quid aliud appellandus est, quàm deceptor, bilinguis, malus, & propterea stultus? Sed nõ erat tam uersutus Epicurus, ut fallendi studio ista loqueretur: cum hæc scriptis ad æternam memoriã consignemus: sed ignorãtia ueritatis errauit. Indoctus enim à principio ueri similitudine unius falsæ sententiæ, necessario in ea, quæ sequebantur, incurrit. Prima enim sententia fuit, iram Deo nõ cõuenire. Quod cum illi uerum, & inexpugnabile uidcretur, non poterat consequentia rcsecare: quia uno affectu amputato, etiam cæteros affectus adimere deo necessitas ipsa cogebat. Ita qui nõ irascitur, utiq; nec gratia mouetur, quod est iræ contrarium: iam si non ira in eo, nec gratia est utiq;, nec metus, nec lætitia, nec mœror, nec misericordia. Vna est enim ratio cum ctis affectibus, una commotio, quæ in Deum cadere non potest. Quod si nullus affectus in deo est, quia quicquid afficitur, imbecillum est: ergo nec cura illius rei, nec prouidentia est in eo. Huc usq; peruenit sapiẽtis hominis disputatio: cætera, quæ sequuntur

obticuit: scilicet, quia nec cura sit in eo, nec prouidẽtia, ergo nec cogitationẽ aliquam, nec sensum in eo esse vllum, quo efficiatur, ut nõ sit omnino. Itaq; cũ gradatim descendisset, in extremo gradu cõstitit: quia iam præcipitiũ uidebat. Sed quid prodest reticuisse ac periculũ dissimulasse? Necessitas illũ uel inuitũ cadere coëgit. Dixit enim quod noluit: quia argumentum sic ordinauit, ut ad illud, quod euitabat, necessario deueniret. Vides igitur, quo perueniatur ira sublata, & deo adempta. Denicq; aut nullus id credit, aut admodũ pauci, & quidẽ scelerati, ac mali, qui sperãt peccatis suis impunitatẽ. Quod si & hoc falsum inuenitur, nec irã in deo esse, nec gratiam: ueniamus ad illud, quod tertio loco positũ est.

Contra Stoicos, dicentes in Deo esse gratiam, sed non iram. Cap. V.

EXistimantur Stoici, & alij nonnulli, aliquanto melius de diuinatione sensisse, qui aiunt, gratiam in Deo esse, iram nõ esse. Fauorabilis ac popularis oratio, non cadere in deũ hanc animi pusillitatẽ, ut ab vllo se læsum putet, qui lædi nõ potest: ut quieta illa, & sancta maiestas concitetur, perturbetur, insaniat, quod est terrenæ fragilitatis. Iram enim commotionẽ mẽtis esse, ac perturbationẽ, quæ sit à Deo aliena. Quod si hominẽ quoq; qui modo sit sapiens, & grauis, ira non deceat (siquidem, cum in animũ cuiusq; incidit, uelut sæua tempestas, tãtos excitet fluctus, ut statũ mentis immutet, ardescãt oculi, os tremat, lingua titubet, dentes cõcrepent: alternis vultum maculet, nunc suffusus robur, nunc pallor albescens) quanto magis deum nõ deceat tam fœda mutatio? Et si homo, qui habet imperiũ ac potestatẽ, late nocat per iram, sanguinẽ fundat, urbes subuertat, populos deleat, prouincias ad solitudinẽ redigat: quanto magis deum, qui habet totius generis humani, & ipsius mundi potestatẽ, perditurũ fuisse uniuersa credibile sit, si iraseceretur? Abesse igitur ab eo tam magnum,

magnum,tam pernicioſum malũ oportere. Etſi abſit ab eo ira, ratio,quia deformis,et noxia eſt,nec cuiq; male facit:nihil aliud ſupereſt,niſi ut ſit lenis,tranquillus,propitius,beneficus,conſeruator.Ita enim demum & communis omniũ pater,& optimus & uere maximus dici poterit, quod expetit diuina, cœleſtisq; natura.Nã ſi inter homines laudabile uidetur,prodeſſe potius,q̃ nocere:uiuificare,q̃ occidere:ſaluare,q̃ perdere(nec immerito innocentia inter uirtutes numeratur)& qui hæc fecerit,diligitur, præfertur,honoratur,benedictis omnibus,uotisq; celebratur:denig; ob merita,& beneficia deo ſimillimus iudicatur: quãto magis ipſum deũ par eſt,diuinis perfectisq; uirtutibus præcellentẽ, atq; ab omni terrena labe ſummotũ, diuinis & cœleſtibus beneficijs omne genus humanũ promereri? Speciose & populariter iſta dicũtur,et multos illiciũt ad credendũ.Sed qui hæc ſentiunt, ad ueritatem quidem propius accedunt: ſed in parte labuntur, naturam rei parum conſyderantes. Nam ſi Deus non iraſcitur impijs,& iniuſtis,nec pios utiq;,iuſtosq; diligit.Ergo conſtantior eſt error illorum,qui & iram ſimul & gratiam tollunt.In rebus enim diuerſis, aut in utranq; partem moueri neceſſe eſt, aut in neutram. Itaq; qui bonos diligit,& malos odit: & qui malos nõ odit,nec bonos diligit:quia et diligere bonos,ex odio malorũ uenit:& malos odiſſe,ex bonorum charitate deſcendit. Nemo eſt,qui amet uitã ſinc odio mortis:nec appetat lucem,niſi qui tenebras fugit. Adeò natura iſta connexa ſunt,ut alterũ ſine altero fieri nequeat. Si quis dominus habens in familia ſeruos, bonum,ac malum: non utiq; aut ambos odit,aut ambos beneficijs,& honore proſequitur: quod ſi faciet,& iniquus,& ſtultus eſt.Sed bonum & alloquitur amicè,& ornat: & domui,ac familiæ,ſuiſq; omnibus rebus præficit: malum uero maledictis, uerberibus,nuditate,fame,ſiti,compedibus punit: ut & hic exemplo cæteris ſit ad non peccandum, & ille ad promerendum:

ut alios metus coërceat, alios honor prouocet. Qui ergo diligit, et odit: & qui odit, & diligit: sunt enim qui diligi debeant, sunt qui odio haberi. Et sicut is, qui diligit, confert bona in eos quos diligit: ita qui odit, irrogat mala ijs, quos odio habet. Quod argumentum, quia uerũ est, dissolui nullo pacto potest. Vana ergo et falsa est sententia eorũ, qui alterũ deo tribuunt, alterũ detrahũt non minus q̃ illorũ, qui utrunq;. Sed illi (ut ostendimus) ex parte nõ errant, sed id, quod melius est ex duobus, retinẽt. Ii uero, quos ratio & ueritas argumenti huius inducit, falsa omnino sententia susceptа, in maximum errorẽ cadũt. Nõ enim sic oportebat eos argumentari: quia deus nõ irascitur, ergo nec gratia cõmouetur. Sed ita: quia deus gratia mouetur, ergo & irascitur. Si enim certum, & indubitatum fuisset, non irasci deum, tunc & ad illud alterum ueniri esset necesse. Cum autem magis sit ambiguum de ira, penè manifestum de gratia, absurdum est, ex incerto certum uelle subuertere: cum sit promptius, de certis incerta firmare.

Quòd Deus irascitur. Caput. VI.

HAE sunt de Deo philosophorum sententiæ. Aliud præter ea nihil quisq̃ dixit. Quod si ea, quæ dicta sunt, falsa esse deprehendimus, unum illud extremũ supereſt, in quo solo posita ueritas inueniri: quod a philosophis nec susceptum est unq̃, nec aliquando defensum: consequens esse, ut irascatur deus, quoniam gratia commouetur. Hæc tuenda nobis, & asserenda sententia est. In ea enim summa omnis ratio, et cardo religionis, pietatisq; uersatur. Nã neq; honos ullus deberi potest deo, si nihil præstat colenti: nec ullus metus, si non irascitur non colenti.

Quare philosophi errant: & quod homines ab aliis animãtibus maxime differũt religione, quæ hominis est propria. Cap. VII.

Cvm sæpe philosophi per ignorantiam ueritatis à ratione desciuerint, atq; in errores inciderint inextricabiles: id enim solet his euenire, quod uiatori uiã nescienti, & non fatenti se ignorare, ut uagetur, dum percontari obuios erubescit: illud tamen nullus philosophus asseruit unq̃, nonnihil inter hominẽ, pecudemq; interesse: nec omnino quisquam, modo qui sapiens uideri uellet, rationale animal cũ mutis, & irrationabilibus coæquauerit, quod faciunt quidam imperiti, atq; ipsis pecudibus similes: qui cũ uentri ac uoluptati se uelint tradere, aiunt eadẽ ratione se natos, qua uniuersa, quæ spirant: quod dici ab homine nefas est. Quis enim tam indoctus ut nesciat? quis tam imprudẽs ut non sentiat aliquid inesse in homine diuini? Nondum uenio ad uirtutes animi, & ingenij, quibus homini cũ Deo manifesta cognatio est. Nonne ipsius corporis status, & oris figura declarat non esse nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum, pabulumq; prostrata est: nec habet quicq̃ commune cũ cœlo, quod nõ intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cũ Deo uultum, & rationem ratio cognoscit. Propterea nullum est animal (ut ait Cicero) præter hominẽ, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim sapientia instructus est: ut religionẽ solus intelligat: & hæc est hominis, atq; mutorũ uel præcipua, uel sola distantia. Nam cætera, quæ uidentur hominis esse propria, & si non sint talia in mutis, tamen similia uideri possunt. Proprius homini sermo est, tamen & illis quædam similitudo sermonis. Nam & dignoscunt inuicem se uocibus: et cum irascuntur, ædunt sonum iurgio similem: et cum se ex interuallo uident, gratulandi officiũ uoce declarant. Nobis quidem uoces eorum uidentur inconditæ sicut illis fortasse nostræ: sed ipsis, qui se intelligunt, uerba sunt: deniq; in omni affectu certas uocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant. Risus quoq; est homini proprius, &

tamen

tamen uidemus in alijs animalibus quædam signa lætitiæ: cum ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciuiam resoluunt. Quid tam proprium homini, quàm ratio, & prouidentia futuri? Atqui sunt animalia quæ latibulis suis diuersos, & plures exitus pandant, ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis: quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia, & cogitatio. Alia prouident in futurũ:

Vt ingentem formicæ farris aceruum
Comportant, hyemis memores, tectoq; reponunt. Vt apes:
Quæ patrium solum, & certos nouêre penates:
Venturæq; hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

Longum est, si exequi uelim, quæ à singulis generibus animalium fieri soleant humanæ solertiæ simillima. Quod si horũ omnium, quæ ascribi homini solent, in multis quoq; deprehenditur similitudo, apparet solam esse religionẽ, cuius in mutis nec uestigium aliquod, nec ulla suspitio inueniri potest. Religionis enim est propria iustitia, quam nullũ aliud animal attingit. Homo enim solus imperat, cætera sibi conciliata sunt. Iustitiæ autẽ dei cultus ascribitur: quem qui non suscipit, hic à natura hominis alienus, uitam pecudum sub humana specie uiuit. Cum uero à cæteris animalibus hoc pene solo differamus, quod soli omnium diuinamuim, potestatemq; sentimus: in illis autem nullus sit intellectus Dei, certe illud fieri non potest, ut in hoc uel muta plus sapiant, uel humana natura desipiat: cũ homini ob sapiẽtiam, & auncta, quæ spirant, & omnis rerum natura subiecta sit. Quare si ratio si ius hominis hoc præcellat, et superat cæteras animantes, quod solus notitiam Dei capit, apparet religionem nullo modo posse dissolui.

Contra

Contra Epicurũ, religionẽ ſubuertentẽ: & quòd religio ſit habẽda. Cap. VIII.

DIſſoluitur autem religio, ſi credamus Epicuro illa dicẽti:

Omnis enim per ſe diuũm natura neceſſe eſt,
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaq; longe.
Iam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Quæ cum dicit, utrum aliquem aliũ deo putat eſſe tribuendum, an euertit omnẽ religionẽ? Si enim Deus nihil unq̃ boni tribuit, ſi colentis obſequio nullam gratiam refert: quid tam uanũ, tam ſtultum, q̃ templa ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil aſſequamur? At enim naturã excellentem honorari oportet. Quis bonos deberi poteſt nihil curãti et ingrato? An aliqua ratione obſtricti eſſe poſſimus ei, qui nihil habeat commune nobiſcum? Deus (inquit Cicero) ſi talis eſt, ut nulla gratia, nulla hominũ charitate teneatur, ualeat. Quid enim dicã, propitius ſit? eſſe enim propitius poteſt nemini. Quid contemptius dici potuit in deũ? Valeat, inquit, id eſt abeat, & recedat, quando prodeſſe nulli poteſt. Quod ſi negotiũ Deus nec habet, nec exhibet, ar nõ ergo delinquamus, quoties hominum conſcientiam fallere licebit, ac leges publicas circumſcribere? Vbicunq; nobis latendi occaſio arriſerit, conſulamus rei, auferamus aliena, uel ſine cruore, uel etiam cũ ſanguine, ſi præter leges nihil eſt amplius, quod ucrendũ ſit. Hæc dũ ſentit Epicurus, religionẽ funditus delet: qua ſublata, cõfuſio ac perturbatio uitæ ſequitur. Quod ſi religio tolli nõ poteſt, ut & ſapientiam, qua diſtamus à belluis, & iuſtitiam retineamus, qua communis uita ſit tutior: quomodo religio ipſa ſine metu aut teneri, aut cuſtodiri poteſt?

Quod

Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, utiq; non colitur. Ita fit, ut religio, & maiestas, & honor metu cõstet. metus autem non est, ubi nullus irascitur: siue igitur gratiã deo, siue iram, siue utrunq; detraxeris, religionẽ tolli necesse est: sine qua uita hominũ stultitia, scelere, immanitate completur. Multũ enim refrenat homines conscientia, si credamus nos in cõspectu dei uiuere: si non tantum quæ gerimus, uidere desuper, sed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à deo putemus. At enim prodest id credere (ut quidã putant) non ueritatis gratia, sed utilitatis. Quoniam leges conscientiam punire non possunt, nisi aliquis desuper terror impendat ad cohibenda peccata. Falsa est igitur omnis religio, & diuinitas nulla est. Sed à uiris prudentibus uniuersa confecta sunt, quo rectius, innocentiusq; uiuatur. Magna hæc, & à materia quam proposuimus, aliena quæstio est. Sed quia necessario incidit, debet quàm breuiter attingi.

Varias opiniones de mundi opificio, & gubernatione enumerat. Cap. IX.

CVm sententiæ philosophorum prioris temporis de prouidentia consensissent, nec ulla esset dubitatio, quin mundus à deo, & a ratione esset instructus, et ratione gereretur: primus omnium Protagoras extitit tẽporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere, utrum esset aliqua diuinitas, nec ne. Quæ disputatio eius adeò impia, & contra ueritatem, & religionem iudicata est, ut & ipsum Athenienses expulerint suis finibus, & libros eius in concione, quibus hæc continebantur, exusserint. De cuius sententia non est opus disputare, quia nihil certi pronunciauit. Post hæc Socrates, & auditor eius Plato, & qui de schola Platonis, tanquam riuuli diuersas in partes profluxerunt, Stoici & Peripatetici in eadem fuêre sententia, qua priores. Postea uero Epicurus deum quidem esse dixit: quia necesse sit esse aliquid in mundum

mundum præstans,& eximium,& beatum,prouidentiam tamẽ nullam.Itaq; mundũ ipsum nec ratione ulla,nec arte,nec fabrica instructum, sed naturam rerum quibusdam minutis seminibus, & insecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici possit,non uideo. Etenim si est deus,utiq; prouidens est,ut deus: nec aliter ei potest diuinitas attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat,& futura prospiciat. Cum igitur prouidentiam sustulit,etiam deum negauit esse.Cum autem deum esse professus est,& prouidentiam simul esse cõcesit.Alterum enim sine altero nec esse prorsus,nec intelligi potest.Verum ijs posteatemporibus, quibus iam philosophia defloruerat, extitit Athenis quidam Diagoras,qui nullũ esse omnino deum diceret,ob eamq; sententiam nominatus est ἄθεος. Item Cyreneus, Theodorus: ambo,quia nihil noui poterant reperire,omnibus iam dictis,& inuentis maluerunt contra ueritatem id negare, in quo priores uniuersi sine ambiguitate cõsenserant.Ii sunt,qui tot seculis, & ingenijs assertam,atq; defensam prouidentiam calumniati sunt. Quid ergo?utrũ ne istos minutos,et inertes philosophos ratione an uero authoritate præstantium uirorũ refellemus, an utroq;? Sed properandum est, ne longius a materia diuagetur oratio.

Quod mũdus Dei prouidentia factus sit,& gubernetur. Caput. X.

QVi uolunt diuina prouidentia factum esse mundum, aut principijs inter se temere coëuntibus dicũt esse concretum,aut repente naturam extitisse: Naturam uero (ut ait Straton) habere in se uim gignendi, & minuendi,sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram, ut intelligamus omnia quasi sua spõte esse generata,nullo artifice,nec authore.Vtrunq; uanũ & impossibile.Sed hoc euenit ignorãtibus ueritatem,ut quiduis potius excogitent,quam id sentiant,quod ratio deposcit.Primum

minuta

minuta illa semina, quorũ cõcursu fortuito totum coijsse mundũ loquuntur, ubi aut unde sint quæro. Quis illa uidit unq̃? quis sensit? quis audiuit? An solus Leucippus oculos habuit? solus mentẽ? qui profecto solus omnium cæcus, & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare? Quatuor elementis constare omnia philosophi ueteres differebant. Ille noluit, ne alienis uestigijs uideretur insistere. Sed ipsorũ elementorũ uoluit esse primordia, quæ nec uideri possint, nec tãgi, nec ulla corporis parte sentiri. Tã minuta sunt (inquit) ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari, ac diuidi possint. Vnde illis nomen imposuit atomorum. Sed occurrebat ei, quod si una esset omnibus, eademq; natura, non possent res efficere diuersas tanta uarietate, quantam uidemus inesse mundo. Dixit ergo leuia esse, & aspera, & rotunda, & angulata, & hamata. Quanto melius fuerat tacere, quàm in usus tam miserabiles, tam inanes habere linguam: & quidem uereor, ne nõ minus delirare uideatur, qui hæc putet refellenda. Respondeamus tamen uelut aliquid dicenti. Si leuia sunt, & rotunda, utiq; nõ possunt inuicem se apprehendere, ut aliquod corpus efficiant: ut si quis milium uelit in unam coagmentationẽ constringere, leuitudo ipsa granorum in massam coire non sinat. Aspera, inquit, & angulata sunt, & hamata, ut possint cohærere. Diuidua ergo, & secabilia sunt. Hamis enim necesse est & angulis eminere, ut possint amputari: itaq; quod amputari, ac diuelli potest, & uideri poterit, & teneri. Hæc, inquit, per inane irrequietis motibus uolitant, et huc, atq; illuc feruntur: sicut puluueris minutias uidemus in sole, cum per feneſtram radios, ac lumen immiserit. Ex his arbores, et herbæ, & fruges omnes oriuntur: ex his animalia, & aqua, & ignis, & uniuersa gignuntur, & rursus in eadem resoluuntur. Ferri hoc potest, q̃ diu de rebus paruis agitur: ex his etiã mũdus ipse concretus est. Impleuit numerum perfectæ insaniæ, ut nihil

ulterius

ulterius adijci posset: sed inuenit tamẽ ille quid adderet. Quoniã est omne (inquit) infinitum, nec potest quicquam uacare, necesse est ergo innumerabiles esse mũdos. Quæ tanta uis fuerat atomorum, ut moles tam inæstimabiles ex tã minutis conglobarentur? Ac primum requiro, quæ sit istorũ seminũ uel ratio, uel origo: si enim ex illis sunt omnia, ipsa igitur unde esse dicemus, quæ natura tantã copiam ad efficiendos innumerabiles mũdos submini strauit. Sed hoc cõcedamus, ut impune de mundis deliraverit: de hoc loquamur, in quo sumus, & quẽ uidemus. Ait, omnia ex indiuiduis corpusculis fieri: si hoc ita esset, nulla res unq̃ suu generis semine indigeret: sine ouis alites nascerentur, ac oua sine partu: item cætera uiuẽtia sine coitu: arbores, & quæ gignũtur è terra propria semina non haberent, quæ nos quotidie tractamus, & serimus. Cur ex frumento seges nascitur, & rursum ex segete frumentum? Deniq; si atomorũ coitio & cõglobatio efficeret omnia, & in aëre uniuersa concresceret: siquidẽ per inane atomi uolitant, cur sine terra, sine radicibus, sine humore, sine semine, nõ herbæ nõ arbor, non fruges oriri, aut generari possunt? Vnde apparet, nihil ex atomis fieri: quandoquidẽ unaquæq; res habet propriam, certamq; naturã, suum semen, suam legem ab exordio datam. Deniq; Lucretius quasi oblitus atomorum, quos asserebat, ut redargueret eos, qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis usus est, quæ contra ipsum ualerent. Sic enim dixit:

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset: nil semine egeret.

Item postea:

Nil igitur fieri de nilo posse † fatendum est: aliter † putandum
Semine quando opus est rebus, quo quæq; creatæ
Aëris in teneras possint proferrier auras.

Quis hunc putat habuisse cerebrum, cũ hæc diceret, nec uideret sibi esse contraria? Nihil enim per atomos fieri exinde apparet, quod

quod semen cuiusq; rei certum est: nisi forte & ignis, & aquæ naturam ex atomis esse credemus. Quid, quod durissimi rigoris materiæ, si ictu uehementiore collidantur, ignis excutitur? Num in ferro, aut silice atomi latent? Quis inclusit? Aut cur sua spõte non emicant? aut quomodo semina ignis in materia frigidissima permanere potuerunt? Omitto silicem, ac ferrum. Orbẽ uitreum plenũ aquæ si tenueris in sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accẽditur, etiam in durissimo frigore. Num etiam in aqua ignem esse credendum est? atqui de sole ignis ne æstate quidem accendi potest. Si ceræ inhalaueris, uel si uapor leuis aliquid attigerit, aut crustam marmoris, aut laminam, paulatim per minutissimos rores aqua concrescit. Item de halitu terræ, ex maris nebula existit: quæ aut dispersa humefacit quicquid texerit: aut collecta in arduos montes, in sublime uento rapta, stipatur in nubem, atq; imbres maximos deijcit. Vbi ergo dicimus liquores natos esse? Num in uapore? num in halitu? num in uento? Atqui nihil potest cõsistere in eo, quod nec tangitur, nec uidetur. Quid ergo de animalibus loquar, in quorum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine utilitate, sine specie figuratum uidemus? adeò, ut solertissima, & diligentissima omnium partium membrorumq; descriptio casum, ac fortunam repellat. Sed putemus, artus, & ossa, & neruos, & sanguinem de atomis posse concrescere. Quid sensus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus sex minimis coagmentari possunt? minutissimis inquit. Sunt ergo alia maiora: quomodo igitur insecabilia? Deniq; si ex inuisibilibus sunt quæ uidentur, cur igitur nemo uidet? Sed sine inuisibilia, quæ sunt in homine, consyderet, sine tractabilia, quæ uenium sub aspectum, ratione utraq; constare quis nõ uidet? Quomodo ergo sine ratione coëuntia possunt aliquid efficere rationale? Videmus enim nihil esse in omni mundo, quod non habeat in se maximam, mirabilemq; rationem. Quæ quia supra hominis sensum,

sensum,& ingenium est, cui rectius, quàm diuinæ prouidentiæ tribuenda est? an si simulachrum hominis, & statuam ratio,& ars fingit,ipsum hominem de frustis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid simile ueritatis in ficto,cũ summum,& excellens artificium nihil aliud,nisi umbram,& extrema corporis liniamenta possit imitari? nõ potuit humana solertia dare operi suo aut motum aliquem,aut sensum? Omitto usum uidendi,audiendi,adorandi, cæterorumq; membrorum uel apparentium, uel latentium mirabiles utilitates: quis artifex potuit,aut cor hominis,aut uocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisquam ne igitur sanus existimat, quod homo ratione, & consilio facere non possit,id concursu atomorum passim cohærentium perfici potuisse? Vides,in quæ deliramenta inciderint, dum nolunt effectionem,curamq; rerum Deo dare. Concedamus tamen his,ut ex atomis fiant,quæ terrena sunt,num etiam cœlestia? Deos aiunt incorruptos,æternos,beatos esse, solisq; dant immunitatem, ne concursu atomorum concreti esse uideantur. Si enim deos quoq; ex illis constituissent, dissipabiles fierent, seminibus aliquando resolutis,atq; in naturam suam reuertẽtibus. Ergo si est aliquid, quod atomi non effecerint, cur non cætera eodem modo intelligamus? Sed quæro, anteq̃ mundum primordia ista generarent, cur sibi dij habitaculum non ædificauerint? Videlicet nisi atomi coissent,cœlumq; fecissent,adhuc dij per mediũ † inane † aliter in aëre penderent. Quo igitur consilio,qua ratione de confuso aceruo se atomi congregauerunt, ut ex alijs inferius terræ conglobarentur,cœlum desuper tenderetur,tanta syderum uaricate distinctum,ut nihil unq̃ excogitari possit ornatius? Tanta ergo qui uideat,& talia,potest existimare,nullo effecta esse consilio, nulla prouidentia,nulla ratione diuina,sed ex atomis subtilibus exiguis cõcreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est, aut natũ esse hominẽ,qui hæc diceret: aut extitisse,qui crederet?

tit Democritum, qui auditor eius fuit: uel Epicurum, in quem uanitas omnis de Leucippi fonte profluxit? At enim (sicut alij dicunt) natura mundus effectus est, quæ sensu, & figura caret. Hoc uero multo est absurdius. Si natura mundum fecit, consilio & ratione fecerit necesse est. Is enim facit aliquid, qui aut uoluntatem faciendi habet, aut scientiam. Si caret sensu ac figura, quo modo potest ab ea fieri, quod & sensum habeat, & figurã? Nisi forte quis arbitretur, animalium fabricam tam subtiliter à non sentiente natura formari, animariq; potuisse: aut istam cœlispicacem tam prouidẽter ad utilitates uiuentiũ temperatam, nescio quo casu sine conditore, sine artifice, subito extitisse. Si quid est (inquit Chrysippus) quod efficiat ea, quæ homo, licet ratione sit præditus, facere non possit, id profecto est maius, & fortius, & sapientius homine. Homo autẽ non potest facere cœlestia: ergo illud, quod hæc efficiet, uel effecerit, superat hominẽ arte, cõsilio, prudẽtia, potestate: quis igitur potest esse nisi deus. Natura uero quam ueluti matrem esse rerũ putant, si mentem nõ habet, nihil efficiet unq̃, nihil molietur. Vbi enim nõ est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia. Si autem consilio utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, uirtute ad consummandum, potestate ad regendum & continendum, cur natura potius, quàm deus nominetur? Aut si conarsus atomorũ uel carens mente natura, ea, quæ uidemus, efficit, quæro cur facere cœlũ potuerit, & urbem, aut domũ non potuerit? cur mõtes marmoris fecerit, columnas, & simulachra non fecerit? Atqui potuerant atomi etiam ad hæc efficienda concurrere: siquidem nullam positionem relinquunt, quam non experiantur. Nam de natura, quæ mentem non habeat, non est mirandum, quod hæc facere oblita sit. Quid ergo est? Vtiq; deus, cum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatẽ, nec ornatius ad pulchritudinẽ, nec maius ad

molem,

molem, quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipse: in quibus etiam hominem ipsum, cui partialam de sua sapientia dedit, & instruxit eum ratione, quantum fragilitas terrena capiebat, ut ipse sibi efficeret, quæ in usus suos essent necessaria. Si uero in huius mũdi (ut ita dixerim) republica, nulla prouidentia est, quæ regat: nullus deus, qui administret, nec omnino sensus ullus in hac rerum natura pollet: unde igitur mens humana tam solers, tam intelligens orta esse credetur? Si enim corpus hominis ex humo factũ est, unde nomẽ cæpit: animus ergo qui sapit, rector est corporis, cui membra obsequuntur tanq̃ regi, & imperatori, qui nec aspici, nec comprehendi potest, nõ potuit ad hominẽ, nisi à sapiente natura perucnire. Sed sicut omne corpus mens, & animus gubernat, ita & mundum deus. Nec enim ueriſimile est, ut minora & humiliora regimen habeant, maiora & summa non habeant. Deniq; M. Cic. in Thusculanis, & in consolatione: Animorum, inquit, nulla in terris origo inueniri potest. Nihil est, inquit, in animis mistum, atq; concretũ, aut quod ex terra natũ, atq; factũ esse uideatur, nihilq; humidum, aut flabile, aut igneum. His enim innatũ nihil est, quod uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quo præterita teneat, & futura prouideat, & complecti possit præsentia, quæ sola diuina sunt. Nec enim inueniuntur unq̃, unde ad hominẽ uenire possint, nisi à deo. Exceptis igitur duobus, tribúsue calumniatoribus uanis, cum constet diuina prouidentia mundum regi, sicut & factus est: nec sit quisquam, qui Diagoræ, Theodoriq; sententiã, uel Leucippi inane commentum, uel Democriti, Epicuriq; leuitatẽ præferre audeat authoritati uel illorũ septẽ priorũ, qui sunt appellati sapiẽtes, uel Pythagoræ, uel Socratis, uel Platonis, cæteroriũq; summorũ philosophorum, qui esse prouidentiã iudicauerũt: falsa igitur est & illa sententia, qua putant terroris, ac metus gratia religionem à sapientibus institutam, quo se homines imperiti à peccatis abstinerent.

Quod si uerum sit, ergo deriſi ab antiquis ſapientibus ſumus. Quod ſi fallendi noſtri, atq; adeò totius generis humani causa commenti ſunt religionem, ſapientes igitur non fuerunt: quia in ſapientem non cadit mendacium. Sed ut fuerint ſapientes, quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, ſed Platonem quoq;, ac Socratem fallerent: & Pythagoram, Zenonem, Ariſtotelem, maximarum ſectarum principes tam facile deluderent? Eſt igitur diuina prouidẽtia, ut ſenſerunt ij homines, quòs nominaui, cuius ui, ac poteſtate omnia, quæ uidemus, & facta ſunt, & reguntur. Nec enim tanta rerũ magnitudo, tanta diſpoſitio, tanta in ſeruandis ordinibus, temporibusq; conſtantia, aut olim potuit ſine prouido artifice oriri, aut conſtare tot ſeculis, ſine incola potenti, aut in perpetuum gubernari ſine perito rectore: quod ratio ipſa declarat. Quicquid enim habet rationem ratione ſit ortum neceſſe eſt. Ratio autem ſentientis, ſapientisq; naturæ eſt: ſapiens uero, ſentiensq; natura, nihil aliud poteſt eſſe quàm Deus. Mundus autem, quoniam rationem habet, qua & regitur, & conſtat, ergo à Deo factus eſt. Quod ſi eſt conditor, rectorq; mundi Deus, recte igitur ac uere religio conſtituta eſt. Authori enim rerũ, parẽtiq; cõmuni honos uenerationq; debetur.

Vtrum vnius dei, an plurium deorum prouidentia mundus regatur, & conſtet. Caput. XI.

Quoniam conſtitit de prouidentia, ſequitur, ut doceamus utrúmne multorũ eſſe credẽda ſit, an potius unius. Satis (ut opinor) oſtendimus in noſtris inſtitutionibus, deos multos eſſe nõ poſſe: quod diuina uis, ac poteſtas, ſi diſtribuatur in plures, diminuitur utiq;, & mortalis eſt. Si uero mortalis nõ eſt, nec minui, nec diuidi poteſt. Deus igitur unus eſt: in quo uis, atq; poteſtas conſummata eſt, nec minui poteſt, nec augeri. Si autem

autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipsa decrescit: nec potuerunt singuli habere totũ, quod est commune cum pluribus: unicuiq; tantum decrit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores: nec in una domo multi domini: nec in naui una multi gubernatores: nec in armento, aut grege duces multi: nec in uno regimine multi reges. Sed nec in cœlo quidem multi soles esse potcrunt: sicut nec animæ plures in uno corpore: adeò in unitate natura uniuersa consentit. Quod si mundum

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:

Apparet testimonio poëtæ, unum esse mundi habitatorẽ deum. Siquidẽ corpus omne nisi ab una mente incoli, regiq; nõ potest. Omnem igitur diuinam potestatem necesse est in uno esse, cuius nutu, & imperio regantur omnia: & ideo tantus est, ut ab homine non possit aut uerbis enarrari, aut sensibus æstimari. Vnde igitur ad homines opinio multorũ deorũ persuasione peruenit? Nimirũ ij omnes, qui coluntur ut dij, homines fuerunt: & ijdem primi, ac maximi reges: sed eos, aut ob uirtutem, quia profuerãt hominum generi, diuinis honoribus affectos esse post mortem: aut ob beneficia, & inuenta, quibus humanam uitã excoluerãt, immortalem memoriam consecutos quis ignorat? Nec tantum mares, sed et fœminas. Quod cũ uetustissimi Græciæ scriptores, quos illi θεολόγους nuncupant: tum etiam Rhomani Græcos secuti, & imitati docent: quorũ præcipue Euhemerus, ac noster Ennius, qui eorũ omnium natales, coniugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, simulachra demõstrant. Et secutus eos Tullius, tertio de natura deorum libro, dissoluit publicas religiones: sed tamen ueram, quã ignorabat, nec ipse, nec alius quisquàm potuit inducere. Adeò & ipse testatus est, falsum quidem apparere, ueritatem tamen latere. Vtinam, inquit, tam facile uera iuuenire

possem, quàm falsa conuincere. Quod quidem non dissimulanter ut Academicus, sed uere, atq; ex animi sententia proclamauit: quia ueritas humanis sensibus erui non potest: quod assequi ualuit humana prouidentia, id assecutus est, ut falsa detegeret. Quicquid enim fictũ, & commentitium, quia nulla ratione subnixum est, facile dissoluitur. Vnus est igitur princeps, & origo rerum deus, sicut Plato in Timæo & sensit, & docuit: cuius maiestatem tantã esse declarat, ut nec mente cõprehendi, nec lingua exprimi possit. Idem testatur Hermes, quẽ Cicero ait in numero deorũ apud Aegyptios haberi, eũ scilicet, qui ob uirtutẽ multarumq; artium scientiã Trismegistus nominatus: et erat nõ modo Platone, uerũ Pythagora, septemq; illis sapientibus longe antiquior. Apud Xenophontem Socrates disputãs ait, formã dei nõ oportere conquiri. Et Plato in legũ libris: Quid omnino sit deus non esse quærendũ, quia nec inueniri possit, nec enarrari. Pythagoras quoq; unũ deum cõfitetur, dicens incorporalẽ esse mentẽ quæ per omnem rerum naturã diffusa, & intenta uitalẽ sensum cunctis animantibus tribuat. Antisthenes autẽ in Physico unum esse naturalẽ deum dixit, quamuis gentes & urbes suos habeant populares. Eadẽ ferè et Aristoteles cũ suis Peripateticis, et Zenõ cum suis Stoicis. Longum est enim singulorũ sententias exequi: qui licet diuersis nominibus sint abusi, ad unam tamen potestatẽ quæ mundũ regeret, concurrerunt. Sed tamen summũ deum cum & philosophi, & poẽtæ, & ipsi deniq;, qui deos colũt. sæpe fatentur: de cultu tamen, & honoribus eius nemo unq̃ requisiuit, nemo disseruit: ea scilicet persuasione, qua semper beneficũ, incorruptumq; credentes, nec irasci eum cuiquam, nec ullo cultu indigere arbitrãtur. Adeò religio esse nõ potest, ubi metus nullus est.

Quod religio sit, & hominis sit. Ca. XII.

NVnc quoniam respondebimus impiæ quorundam, detestabilicq; imprudẽtiæ, uel potius amentiæ: redeamus ad propositum.

positum. Diximus religione sublata, nec sapientiam teneri posse nec iustitiam: cũ diuinitatis intellectus, quo differimus à belluis, in homine solo reperiatur: qua nisi cupiditates nostras deus, qui falli nõ potest, coërcuerit, scelerate, impieq; uiuemus. Spectari ergo actus nostros à deo, nõ modo quo ad utilitatem communis uitæ attinet, sed etiam ad ueritatem: quia religione, iustitiaq; detracta, uel ad stultitiam pecudum amissa ratione deuoluimur, uel ad bestiarum immanitatẽ. Imò uero amplius: siquidem bestiæ sui generis animalibus parcũt. Quid erit homine truculentius, quid inmitius, si dempto metu superiore, uim legũ aut fallere potuerit aut contemnere? Timor igitur dei solus est, qui custodit hominum inter se societatẽ per quẽ uita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor auferretur, si fuerit homini persuasum, quòd ira sit expers Deus, quem moueri, & indignari, non modo cum iniusta fuerit communis utilitas, sed etiam ratio ipsa, & ueritas persuadet. Rursus nobis ad superiora redeundum est: ut quia docuimus à Deo factum esse mundum, doceamus quare sit effectus.

Quòd omnia, tam bona, quàm mala, hominis gratia facta sunt. Ca. XIII.

SI cõsyderet aliquis uniuersam mũdi administrationẽ, intelliget profecto, q̃ uera sit sententia Stoicorũ: qui aiunt, nostra causa mundũ esse constructũ. Omnia enim, quibus constat, quæq; generat ex se mundus, ad utilitatem hominis accommodata sunt. Homo utitur igni ad usum calefaciẽdi, & luminis, & coquendorum ciborũ, ferriq; fabricãdi. Vtitur fontibus ad potũ, & ad lauachra: fluminibus ad agros irrigãdos, terminandasq; regiones. Vtitur terra ad percipiendã frugum uarietatẽ, collibus ad conserenda uineta, montibus ad usum arborũ, planis ad segetẽ. Vtitur mari, non solum ad commertia, & copias ex longinquis regionibus ferendas, uerumetiam ad ubertatem omnis generis piscium.

Quod si his elementis utitur, quibus est proximus, non est dubiũ quin & cœlo: quoniam & cœlestium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua uiuimus, temperata sunt. Sol irrequietis cursibus, & spatijs inæqualibus orbes annuos confidit: & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superducit ad requiem: & tum recessu lõgius ad meridiem, tum accessu propius ad septentrionem, hyemis, & æstatis uicissitudines facit: ut & hybernis humoribus, ac pruinis in ubertatem terra pinguescat: & æstiuis caloribus, uel herbidæ fruges maturitate durentur: uel quæ sunt in humidis, incocta, & feruefacta mitescant. Luna quoq; nocturni temporis gubernatrix, & amissi, ac recepti luminis uicibus menstrua spatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat: ut æstiua itinera, & expeditiones, et opera sine labore, ac molestia cõfici possint.

Nocte leues melius stipulæ, nocte arida prata
Tondentur, noctis lentus non deficit humor:
Et quidam seros Hyberni ad luminis ignes
Peruigilat, ferroq; faces inspicat acuto.

Astra etiam cætera uel ortu, uel occasu suo certis stationibus opportunitates temporum plane subministrant. Sed & nauigijs, quo minus errabundo cursu per immensum uagentur, regimen præbent: cum ea rite gubernator obseruans, ad portum destinati litoris prouehat. Ventorum spiritu attrahuntur nubes, ut sata imbribus irrigentur, ut uites fœtibus, arbusta pomis exuberent. Et hæc per orbem uicibus exhibentur, ne desit aliquando, quo uita hominum sustineatur. At enim cæteras animantes eadem terra nutrit, & eiusdem fœtu etiam muta pascuntur. Num etiam mutorum causa Deus laborauit? Minime: quia sunt rationis expertia. Sed intelligimus, & ipsa eodem modo ad usum hominis à deo facta, partim ad cibos, partim ad uestitũ, partim ad operis auxilia: ut clarum sit, diuinam prouidentiam rerum et copiarũ, abundantia

abundantia hominum uitam instruere, atq; ornare uoluisse: ob eamq; causam & aërem uolucribus, & mare piscibus, & terrā quadrupedibus implenit. Sed Academici contra Stoicos disserentes, solent quærere, cur si Deus omnia hominū causa fecerit, etiā multa cōtraria & inimica, & pestifera nobis reperiantur, tam in mari, quàm in terra. Quod Stoici ueritatem non respicientes, ineptissime repulerunt. Aiunt enim multa esse in gignentibus, & in numero animalium, quorum lateat utilitas, sed eam processu temporum inueniri: sicut iam plura prioribus seculis incognita necessitas, & usus inuenerit. Quæ tandem utilitas potest in muribus, in blattis, in serpentibus reperiri, quæ homini molesta, & pernicioſa sunt? An medicina in his aliqua latet? Quæ si est, inuenietur aliquando, nempe aduersus mala: cum id illi querantur esse omnino malum. Viperam ferunt exustam, in cineremq; dilapsam, mederi eiusdem bestiæ morsui. Quāto melius fuerat eam prorsus non esse, quàm remedium contra se ab ipsa desyderari? Breuius igitur, ac uerius respondere potuerunt in hunc modum: Deus cum formasset hominem ueluti simulachrum suum, quod erat diuini opificij summū, inspirauit ei sapiētiam soli: ut omnia imperio, ac ditioni suæ subiugaret, omnibusq; mundi commodis uteretur. Proposuit tamen ei & bona & mala: quia sapientiam dedit, cuius omnis ratio in discernēdis malis ac bonis posita est. Non potest enim quisquam eligere meliora, & scire quid bonū sit, nisi sciat simul reijcere, ac uitare quæ mala sunt. Inuicē enim sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro, utrunq; tolli sit necesse. Propositis igitur bonis, malisq;, tum demum opus suum peragit sapientia: & quidem bonū appetit ad utilitatē, malum reijcit ad salutem. Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset: sic etiam mala, quæ caueret. Nā si malum nullum sit, periculumq;, nihil deniq; quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria.

necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? Quocunq; porrexerit manum, id naturæ aptũ, & commodũ sit: ut si quis uelit apparatissimam cœnã infantibus, qui nondũ sapiant, apponere, utiq; id appetẽt singuli, quo unũquemq; aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit: & quicquid sumpserint, id illis erit utile, ac salubre. Quid igitur nocebit, eos, sicuti sunt, permanere, & semper infantes, ac nescios esse rerũ? Si autem admisceas uel amara, uel inutilia, uel etiam uenenata, decipiuntur utiq; per ignorantiam boni ac mali: nisi accedat his sapientia, per quam habeant malorũ reiectionẽ, bonorũq; delectũ. Vides ergo magis propter malæ opus bonis esse sapiẽtia, quæ nisi fuisset proposita rationale animal non essemus. Quod si hæc ratio uera est, quam Stoici nullo modo uidere potuerunt, dissoluitur etiã argumentũ illud Epicuri: Deus (inquit) aut uult tollere mala, & nõ potest: aut potest, & non uult: aut neq; uult, neq; potest: aut & uult, & potest. Si uult & non potest, imbecillis est, quod in deum nõ cadit. Si potest, & non uult, inuidus, quod æquæ alienum à deo. Si neq; uult, neq; potest, & inuidus, et imbecillis est, ideoq; neq; deus. Si uult, & potest, quod solum deo cõuenit, unde ergo sunt malæ? Aut cur illa non tollit? Scio plerosq; philosopherum, qui prouidentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere: & inuitos pene adigi, ut deũ nihil curare fateantur, quod maxime quærit Epicurus. Sed nos ratione perspecta, formidolosum hoc argumentũ facile dissoluimus. Deus enim potest quicquid uelit: & imbecillitas, uel inuidia in deo nulla est: potest igitur mala tollere, sed non uult, nec ideo tamen inuidus. Ideirco enim non tollit, quia & sapientiã (sicut docui) simul tribuit, & plus boni, ac iucunditatis in sapientia, q̃ in malis molestiæ. Sapientia etiã facit, ut etiam deum cognoscamus, & per eam cognitionem immortalitatẽ assequamur, quod est summũ bonũ. Itaq; nisi prius

malum

malum agnouerimus, nec bonum poterimus agnoscere. Sed hoc non uidit Epicurus, nec alius quisquam: si tollantur mala, tolli pariter sapientiã, nec ulla in homine uirtutis remanere uestigia: cuius ratio in sustinenda, & superanda malorũ acerbitate consistit. Itaq; propter exiguum compendium sublatorum malorũ maximo, & uero, & proprio nobis bono careamus. Constat igitur omnia propter hominẽ proposita, tam mala, q̃ etiã bona.

Cur deus fecerit hominẽ. Cap. XIIII.

SEquitur, ut ostendam, cur fecerit hominem ipsum deus: siat mundũ propter hominẽ machinatus est, ita ipsum propter se, tanq̃ diuini templi antistitem, spectatorem operum, rerumq̃; cœlestiũ. Solus est enim, qui sentiens, capaxq; rationis intelligere possit deum: qui opera eius admirari, uirtutẽ, potestatemq̃; perspicere. Idcirco enim cõsilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore ac statu factus est, ut ad contemplationẽ parẽtis sui exãtatus esse uideatur. Ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare maiestatẽ domini sui possit. Postremo idcirco ei cũcta subiecta sunt, ut factori, atq; artifici deo esset ipse subiectus. Si ergo deus hominem suum uoluit esse cultorem, ideoq; illi tantũ honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur: utiq; iustissimum est deum colere, uidelicet eum, qui tanta præstiterit, amare hominem, qui sit nobiscum diuini iuris societate cõiunctus. Nec enim fas est, cultorem dei à dei cultore uiolari. Vnde intelligitur, religionis, ac iustitiæ causa esse hominem figuratum: cuius rei testis est Marcus Tullius, in libris de legibus ita dicens: Sed omnium, quæ in doctorum hominum disputatione uersantur, nihil est profecto præstabilius, quàm plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos. Quod si est uerissimũ, deus ergo uult omnes homines esse iustos, id est deum & hominem charos habere: deum sãlicet honorare tanquam patrem, & hominem diligere uelut fratrem.

In his

In his enim duobus tota iustitia cõsistit. Qui ergo aut deũ non agnoscit, aut homini nocet, iniustè, & contra naturam suam uiuit: & hoc modo rumpit institutum, legemq; diuinam.

Vnde ad hominem peccata perueniant. Caput. XV.

HIc fortasse quærat aliquis, unde ad hominẽ peccata peruenerunt: aut quæ prauitas diuini instituti regulã ad peiora detorserit: ut cum sit ad iustitiam genitus, opera tamen efficiat iniusta. Iam superius explanaui, simul Deum proposuisse bonum ac malum: & bonum quidem diligere: ac malum, quod huic repugnat, odisse. Sed ideo malum permisisse, ut & bonum emicaret: quod alterũ sine altero (sicut sæpe docui) intelligimus constare nõ posse. Deniq; ipsum mundum ex duobus elementis repugnantibus, & inuicem copulatis esse concretum, igneo & humido: nec potuisse lucem fieri, nisi & tenebræ fuissent: quæ nec superum potest esse sine infero, nec oriens sine occidente, nec calidũ sine frigido, nec molle sine duro. Sic & nos è duobus æque repugnãtibus compacti sumus, anima & corpore: quorũ alterum cœlo ascribitur, quia tenue est, & intractabile: alterum terræ, quia comprehensibile est. Alterum solidum, & æternum est: alterum fragile, atq; mortale: ergo alteri bonum adhæret, alteri malum. Alteri lux, uita, iustitia: alteri tenebræ, mors, iniustitia. Hinc extitit in hominibus naturæ suæ deprauatio, ut esset necesse constitui legem, qua possent & uitia prohiberi, & utilitatis officia imperari. Cum igitur sint in rebus humanis bona & mala, quorũ rationem declaraui, necesse est ad utranq; partem moueri Deum: & ad gratiam, cum iusta fieri uidet: & ad iram, cum cernit iniusta. Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit: Si est in deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odij ad iram, necesse est habeat & timorem, & libidinem, & cupiditatem, cæteroſque affectus,

affectus, qui sunt imbecillitatis humanæ. Nõ est necesse, ut timeat qui irascitur: aut mœreat, qui gaudet: deniq; iracundi minus timidi sunt, & natura læti minus mœrent. Quid opus est de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas nostra succumbit? consyderemus diuinam necessitatem. Nolo enim naturã dicere: quia Deus noster numq̃ creditur natus. Timoris effectus habet in homine materiam, in deo non habet. Homo quia multis casibus, periculisq; subiectus est, metuit, ne qua uis maior existat, quæ illum uerberet, spoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autẽ, in quẽ nec egestas, nec iniuria, nec dolor, nec mors cadit, timere nullo pacto potest: quia nihil est, quod ei uim possit inferre. Itẽ libidinis ratio in homine manifesta est. Nã qui fragilis, et mortalis est effectus, necesse fuit alterũ sexum, diuersumq; cõstitui: cuius permistione soboles effici posset, ad cõtinendam generis perpetuitatem. Hæc autem libido in Deo locum non habet: quia & fragilitas, & interitus ab eo alienus est: nec ulla est apud eũ fœmina, cuius possit copulatione gaudere: nec suæsione indiget, qui semper futurus est. Eadem de inuidia, & cupiditate dici possunt: quæ certis, manifestisq; de causis in hominẽ cadũt, in deũ nullo modo. At uero gratia, & ira, & miseratio habẽt in Deo materiam: rectẽq; illis utitur summa illa, & singularis potestas ad rerũ conseruationẽ.

Quæ materia sit in deo miserationis, gratiæ, vel iræ. Cap. XVI.

QVærit quispiam, quæ sit ista materia. Primum accidentibus malis, afflicti homines ad deũ plerunq; confugiunt, mitigant, obsecrant, credentes eum posse ab his iniurijs propulsare. Habet igitur causam miserandi. Nec enim tam immitis est hominũ contemptor, ut auxiliũ laborantibus deneget. Item plurimi, quibus persuasum est, deo placere iustitiam, cumq; qui sit dominus, ac parens omnium, uenerantur, cum precibus

assiduis,

aßiduis,ac frequentibus uotis dona,& sacrificia offerunt:nomẽ eius laudibus prosequuntur, iustis ac bonis operibus demereri cum laborãtes.Ergo est,propter quod deus & poßit,& debeat gratificari.Nã si nihil est tam conueniens Deo,quàm beneficentia:nihil autem tam alienũ, quàm ut sit ingratus: necesse est,ut officijs optimorum,sanctéq; uiuentium præstet aliquid,ac uicem reddat,ne subeat ingrati culpã,quæ est etiam homini criminosa. Contra autem sunt alij facinorosi, & nefarij: qui libidinibus omnia polluant,cædibus uexent,fraudent,rapiant,peierent: nec consanguineis, nec parentibus parcant: leges,& ipsum etiam deum negligant. Habet igitur ira in deo materiam: nõ est enim fas,cum cum talia fieri uideat,non moueri, & insurgere ad ultionem sceleratorum:& pestiferos, nocentesq; delere, ut bonis omnibus cõsulat. Adeò & in ipso ira est,& gratificatio. Inania ergo,& falsa reperiuntur argumenta uel eorum,qui cum irasci deum nolunt,gratificari uolũt:quia ne hoc quidem fieri sine ira potest:uel eorum, qui nullum animi motum esse in Deo putant. Et quia sunt aliqui affectus, qui non cadunt in deum,ut libido, timor,auaritia,mœror,inuidia, omni prorsus affectu cũ uacare dixerunt. His enim uacat,quia uitiorum affectus sunt:eos autem qui sunt uirtutis,id est ira in malos,charitas in bonos,miseratio in afflictos,quoniam diuina potestate sunt digna, proprios,& iustos,& ucros habet. Quæ profecto nisi haberet,humana uita turbabitur, atq; ad tantam confusionem deueniet status rerum, ut contemptis,superatisq; legibus,sola regnet audacia: ut nemo denique tutus esse possit,nisi qui uiribus præualeat: ita quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur. Nunc uero,quoniam & mali pœnam,& boni gratiam, & afflicti opem sperant,sed uirtutibus locus, & scelera rariora sunt. At enim plerunq; & scelerati feliciores sunt,& boni miseriores, & iusti ab iniustis impune uexantur. Cõsyderabimus postea,cur ista fiant. Interim

de ira explicemus, an sit aliqua in deo, utrum nihil curet omnino nec moueatur ad ea, quæ impie geruntur.

Quòd deus administrat mundũ, & regit hominũ actus, & per consequens irascitur. Cap. XVII.

DEus, inquit Epicurus, nihil curat, nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eũ, qui habet potestatẽ: uel si habet, & non utitur, quæ tanta est negligendi causa, ut ei, nõ dico nostrũ genus, sed etiam mundus ipse sit uilis? Ideo, inquit incorruptus est, ac beatus, quia semper quietus. Cui ergo ministratio tantarum rerum cessit, si hæc à Deo negligantur, quæ uidemus ratione summa gubernari? At quietus esse quomodo potest, qui uiuit & sentit? Nam quies, aut somni res est, aut mortis: sed nec somnus habet quietem. Nam cum soporati sumus, corpus quidem quiescit, animus autem irrequietus agitatur: imagines sibi, quas cernat, effingit, ut naturalem suum motum exerceat uarietate uisorum: auocatq; se à falsis, dum membra saturentur, ac uigorem capiant de quiete. Quies igitur sempiterna, solius mortis est. Si autem mors Deum non attingit, Deus igitur nunq̃ quietus est. Dei uero actio quæ potest esse, nisi mundi administratio. Si uero mundi curam gerit, curat igitur hominum uitã deus, ac singulorum actus animaduertit, eosq; sapientes, ac bonos esse desyderat. Hæc est uoluntas Dei, hæc diuina lex: quam qui sequitur, qui obseruat, Deo charus est. Necesse est igitur, ut ira moueatur aduersus eum, qui hãc æternam diuinamq; legem aut uiolauerit, aut spreuerit. Et si nocet alicui Deus, iam bonus non est. Non exiguo falluntur errore, qui censuram siue humanam, siue diuinam acerbitatis nomine infamant: putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna. Quod si est, nocentes igitur leges habemus, quæ peccantibus supplicia sanxerunt:

nocentes

nocentes iudices, qui scelere conuictos pœna capitis afficiunt. Quod si & lex iusta est, quæ & nocenti tribuit quod meretur: & iudex integer, ac bonus dicitur, cum malè facta uindicat (bonorum enim salutem custodit, qui malos punit) ergo & deus, cũ malis obest, nocens non est: ipse autem est nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocẽti parcit, ut pluribus noceat. Licet quærere ab ijs, qui deũ faciunt immobilẽ: Si quis habeat rem, domũ, familiam, seruiq; eius contemnentes patientiam domini, omnia inuolarint, ipsi bonis eius fruantur, ipsos familia eius honoret, dominus autem contemnatur ab omnibus, derideatur, relinquatur: utrúmne sapiens esse possit, qui contumelias non uindicet, suisq; rebus eos perfrui patitur, in quos habet potestatem? Quæ tanta in quoq; potest patientia reperiri, si tamen paticntia nominãda est, & non stupor quidem insensibilis? Sed facile est ferre contemptum. Quid si fiant illa, quæ à Cicerone dicuntur? Etenim quæro, si quis paterfamilias liberis suis à seruo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de seruo nunq; acerrimum sumpserit, utrum is clemens, ac misericors, an inhumanus, & crudelissimus esse uideatur. Quod si eiusmodi facinoribus ignoscere, crudelitatis est potius, quàm pietatis, nõ est ergo uirtutis in deos ad ea, quæ iniuste fiunt, non commoueri. Nam mundus tanquam Dei domus est, & homines tanquàm serui: quibus si ludibrio sit nomen eius, qualis, aut quanta paticntia est, ut honoribus suis cedat, praua, & iniqua fieri uideat, & non indignetur? quod propriũ, & naturale est ei, cui peccata non placeant. Irasci ergo rationis est: auferuntur enim delicta, & refrenatur licẽtia, quoutiq; iuste, sapienterq; fit. Sed Stoici nõ uiderunt esse discrimen recti & praui, esse iram iustam & iniustam: & quia medelam rei non inueniebant, uoluerunt eã penitus excidere. Peripatetici uero non excidendam, sed temperandam esse dixerunt: quibus in sexto libro institutionum satis respondimus. Nescisse autem philoso-

philosophos, quæ ratio esset iræ, apparet ex definitionibus eorũ quas Seneca enumerauit in libris, quos de ira composuit. Ira est, inquit, cupiditas ulciscendæ iniuriæ. Alij (ut ait Posßidonius) cupiditas puniendi eius, à quo te inique putes læsum. Quidam ita definierũt: Ira est incitatio animi ad nocendũ ei, qui aut nocuit, aut nocere uoluit. Aristotelis definitio nõ multũ à nostra abest. Ait enim iram esse cupiditatem doloris rependendi. Hæc est ira, de qua superius diximus, quæ etiam mutis inest. In homine uero cohibenda est, ne ad aliquod maximum prosiliat per furorem. Hæc in Deo esse non potest, quia illæsibilis est. In homine autẽ, quia fragilis est, inuenitur. Irritat enim læsio dolorem, & dolor facit ultionis cupiditatẽ. Vbi est ergo illa ira iusta, qua mouetur aduersus delinquentes? quæ utiq; non est cupiditas ultionis, quia non præcedit iniuria. Nõ dico de ijs, qui aduersus leges peccant, quibus & iudex sine crimine irasci potest. Fingamus tamẽ, cum sedato animo esse debere, cũ subijcit pœnæ nocentem, quia legum sit minister, non animi, aut potestatis suæ: sic enim uolunt, qui iram conãtur euellere. Sed de ijs potißimũ dico, qui sunt nostræ potestatis, ut serui, liberi, coniuges, & discipuli: quos cum delinquere uidemus, inãtamur ad coërcendum. Necesse est enim bono ac iusto displicere, quæ praua sunt: & cui malum displicet, mœueri, cum id fieri uidcat. Ergo surgimus ad uindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina seruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira iusta, quæ sicut in homine necessaria est ad prauitatis correctionẽ: sic utiq; in Deo, à quo ad hominẽ peruenit exemplum. Nam sicuti nos potestati nostræ subiectos coërcere debemus, ita etiam peccata uniuersorum deus coërcere debet: quod ut faciat, irasci necesse est: quia naturale est bono ad alterius peccatũ moueri, et incitari. Ergo definire debuerunt: Ira est motus animi ad coërcenda peccata insurgentis. Nam definitio Ciceronis, Ira est libido ulciscẽdi, uũ multũ à superioribus

distat. Iram autẽ, quam possumus uel furorem, uel iracundiã nominare, hæc nẽ in homine quidẽ debet esse, quæ tota uitiosa est. Ira uero, quæ ad correctionẽ uitiorũ pertinet, nec homini adimi debet, nec deo potest: quia utilis est rebus humanis, et necessaria.

Quòd sine ira peccata non corriguntur Caput. XVIII.

QVid opus est, inquiunt, ira, cum sine hoc affectu peccata corrigi possint? Atqui nullus est, qui peccatorẽ possit uidere trãquillè. Possit fortasse, qui legibus præsidet: quia facinus nõ sub oculis eius admittitur, sed defertur aliunde, tanq; dubium: nec unq; potest esse scelus tam clarũ, ut defensioni locus non sit: & ideo potest iudex non moueri aduersus eũ, qui potest innocẽs inueniri. Cumq; detectum facinus in lucem uenerit, iam nõ sua, sed legum sententia utitur. Sed potest concedi, ut sine ira faciat, quod facit: habet enim quod sequatur. Nos certe, cũ dominus peccatur á nostris, siue id cernimus, siue sentimus, indignari non cesse est. Ipse enim peccati aspectus indignus est. Nã qui nõ mouetur omnino, aut probat delicta, quod est turpius, & iniustius: aut molestiam castigandi fugit, quam sedatus animus, & quieta mens aspernatur, ac renuit, nisi ira stimulauerit. Qui autem commouetur, tamen intempestiua leuitate, uel fæpius, quàm necesse est, uel etiam semper ignoscit, is plane & illorum uitam perdit, quorum audacia nutrit ad facinora maiora, & sibijpsi æternas molestiarũ materiam subministrat. Vitiosa est ergo in peccatis ira suæ cohibitio. Laudatur Archyta Tarentinus: qui, cum in agro corrupta esse omnia comperisset, uillici sui culpam reprehendens: Miserum te, inquit, quem iam uerberibus necassem, nisi iratus essem. Vnicum hoc exemplum temperantiæ putant: sed authoritate ducti non uident, quàm inepta & locutus fuerit, & fecerit. Nam (sicut ait Plato) nemo prudens punit, quia peccatum est, sed

est,sed ne peæretur: apparet,quàm malũ uir sapiens proposuerit exemplum. Si enim senserint serui dominũ sæuire,cũ nõ irascatur: tum parcerent cum irascitur: nõ peæabunt utiq; leuiter,ne uerberentur: sed quantũ poterunt grauissime,ut stomacũ eius inatent atq; impune discedant. Ego uero laudarem,si cum fuisset iratus, dedisset iræ suæ spatium: ut residente per interuallum temporis animi tumore, haberet modũ castigatio. Non ergo propter iræ magnitudinẽ donanda erat pœna,sed differenda: ne aut peccanti maiorem iusto dolorem inureret,aut castiganti furorem. Nunc uero,quæ tandẽ æquitas,aut sapientia est,ut aliquis ob exiguum delictum puniatur? aut ob maximum non puniatur? Quod si naturam rerum,causasq; didicisset, nunq̃ tam importunam contionentiam profiteretur,ut nequam seruus iratũ sibi fuisse dominũ gratularetur. Nam sicut corpus humanũ Deus multis,& uarijs sensibus ad usum uitæ necessarijs instruxit: sic & animo uarios attribuit affectus,quibus uitæ ratio constaret: ut libidinem producendæ sobolis gratia dedit, sic iram cohibendorum causa delictorum. Verum ij,qui nesciunt fines bonorum, ac malorũ,sicut libidine utuntur ad corruptelas, & ad uoluptates: sic iram,& affectum ad nocendum,dum ijs,quos odio habẽt,irascuntur, aut paribus,aut etiam superioribus. Hinc quotidie ad maxima facinora prosilitur, hinc Tragœdiæ sæpe nascuntur. Esset igitur laudandus Archytas,si cum alicui ciui, & pari facienti sibi iniuriam fuisset iratus, repressisset se tamen, & patientia furoris impetũ mitigasset. Hæc sui cohibitio gloriosa est,qua cõpensatur aliquod imminens magnum malum. Seruorum autem,filiorumq; peccata non coërcere,peccatũ est. Euadent enim ad maius malũ per impunitatem: hic non cohibenda ira,sed etiam si iacet,excitanda est. Quod autẽ de homine dicimus,id etiam de deo,qui hominem simulem sui fecit. Omitto de figura dei dicere: quia Stoicẽ negãt ullã formam habere deũ: & ingens alia materia nascitur,

si eos coarguere uelimus: de animo tantũ loquor. Si deo subiacet cogitare, sapere, intelligere, prouidere, præstare: ex omnibus autem animalibus homo solus hoc habet: ergo ad dei similitudinẽ factus est. Sed ideo procedit in uitium, quia de terrena fragilitate permistus, non potest id, quod à Deo sumpsit, incorruptum, purumq; seruare, nisi ab eodem deo iustitiæ præceptis imbuatur.

Quod homo ex corpore vitia, & ex anima virtutes habeat. Et quod cũ velit deus homines bonos esse, eorũ vitiis irascitur. Ca. XIX.

SEd quoniã cõpactus est (ut diximus) è duobus homo, animo & corpore: in altero uirtutes, in altero uitia continentur, & impugnant se inuicem. Animi enim bona, quæ sunt in continendis libidinibus, contraria sunt corpori: & corporis bona, quæ sunt in omni genere uoluptatum, inimica sunt animi. Sed si uirtus animi repugnauerit cupiditatibus, easq; compresserit, euuerè Deo similis. Vnde apparet, animam hominis, quæ uirtutem diuinam capit, non esse mortalem. Sed discrimen illud est, quod cum uirtus habeat amaritudinem, & sit dulcis illecebra uoluptatis, uincuntur plurimi, & abstrahuntur ad suauitatem. Ii uero, qui se corpori, rebusq; terrenis addixerunt, premuntur in terrã, nec assequi possunt diuini numinis gratiam: quia se uitiorum labibus inquinarunt. Qui autem deum secuti, eiq; parentes, corporis desyderia contempserint, & uirtutem præferentes uoluptatibus, innocentiam, iustitiamq; seruauerint, hos Deus ut sui similes recognoscit. Cum igitur sanctissimam legem posuerit, uolitq; uniuersos innocentes, ac beneficos esse, potest ne nõ irasci, cũ uidet contemni legẽ suam, abijci uirtutem, appeti uoluptates? Quod si est mundi administrator, sicut esse debet, non utiq; contemnit id, quod est in omni mũdo uel maximũ. Si est prouidẽs (ut

oportet

oportet deum) consulit utiq; generi humano, quo sit uita nostra & copiosior, & melior, & tutior. Si est pater, ac deus uniuersorum, certe & uirtutibus hominum delectatur, & uitijs commouetur: ergo & iustos diligit, & impios odit. Odio (inquit) opus non est: semel enim statuit bonis præmiũ, & malis pœnã. Quod si aliquis iuste, innocenterq; uiuat, & deum nec colat, nec curet omnino, ut Aristoteles, & Timon, cæteriq; philosophorũ, cedet ne huic impune? quod cum legi Dei obtemperarit, ipsum tamen spreuerit. Est igitur aliquid, propter quod deus possit irasci, tanq; fiducia integritatis aduersus eum rebellãdi. Si huic potest irasci propter superbiam, cur non magis peccatori, qui legem cũ ipso pariter latore contempserit? Iudex peccatis ueniam dare non potest, quia uoluntate seruit ælicnæ. Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator, & iudex. Quam cum poneret, non ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.

Quod malorum felicitas iræ Dei nõ contradicat. Et quod sit Deus patientissimus. Cap. XX.

Si potest ignoscere, potest igitur irasci: cur ergo, inquiet aliquis, & qui peccant, sæpe felices sunt: & qui pie uiuunt, sæpe miseri? Quia fugitiui, & abdicati libere uiuunt: & qui sub disciplina patris, aut domini sunt, strictius, & frugalius. Virtus enim per mala & probatur, & constat, uitia per uoluptatem: nec tamen ille, qui peccat, sperare debet perpetuam impunitatem: quia nulla est perpetua felicitas.

Sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est, dicig; beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Vt ait poëta non insuauis. Exitus est, qui arguit felicitatem, & nemo iudiciũ dei potest nec uiuus effugere, nec mortuus. Habet

enim potestatem & uiuos præcipitare de summo, & mortuos æternis afficere cruciatibus. Imo (inquit) si irascitur deus, statim debuit uindicare, & pro merito quenq; punire. At enim si id faceret, nemo superesset. Nullus est enim, qui nihil peccet: et multa sunt, quæ ad peccandum irritent, ætas, uiolentia, egestas, occasio, præmium. Adeò subiecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus, ut nisi huic necessitati deus parceret, nimiũ fortasse pauci uiuerent: propter hanc causam patientissimus est, & iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo uirtus, necesse est patientiam quoq; eius esse perfectam, quæ & ipsa uirtus est. Quàm multi ex peccatoribus iusti posterius effecti sunt, ex malis boni, & ex improbis cõtinentes. Quàm multi in prima ætate turpes, & omnium iudicio damnati, postmodum tamen laudabiles extiterunt: quod utiq; nõ fieret, si omne peccatũ pœna sequeretur. Leges publicæ manifestos reos damnant: sed plurimi sunt, quorum peccata occultantur: plurimi, qui delatorem comprimunt, aut precibus, aut præmio: plurimi, qui iudicia eludunt per gratiam, uel potentiam. Quod si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, censura diuina damnaret, esset homo aut rarus, aut nullus in terra. Deniq; uel una illa causa delendi generis humani iusta esse potuisset, quod homines contempto deo uiuo, terrenis, fragilibusq; figmentis honorem diuinũ tanq; cœlestibus defarũt, adorantes opera humanis digitis laborata. Cumq; illos Deus artifex, ore sublimi, statu recto figuratos, ad contemplationẽ cœli, & notitiam dei excitaucrit, curuare se ad terram maluerunt pecudũ more. Humilis enim, et curuus, et pronus est, qui ab aspectu cœli, deiq; patris auersus, terrena, quæ calcare debuerat, id est de terra ficta, & formata, ueneratur. In tanta igitur impietate hominum, tantisq; peccatis id assequitur patientia dei, ut se ipsi homines damnatis uitæ prioris erroribus corrigant. Deniq; & boni sunt, iustiq; multi, & abiectis terrenis cultibus, maiestatem dei sin-

dei singularis agnoscunt. Sed cum maxima, & utilissima sit Dei patientia, tamen, quamuis serò, noxios punit, nec patitur longius procedere, cum eos inemendabiles esse peruiderit.

Si Deus irascitur, cur hominem irasci prohibuit. Cap. XXI.

SVperest una maxima, & extrema quæstio. Nam dixerit forstasse quispiam, adeò non irasci deum, ut & in præceptis hominem irasci uetet. Possem dicere, quòd ira hominis refrenanda fuerit: quia iniustè sæpe irascitur, & præsentè habet motũ, quia tẽporalis est. Itaq; ne fierent ea, quæ faciunt per irã & humiles, et mediocres, et magni reges, tẽperari debuerit furor eius, et comprimi: ne mentis impos aliquod inexpiabile facinus admitteret. Deus autẽ & non ad præsens irascitur, & quia æternus est, perfectæq; uirtutis, nunq̃ nisi merito irascitur. Sed tamen non ita se res habet. Nam si omnino prohiberet irasci, ipse quodammodo reprehensor opificij sui fuisset: quia in principio iram iecori hominis indidisset: siquidem creditur, causam huius commotionis in humore fellis contineri. Non igitur in totum prohibet irasci, quia is affectus necessario datus est: sed prohibet in ira permanere. Ira enim mortaliũ debet esse mortalis: nã si maneat, cõfirmantur inimicitiæ ad perniciem sempiternã. Deniq; rursus cum irasci quidẽ, sed tamen nõ peccare præcepit: nõ utiq; euellit irã radicitus, sed tẽperauit: ut in omni castigatione modũ ac iustitiam teneremus. Qui ergo irasci nos iubet, ipse utiq; irascitur: qui placari celerius præcepit, est utiq; ipse placabilis. Siquidem præcepit, quæ sunt iusta, & rebus utilia cõmunibus: Sed quia dixeram, nõ esse irã dei temporalẽ, sicut hominis, qui præsentaneæ cõmotione feruescit, nec facile regere se potest, quia fragilis est: nõ intelligere debemus, quia sit æternus deus, iram quoq; eius in æternũ manere: sed rursum quia uirtute sit maxima præditus, in

potestate habere iram suam, nec ab ea regi, sed ipsum illã, quemadmodum uelit moderari: quod utiq; non repugnat superiori. Nam si prorsus immortalis fuisset ira eius, non esset satisfactioni, aut gratiæ post delictum locus, cum ipse homines ante solis occasum reconciliari iubeat. Sed ira diuina in æternum manet aduersus eos, qui peccant in æternum. Itaq; Deus non thure, non hostia, non preciosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur: & qui peccare desinit, iram dei mortalem facit. Idcirco enim non ad præsens noxium quenq; punit, ut habeat homo resipiscendi sui facultatem.

Epilogus, & inductio authoritatum Sibyllæ Erythręę, ad iram Dei probandam. Cap. XXII.

HAEC habui, quæ de ira Dei dicerem Donate charissime, ut scires, quemadmodum refelleres eos, qui deum faciunt immobilem. Restat, ut more Ciceronis utamur epilogo ad perorandum, sicut ille in Tusculanis de morte disserens, fecit. Ita nos in hoc opere testimonia diuina, quibus credi possit, adhibere debemus, ut illorum persuasionem uincamus, qui sine ira deum esse credentes, dissoluunt omnem religionẽ: sine qua (ut ostendimus) aut immanitate belluis, aut stultitia pecudibus adæquamur. In sola enim religione, id est in Dei summi notione, sapientia est. Prophetæ uniuersi diuino spiritu repleti, nihil aliud, q̃ de gratia dei erga iustos, et de ira eius aduersus impios loquuntur: quorũ testimonia nobis quidem satis sunt. Verum ijs quoniam non credunt isti, qui sapientiã capillis, & habitu iactant: ratione quoq; & argumentis fuerant à nobis refellendi. Sic enim præposterè agitur, ut humanam diuinis tribuant authoritatem: cum potius humanis diuinam debuerint. Quæ nũc sanè omittamus, ne nihil apud istos agamus, & in infinitũ materia procedat. Ea igitur

quæramus

quæramus testimonia, quibus illi poßint aut credere, aut certe nõ repugnare. Sibyllas multas fuisse plurimi, et maximi authores tradiderũt: Græcorũ, Aristo, Chius, & Apollodorus Erythræus: nostrorum, Varro, & Fenestella. Hi omnes præcipuam, & nobilem præcer cæteras, Erythræam fuisse commemorant. Apollodorus quidem, ut de ciui, ac populari sua gloriatur. Fenestella uero, etiam legatos Erythras à Senatu esse missos refert, ut huius Sibyllæ carmina Rhomam deportarentur, & ea consules Curio & Octauius in Capitolio, quod tunc erat, curante Quinto Catullo restitutum, ponenda curarent. Apud hanc de summo, & conditore rerum Deo huiusmodi uersus reperiuntur:

Αφθαρτος κτίστης αἰώνιος αἰθέρα ναίων,
Τοῖς τ' ἀκάκοις ἄκακ) προφέρων πολὺ μείζονα μισθὸν
Τοῖς δὲ κακοῖς ἄδικοις τὲ χόλον καὶ θυμὸν ἀγείρων.]

Id est: Incorruptibilis, & conditor æternus in æthere habitans,
Bonis bonum præferens multo maiorem mercedem:
Malis autem & iniustis, iram & furorem colligens.

Rursus alio loco enumerans, quibus maxime facinoribus incitetur Deus, hæc retulit:

Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, θεῷ ζῶντι λάτρευε.
Μοιχείας τὲ φύλασσε, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνὴν
Ἰδίαν γενεὰν παίδων τρέφε, μήδε φόνευε
Καὶ γὰρ ὁι ἀθάνατος κεχολώσετ), ὅς κεν ἁμάρτῃ.

Id est: Fuge sceleratas religiones, & uiuo deo famulare.
Adulteria caue, & masculi insanum cubile,
Propriam generationem filiorum nutrias: & ne occidas.
Etenim ei immortalis succensebit, qui peccarit.

Authoritatibus aliarum Sibyllarum iram dei probat. Cap. XXIII.

Verum

VVrum quia plures (ut ostendi) Sibyllæ à doctißimis authoribus fuisse traduntur, unius testimonium satis non sit ad confirmandam, sicut intendimus, ueritatem. Cumeæ quidem uolumina, quibus Rhomanorum fata conscripta sunt, in arcanis habentur. Cæterarum tamen fere omnium libelli, quominus in usu sint omnibus, non uetantur. Ex quibus alia denuncians uniuersis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorsa est:

Ερχομένης ὀργῆς μεγάλης ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ
Εσχατον εἰς ἀιῶνα θεοῦ μηνύματα φαίνω,
πᾶσι προφητεύσασα κατὰ πόλιν ἀνθρώποισι.

Id est: Veniente ira magna ad mundum pertinacem
Postremum ad seculum, dei edicta pando
Omnibus prædicens oppidatim hominibus.

Alia quoq; per indignationem Dei aduersus iniustos cataclysmum priore seculo factum esse dixit, ut malitia generis humani extingueretur:

Εξ οὗ μινήσαντος ἐπουρανίοιο θεοῖο.
Αυταῖσι πολίεσσι καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν.
γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος.

Id est: Ex quo irato supercœlesti deo
Cum ipsis urbibus, & hominibus cunctis,
Terram cooperuit mare diluuio rupto.

Simili modo deflagrationem postea futuram uaticinata est, qua rursus impietas hominum deleatur:

Καίποτε τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραύνοντα,
Αλλ' ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολύοντα τε γένναν
Ανθρώπων ἅπασαν ἡπ' ἐμπρησμοῦ πέρθοντα.

Id est: Et tunc deum iram non amplius placantem,
Sed aggrauantem, & perdentem genus
Hominum, ac totum id incendio depopulantem.

Vnde apud Nasonem de Ioue ita dicitur:

Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Quod tunc fiat necesse est, cum honor, & cultus Dei summi apud homines interierit. Eadem tamen placari eum pœnitentia factorum, & sui emendatione contestans hæc addidit:

Αλλ' ἐλέει μετάθεσθε βροτοὶ νῦν μὴ δὲ πρὸς ὀργὴν
παντοίων ἀγάγητε θεὸν μέγαν.-

Id est: Sed misericordia cõuertimini homines nunc, neq; ad iram
Variam ducite deum magnum.

Item paulo post:

Ουκ ὀλέσει, παύσει δὲ πάλιν χόλον εὖτ' ἂν ἅπαντες
Ευσεβέην περὶ θυμῷ ἐνὶ φρεσὶν ἀσκήσητε.

Id est: Neq; perdet, sedabit autem iterum iram, quum omnes
Pietatem ex animo in præcordijs exercueritis.

Deinde alia Sibylla cœlestium, terrenorumq; genitorem diligi oportere denunciat, ne ad perdendos homines indignatio eius insurgat:

Μὴ ποτε θυμωθεὶς θεὸς ἄφθιτος ἐξαπολέσσῃ,
πᾶν γένος ἀνθρώπων βίοτον καὶ φῦλον ἀναιδὲς
Δὲ στέργειν γενετῆρα θεὸν σοφὸν αἰὲν ἐόντα.

Id est: Ne forte iratus incorruptibilis deus,
Omne genus hominum perdat, uitam, & gentem improbam,
Oportet genitorem deum amare, qui sapiens semper est.

Ex his apparet uanas esse rationes philosophorũ, qui deũ putãt sine ira: & inter cæteras laudes eius id ponunt, quod est contra ipsam maiestatẽ. Regnũ hoc, imperiũq; terrrenũ nisi metus custodiat, soluitur. Aufer iram regi, nõ modo nemo parebit, sed etiã de fastigio præcipitabitur: imò uero cuilibet humili eripe hunc affectum, quis eum non spoliabit? quis non deridebit? quis non

afficiet

afficiet iniuria? Ita nec indumenta, nec sedem: nec uictum poterit habere, alijs quicquid habuerit diripientibus: ne dum putemus cœlestis imperij maiestatē sine ira et metu posse cōsistere. Apollo Milesius de Iudæorum religione cōsultus, responso hoc indidit:

Η δὲ θεὸν βασιλῆα καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων,
Ον τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανός, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοὶ, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Id est: Et deum regem, & genitorem omnium,
Quem terra contremiscit, cœlumq́;, & mare,
Et latebræ tartareæ, & dæmones abhorrescunt.

Si tam leuis est, quàm philosophi uolunt, quomodo ad nutum eius non modo dæmones, & ministri tandem potestatis, sed etiā cœlum, & terra, & rerum natura omnis contremiscit? Si enim nullus alteri seruit, nisi coactus, omne igitur imperium metu constat: metus autem per iram. Nam si non moueatur quis aduersus parere nolentem, nec cogi poterit ad obsequium. Consulat unusquisq́; affectus suos, iam intelliget, neminem posse sine ira, & castigatione imperio subiugari. Vbi ergo ira non fuerit, imperium quoq; nō erit. Deus autem habet imperium, ergo & iram, qua constat imperium, habeat necesse est. Quapropter nemo uaniloquentia philosophorum inductus, ad contemptum se Dei erudiat, quod est maximum nefas. Debemus hunc omnes & amare, quod pater est: & uereri, quod dominus: et honorificare, quod beneficus: & metuere, quod seuerus: utraq́; persona in eo uenerabilis. Quis salua pietate nō diligat animæ suæ parentem? Aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator, habet in omnes ueram, & æternam potestatem? Si patrem consyderes, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, subministrat: per illum uiuimus: per illum in hospitium huius mundi intrauimus. Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copijs alit, ille sustētat, in huius domo habitamus, huius familia sumus: & si minus obsequens,

quàm

quàm decebat, minusq; officiosa quàm domini, & parentis immortalia merita poscebant: tamẽ plurimum proficit ad ueniam consequendam, si cultum eius, notionemq; teneamus: si abiectis humilibus, terrenisq; tam rebus, quàm bonis, cœlestia, & diuina sempiterna meditemur. Quod ut facere possimus, deus nobis sequendus est, deus adorandus: quoniam in eo est materia rerum, & ratio uirtutum, & fons bonorum. Quid enim deo aut potentia maius est, aut ratione perfectius, aut claritate luculentius? Qui quoniam nos ad sapientiam genuit, ad iustitiam procreauit, non est fas, hominem relicto deo, sensus, ac uitæ datore, terrenis, fragilibusq; famulari: aut quærendis temporalibus bonis inhærentem, ab innocentia, & pietate discedere. Non faciunt beatum uitiosæ, ac mortiferæ uoluptates, non opulentia libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores: quibus illaqueatus animus humanus, & corpori mancipatus, æterna morte damnatur: sed innocẽtia sola, sola iustitia: cuius legitima, & digna merces est immortalitas: quam statuit à principio deus sanctis, & incorruptis mentibus, quæ se à uitijs, & ab omni labe terrena integras, inuiolatasq; conseruant. Huius præmij cœlestis, ac sempiterni participes esse non possunt, qui fraudibus, rapinis, circunscriptionibus conscientiam suam polluerũt, quiq; iniurijs hominum, nefarijs commißis, ineluibiles sibi maculas inusserũt. Proinde uniuersos oportet, qui sapientes, qui homines merito dici uolunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, ut possint cum deo beatißima necessitudine copulari. Auferatur impietas, discordiæ, dissensionesq; turbulentæ, ac pestiferæ sopiantur, quibus humanæ societates, & publici fœderis diuina coniunctio rumpitur, dirimitur, dißipatur. Quantũ possumus, boni ac benefici esse meditemur. Si quid nobis opum, si quid suppetit copiarum, non uoluptati unius, sed multorum saluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis est, quàm corpus

cui ex-

cui exhibet ministerium. Iustitia uero & beneficentia tam immortales, quàm mens & anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur. Sit nobis Deus non in templis, sed in corde nostro cõsecratus, destructibilia sunt omnia, quæ manu fiunt: mundemus hoc templũ, quod non fumo, non puluere, sed malis cogitationibus sordidatur: quod non cereis ardentibus, sed claritate, ac luce sapientiæ illuminatur. In quo si Deũ semper crediderimus esse præsentem, cuius diuinitati secreta mentis patent, ita uiuemus, ut & propitium semper habeamus, & nunquàm uereamur iratum.

FINIS.

D. ERASMVS ROTE. ORNATISS.
uiro Tielmanno Grauio, siue à Fossa,
S. D.

NON desinis me prouocare mellitis ac saauiaceis munusculis Tielmanne amicorum candidissime, sed lõge magis animo isto, quem quouis melle mellitiorem, quouis saauio suauiorem præ se ferunt tuæ literæ. Proinde ne uidear ingratus, uicissim tibi lacteum mitto munusculum, Firmiani Lactantij opusculum de opificio Dei, siue de formatione hominis, quod scripsit ad Demetrianum, quondam in literis discipulum, post ad Reip. negotia uocatum, ad quem scripsit & duos epistolarum libros, qui utinam extarent. Id aliquot dierũ opella, partim ex æditione Aldina, partim ex uetustissimi codicis fide repurgaui mendis, in quibus reperias aliquot, quæ nulla diuinatione poterant restitui. Adiecimus singulis capitibus annotatiunculas. Iuuenile munus est, quod suscepi, quod utinã in omnibus lectu dignis autoribus præstent ij, quos & otium, & ætas, & ingenij uigor, & uaria, reconditaq; lectio, ad id reddit magis idoneos. Vbi legeris, perpendes, utrum cum tuis delitijs paria fecerimus, nam singularem istum, & plus quàm niueum animi candorem ne Crœsi quidem opibus pensare queam, propensa tamen uoluntate nunq; sumus cessuri. Quandoquidem in hoc certamine ut est turpe uinci, ita nemo uincitur, nisi qui uult uinci. Tuum erit in hoc recipiendo munusculo, morem antiquum obtinere, non minus declaraturus humanitatem tuam, in hilariter accipiendo tenue pignus, magnæ erga te beneuolentiæ, quàm hactenus declarasti, tot officijs lacessendo, me nihil de te promeritum. Opto te cũ charissima coniuge, dulcissimisq; liberis, quàm prosperrime ualere. Datum Basilcæ. X. Calen. Martias. An. M. D. XIX.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI, DE OPIFICIO Dei, siue formatione hominis Liber unus, per Des. Erasmum Roterodamum accurate recognitus, & additis scholijs illustratus.

Proœmium, in quo narrat, quur hoc opus assumpserit. Caput. I.

QVAM minime sim quietus, & in summis necessitatibus, ex hoc libello poteris æstimare, quem ad te rudibus pene uerbis, prout ingenij mediocritas tulit, Demetriane perscripsi: ut & quotidianum studiũ meũ nosses, & nõ deesse tibi præceptor etiam nũc, sed honestioris rei, melioriscq; doctrinæ. Nam si te in literis nihil aliud, quàm linguam instruentibus auditore satis strenuum præbuisti, quanto magis in his ueris, & ad uitam pertinentibus docilior esse debebis? apud quem nũc profiteor nullame necessitate uel rei, uel temporis impediri, quo minus aliquid excudã, quo philosophi nostræ sectæ, quam tuemur, instructiores doctioresq; in posterum fiant, quamuis nunc male audiant, calligenturq; uulgo, quòd aliter, quàm sapientibus conuenit, uiuant, & uitia sub obtẽtu nominis cælent, quibus illos aut mederi oportuit, aut ea prorsus effugere, ut beatum, atq; incorruptũ sapientiæ nomen, uita ipsa cũ præceptis congruente, præstarent. Ego tamẽ ut nos ipsos simul & cæteros instruam, nullum laborem recuso. Neq; enim possum obliuisci mei, præsertim quum maxime opus sit meminisse: sicut ne tu quidem tui, ut spero et opto. Nã licet te

publica

publicæ rei neceßitas à ueris, & iuſtis operibus auertat, tamen fieri nõ poteſt, quin ſubinde in cœlum aſpiciat mens ſibi conſcia recti. Ego quidem lætor omnia tibi, quæ pro bonis habentur, proſpere fluere, ſed ita, ſi nihil de ſtatu mentis immutent. Vereor enim ne paulatim conſuetudo uel iucunditas earum rerum (ſicut fieri ſolet) in animum tuum repat. Ideoq; te moneo, & repetens iterumq; iteruq; monebo, ne oblectamẽta iſta terræ pro magnis aut ueris bonis habere te credas, quæ ſunt non tantum fallacia, quia dubia, uerumetiam inſidioſa, quia dulcia. Nam & ille colluctator, & aduerſarius noſter ſcis quàm ſit aſtutus, & idem ſæpe uiolentus, ſicut nunc uidemus. Is hæc omnia quæ illicere poſſunt, pro laqueis habet, & quidem tam ſubtilibus, ut oculos mentis effugiant, ne poßint hominis prouiſione uitari. Summa ergo prudẽtia eſt, pedetentim incedere, quoniam utrobiq; ſaltus incidet, & offenſacula pedibus latenter opponit. Itaq; res tuas proſperas in quibus nũc agis, ſuadeo ut pro tua uirtute aut contemnas, ſi potes, aut nõ magnopere mireris. Memento & ueri parentis tui, & in qua ciuitate nomen dederis, & cuius ordinis fueris, intelligis profecto quid loquar. Nec enim te ſuperbiæ arguo, cuius in te ne ſuſpitio quidem ulla eſt, ſed ea quæ dico, ad mentem referenda ſunt, non ad corpus, cuius omnis ratio ideo comparata eſt, ut animo tanq; domino ſeruiat, & regatur nutu eius. Vas eſt enim quodammodo fictile, quo animus, id eſt homo ipſe uerus continetur, & quidem non à Prometheo fictum (ut poëtæ loquuntur) ſed à ſummo illo rerum cõditore atq; artifice deo, cuius diuinam prouidentiam perfectißimamq; uirtutem, nec ſenſu comprehendere, nec uerbo enarrare poßibile eſt. Tentabo tamen, quoniam corporis & animi facta mentio eſt, utriuſq; rationem, quantũ puſillitas intelligẽtiæ meæ peruidet, explicare. Quod officium hac de cauſa maxime ſuſcipiendũ puto, quod M. Tullius uir ingenij ſingularis in quarto de Repub. libro cum id

facere tentasset, nihil prorsus effecit, & materiam late patentē, angustis finibus terminauit, Iouiter summa quæq; decerpens. Ac ne ulla esset excusatio, cur cum locum non fuerit executus, ipse testatus est nec uolūtatem sibi defuisse, nec curam. In libro enim de legibus primo, cum hoc idem summatim stringeret, sic ait: Hunc locum satis (ut mihi uidetur) in his libris quos legistis, expressit Scipio. Postea tamē in libro de natura deorum secundo, hoc idem latius exequi conatus est. Sed quoniam nec ibi quidem satis expressit, aggrediar hoc munus, & summam mihi audaciæ explicandam, quod homo disertissimus pene omisit intactum: forsitan reprehēdas, quod in rebus obscuris coner aliquid disputare, cum uideas tanta temeritate homines extitisse, qui uulgo philosophi nominantur, ut ea quæ abstrusa prorsus atq; abdita deus esse uoluit, scrutarentur, ac naturam rerum cœlestium terrenarumq; conquirerent, quæ à nobis longe remotæ, neq; oculis contrectari, neq; tangi manu, neq; percipi sensibus possunt. Et tamen de illarum omnium ratione sic disputant, ut ea quæ dixerunt, probata & cognita uideri uelint. Quid est tandem cur nobis inuidiosum quisquam putet, si rationem corporis nostri inspicere & contemplari uelimus? Quæ plane obscura non est, quia ex ipsis membrorum officijs, & usibus partium singularum, quanta ui prouidentiæ quisq; factus sit, intelligere nobis licet.

IN PROOEMIVM.

Quàm minime. Quoties auget quàm, eleganter præponitur nominibus superlatiuis, vt quàm plurimis, siue cū plurimis. Cæterū quum usurpatur pro quantum, nō memini apud castè loquentes autores, iungi nisi positiuis. Hoc igitur loco dixissem, quàm non sim quietus, aut, quàm mihil mihi sit quietis.

Et in summis necessitatibus. Quidam codices habebant etiam, pro &, sed mendosè, ni fallor. Subauditur, quàm sim, & quàm sim in summis necessitatibus. Neq; enim hoc nouum est, hominem in summis necessitatibus esse minime quietum, sed coniunctiō & repetit, quod ante dictum est, vt infigat, quod M. Tullio est familiare, & veluti causam reddit. Ideo erat minime quietus, quia vel sabatum

sabatur in summis necessitatibus, hoc est, necessariis occupationibus: neq; enim, vt arbitror, loquitur de sua penuria, qua proditum est laborasse Lactantium, vsq; ad vitæ necessariorum inopiam.

Philosophi nostræ sectæ. Eleganter quidem, sed parum theologicè adnotauit Christianos, quod hunc libellum fere contexuit stilo philosophico, quemadmodum Boëtius librum de consolatione philosophiæ. Sectam autem vsurpauit in bonam partem, quod facit aliquoties Tertullianus, quum apud Græcos idē sonet hæresis quod nobis secta, & pios appellat sapientes, pietatem sapientiam, nouam professionem Christiani nūm.

Male audiant. O miseriam, etiam illa ætate sic refrixerat Christianorum pietas, vt euangelium apud ethnicos male audiret, ob impiam & impuram multorum vitam. Quid mirum si nunc male audimus apud Turcas?

Et castigare dixit non pro emendare, sed pro corripere siue flagellare. Rursus duplicauit verbum, male, & castigatur.

Nam licet. Rarum erat illo seculo Christianam pietatem inuenire in proceribus, aulicis, & magistratibus, magnū erat illos nomine Christianos esse.

Mens sibi conscia recti. Fragmentū est versus heroici ex Epigrammatibus Martialis, ni fallor, quemadmodum illud ex Marone, & repetens iterumq; iterumq; monebo.

Habere te credas. Nouè atq; adeò durè videtur dictū: quum enim hic habere sonet idem, quod ducere, siue æstimare, quomodo monet ne se credat credere esse vera bona? Potius monendus erat, ne duceret ea pro magnis bonis. Hęc non eò dico, q̄ insecter Lactantium, sed vt intelligant adolescentes, huiusmodi neuos deprehēdi nonnunquam in eloquentissimorum hominum scriptis, quando diuus Augustinus indicat & in M. Tullij libris ab eruditis deprehensos fuisse manifestos solœcismos, qualia nonnunq̄ excidunt, & horum temporum scriptoribus, & in his mihi quoq;.

Non tantum fallacia, quia dubia. Nihil hoc sermone lepidius.

γνώμη est, *ex quatuor comatibus modulata, ad numerorū gratiam accedit*, ὁμοιοπτωτου *iucunditas*, *tum* προσονομασία *in dubia, & dulcia.*

Colluctator & aduersarius. Rursus Tullij more cōgeminat vocē.

Colluctator qui Græcis ἀνταγωνιστὴς, *à palestra sumpta metaphora: aduersarius*, ἀντίδικος, *à iudicijs. Colluctator deijcit. Aduersarius procurat vt damneris.* 1. Pet. 5.

Salutis insidet. Quidā emendarant saluti insider Ex vetustissimo

codice reposui, saltus incidet. Id ductum à venatoribus. Vergilius: Saltusq; indagine cingunt.

Res tuas proprias. Ex fide vetustissimi codicis reposui prosperas. Nam ille magis versabatur in rebus alienis, quàm propriis.

Nomen dederis. Vt affectat pro Christianorum vocibus Rethorii vocabula. Ecclesiam appellat ciuitatem, & dare nomen dixit, pro profiteri Christianam religionem in baptismo.

Vas est enim. Commiscuit sententiam Platonis ex Phedone & Pauli: Ille dicit, corpus nihil aliud esse, quàm animi domicilium, animum ipsum esse verè hominem: Hic ait, habemus thesaurum istum in vasis.

Nihil prorsus effecit. Hæc verba aberant in vetusto codice. Videntur esse contumeliosiora, atq; adeò nec satis consentanea his quæ sequuntur, in quibus hoc tantum agit, vt ostendat M. Tullium, ea de re non satis plene disseruisse. Proinde mihi videntur expungenda: quanquam & illud saris Thrasonice dictum est Aggrediar hoc munus, & sumam mihi audacter explicandum, quod vir diserrissimus pene omisit intactum. Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Tanta temeritate. Id vehementer dictum magis, quàm ex arrogantia. Magis faciebat ad id, quod agit, si dixisset, philosophos indusmata sua, naturæ res abditissimas inuestigasse, & à sensibus nostris longissime semotas. quo minus, &c. Nec verum est, quòd Deus cælestium, ac terrestrium rerum causas voluit à nobis inquiri, imò in hoc ædidit hoc mirandum spectaculum, vt in eo versantes perspiceremus opificis æternam sapientiam, bonitatem, ac potentiam. Quorsum autem attinebat deprecari temeritatem in argumento sensibus omnibus obuio, tũ à tam multis celebribus scriptoribus tractato, nominatim à Platone compluribus locis, ab Aristotele libris de natura animalium, rursum libris de anima, à Plinio, postremo à medicis, qui tradunt anatomiam: Magis excusandũ erat quod publicam materiam, & à nemine non tractatam suscepisset.

Quæ deus homini, & quæ cæteris animalibus dedit. Cap. II.

DEdit enim homini artifex ille noster, ac parens deus sensum, atq; rationem: ut ex eo appareret nos ab eo esse generatos, quia ipse intelligentia, ipse sensus ac ratio est. Cæteris animantibus, quoniam rationalem istam uim non attribuit,

quemad-

quemadmodum tamen uita earum tutior esset, ante prouidit. Omnes enim suis ex se pilis texit, quo facilius possent uim pruinarum, ac frigora sustinere. Singulis autem generibus ad propulsandos impetus externos, sua propria munimenta cõstituit: ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus: aut quæ sunt imbecilliora, subtrahant se periculis pernicitate fugiendi: aut quæ simul & uiribus, & celeritate indigeant, astu se protegant, aut latibulis sepiant. Itaq; alia eorum uel plumis leuibus in sublime suspẽsa sunt, uel suffulta ungulis, uel instructa cornibus: quibusdã in ore arma sunt dentes, aut in pedibus adunci ungues, nulliq; munimentum ad tutelam sui deest. Si qua uero in prædam maioribus cedunt, ne tamen stirps eorũ funditus interiret, aut in eam sunt relegata regionem, ubi maiora esse non possunt, aut acceperunt uberem generandi fœcunditatẽ, ut & bestijs quæ sanguine aluntur, uictus suppeteret ex illis, & illatam tamen cladem ad conseruationẽ generis multitudo ipsa superaret. Hominem autẽ ratione concessa, & uirtute sentiendi atq; eloquendi data, eorũ, quæ cæteris animantibus attributa sunt, fecit expertem, quia sapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegasset, statuit nudum & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione uestiri. Ea uero ipsa, quæ mutis data, & homini denegata sunt, quàm mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non potest. Nam si homini ferinos dentes, aut cornua, aut ungues, aut ungulas, aut caudam, aut uarij coloris pilos addidisset, quis non sentiat, quàm turpe animal esset futurum, sicut muta, si nuda, & inermia fingerentur? Quibus si detrahas uel naturalem sui corporis uestem, uel ea, quibus ex se armantur, nec speciosa poterunt esse, nec tuta, ut mirabiliter, si utilitatem cogites, instructa, si speciem, ornata uideantur. Adeò miro modo cõsentit utilitas cũ decore. Hominem uero, quem æternũ animal atq; immortale fingebat, non extrinsecus, ut cætera, sed interius

armauit: nec munimentum eius in corpore, sed in animo posuit, quoniam superuacuum fuit, cum illi quod erat maximum, tribuisset, corporalibus eum tegere munimentis, cum præsertim pulchritudinem humani corporis impedirent. Vnde ego philosophorum qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, ut ostendant, nulla prouidentia instructum esse, ac regi mundum, sed originem rerum insecabilibus ac solidis corporibus assignant, quorum fortuitis concursionibus uniuersa nascantur, & nata sint. Prætereo quæ ad ipsum mundum pertinentia uitio dant, in quo ridicule insaniunt, id sumo, quod ad rem, de qua nunc agimus, pertinet.

IN CAPVT. II.

Rationalem istam vitam. Vetustus codex habebat, viam, ego legendum censeo, vim. Vt intelligas potentiam intellectiuam vni homini datam. Et mox sequitur vitam.

Omnes enim suis ex se pilis texit. Quidam habebãt pellibus pro pilis. Durius hic vsus est pronomine reciproco. Neq; enim se, referent deum, sed animantes. Deinde non omne animal tectum est pilis, aut etiam pellibus. Quædam enim muniuntur testa, vt ostrea, & testitudines, quædam concha, quædam corio, alia squamis, alia pennis, alia setis, alia spinis, alia aculeis, alia villis, alia crustis, alia laminis. Hæc cum copiose tractentur ab Aristotele, & Plinio, nec dubium quin eos legerit, mirũ cur illorum nullam faciat mentionem. Nominat Ciceronem, quem suggillat. Atqui candidius erat nominare eos, per quos profecit, quàm eum, quem notat.

Quàm ingratè de natura sua queratur humanum genus, cũ illi vni ratio tributa sit, qua cæteris animantibus præsit. Cap. III.

QVeruntur hominem nimis imbecillum, & fragilẽ nasci, quàm cætera animalia nascuntur, quæ ut sunt edita ex utero, protinus in pedes suos erigi, & gestire discursibus, statimq; aëri tolerando idonea esse, quàm in lucem naturalibus

libus indumentis munita processerint: hominem contrà nudum, & inermem, tanq; ex naufragio in huius uitæ miserias proijci, et expelli, qui neq; mouere se loco, ubi effusus est, posßit, nec alimentum lactis appetere, nec iniuriam temporis ferre. Itaq; naturam non matrem esse humani generis, sed nouercam, quæ cum mutis tam liberaliter gesserit, hominem uero sic effuderit, ut inops, & infirmus, & omni auxilio indigens, nihil aliud posßit, quàm fragilitatis suæ cõditionem ploratu, ac fletibus ominari, scilicet cui tantum in uita restet transire malorum. Quæ cum dicunt, uehementer sapere creduntur, propterea quod unusquisq; inconsideratè suæ conditioni ingratus est. Ego uero illos nunq; magis desperç contendo, quàm cũ hæc loquuntur. Considerans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse, ut non dicam potuisse, quia deus potest omnia: sed necesse est illa prouidentißima maiestas id effecerit, quod erat melius & rectius. Libet igitur interrogare istos diuinorum operum reprehensores, quid in homine deesse, quia imbecillior nascitur, credant. Num ideirco minus educentur homines, num minus ad summum robur ætatis prouehantur, num imbecillitas aut incrementum impediat aut salutẽ: quoniam quæ desunt ratio depẽdit? At hominis, inquiunt, educatio maximis laboribus constat: pecudum scilicet conditio melior, quod hæ omnes cum fœtum ædiderint, non nisi pastus suæ curam gerunt, ex quo efficitur, ut uberibus sua sponte distentis, alimentum lactis fœtibus ministretur, & id cogente natura, sine matrum solicitudine appetant. Quid aues? quarum ratio diuersa est: nonne maximos suscipiunt educando labores, ut interdum aliquid humanæ intelligẽtiæ habere uideantur? Nidos enim autumno ædificant, aut uirgultis & frondibus cõstruunt, & ciboriũ expertes, incubant ouis: & quoniam fœtus de suis corporibus edere datum non est, cibos conuehunt, & totos dies huiusmodi discursatione consumunt. Noctibus uero defendunt, fouent, pro-

tegunt. Quid amplius facere homines possunt, nisi hoc solum fortasse, quod non expellunt adultos, sed perpetua necessitudine ac uinculo charitatis adiunctos habẽt. Quid, quod auium fœtus multo fragilior, quàm hominis? Quia non ipsum animal ædunt, sed id, quod materni cœporis fotu & calore tepefactum animal efficiat, quod tamẽ cũ spiritu fuerit animatum (id uero implume, ac tenerum) non modo uolandi, sed ambulandi quoq; usu caret. Non ergo inceptissimus sit, si quis putet, male eam uolucribus egisse naturam, primum quòd bis nascuntur, deinde quòd tam infirmæ, ut sint quæsitis per laborẽ cibis à parẽtibus nutriendæ. Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt. Quæro igitur ab his, qui conditionem pecudum suæ præferunt: quid eligant, si deus his deferat optionem, utrum malint humanam sapientiã cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura. Scilicet non tam pecudes sunt, ut non malint uel fragilioram multo, quàm nunc est, dummodo humanam, quàm illam irrationabilem firmitatem. Sed uidelicet prudentes uiri, neq; hominis rationem uolunt cum fragilitate, neq; mutorum firmitatem sine ratione. Quo nihil est tam repugnans, tamq; contrarium, quod unumquodq; animal aut ratio instruat necesse est, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis instruatur, superuacua ratio est. Quid enim excogitabit, quid faciet, aut quid molietur, aut in quo lumen illud ingenij ostendet, cũ ea, quæ possunt esse rationis, ultro natura cõcedat? Si autem ratione sit præditum, quid operiet sepimentis corporis, cum semel cõcessa ratio naturæ munus posit implere? quæ quidem tantum ualet ad ornandũ, tuendumq; hominem, ut nihil potuerit maius, aut melius à Deo dari. Denique cum & corporis non magni homo, & exiguarum uirium, & ualetudinis sit infirmæ, tamẽ quoniã id, quod est maius, acceptis & instructior est cæteris animalibus, & ornatior. Nam cum fragilis, imbecillisq; nascatur, tamẽ et à mutis omnibus tutus est

& ea

& ea omnia, quæ firmiora nascuntur, etiam si uim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse nõ possunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quàm natura mutis, quoniam in illis nec magnitudo uirium, nec firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimãtur à nobis, aut nostræ subiecta sint potestati. Potest ne igitur aliquis, cum uideat etiam boues lucas cum immanissimis corporibus seruire homini, queri de opifice rerum deo, quòd modicas uires, quòd paruum corpus acceperit, nec beneficia in se diuina pro merito æstimat, quod est ingrati: aut (ut uerius loquamur) insani. Melius igitur Plato, ut hos (credo) ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quòd homo natus esset: & hoc ipsum quale sit, non est huius materiæ ponderare. Quanto melius, & sanius, qui sensit conditionem hominis esse meliorem q̃ istli, qui se pecudes natos maluerint? Quos si Deus in ea forte conuerterit animalia, quorũ sortem præferunt suæ, iam profecto cupiant remigrare, magnisq; clamoribus conditionem pristinã flagitent: quia non est tanti robur ac firmitas corporis, ut officio linguæ careas, aut auium per aërem libera discursatio, ut manibus indigeas. Plus enim manus præstant, quàm lcuitas ususq; pennarum: plus lingua, quàm totius corporis fortitudo. Quæ igitur amẽtia est, ea præferre, quæ si data sint, accipere detrectes?

IN CAPVT III.

Insecabilibus. De atomis sentit.

Quæ ad ipsum mundum pertinentia. Vocem pertinentia reposui ex fide vetustissimi codicis, ne quis suspicetur additum de meo.

Quam cætera animalia nascuntur. Hãc locutionis formã, nescio an apud vllũ autorẽ reperias. Licet nimis quàm inueniamus pro valde. Nec; enim est hic comparatiuum nomen: æque quàm pro æque atq; legimus. Hic nimis quàm vsurpauit pro præ, vt nimis imbecillum præ cæteris animantibus.

Mox itcrũ noue vsurpauit hãc vocẽ, statim quam, pro simul atq;.

Fletibus ominari. Retulit illud ex præfatione Pliniana in libri. 7. & à supplicijs vitam auspicatur.

Ratio deprehendit. Vetustus codex habebat depẽdit, vtraq; lectio tolerabilis,

tolerabilis. Deprehendit pro intelligit, seu animaduertit, & dependit pro compensat.
Sine matrũ solicitudine. Matrũ adiecimus ex fide vetusti codicis. Quo nihil est tam repugnans. Noua loquẽdi figura, pro eo quod erat, nihil est pugnantius. &c. Vnde Lactantius hos tropos sit imitatus demiror.
Boues vaccas, quidam addiderant equos, vtrunq; mendose. Ex fide vetusti codicis restitui, lucas boues, seu boues lucas. Nã Varro indicat elephantes olim fuisse vocatos lucas, à luce clypeorum regiorum auro fulgentium, siue quod in Lucanis primum Italis visi essent elephantes, quos Pyrrhus adduxerat. Bouem autem prisci *uocabant, quicquid esset ingens, unde* βουφάγος *dicebatur, qui* multũ ederet. Citatur & Neuij versiculus, atq; prius pariet locusta lucam bouẽ. Alioqui quum boues dixisset, quid opus erat addere vaccas? Aut quid magni est, si vaccæ pareant homini? At nullum animal elephanto maius, aut firmius, & tamen hominis imperia patitur.
Melius igitur. Hæc duo verba aberant in vetusto codice, quæ si addantur, videtur deesse dictiuncula, qui Plato, quo vt &c.
Quod & ipsum quale sit, non est huius materiæ ponderare: hæc aberant in vetusto codice.

Contra Epicureos, conquerentes homines morbis, & immaturæ morti subiectos. Caput. IIII.

Idem queruntur hominem morbis, & immaturæ morti esse subiectum. Indignantur uidelicet non deos se esse natos. Minime, inquiunt, sed ex hoc ostendimus, hominẽ nulla prouidentia esse factum, quòd aliter fieri debuit. Quid si ostendero idipsum magna ratione prouisum esse, ut morbis uexari poßit, & uita sæpe in medio cursus sui spatio rũperetur? Cũ enim Deus animal quod fecerat, sua sponte ad mortẽ transire cognouisset, ut morti ipsam, quæ est dissolutio naturæ, capere posset, dedit ei fragilitatem, quæ morti aditum ad dissoluendum animal inueniret. Nam si eius roboris fieret, ut ad eum morbus, & ægritudo adire non posset, ne mors quidem posset: quoniam mors sequela morborũ

est. Im-

est. Immatura uero mors, quomodo abesset ab eo, cui esset constituta † matura? Aliter † natura. Nempe nullum hominem mori uolunt, nisi cũ centesimum ætatis compleuerit annũ? Quomodo illis in tanta repugnantia rerum ratio poterit cõstare? Vt enim ante annos centum mori quisq; non posit, aliquid illi roboris, quod sit immortale, tribuendum est. Quo concesso, necesse est, conditionem mortis excludi. Id autem ipsum cuiusmodi potest esse, quod hominem contra morbos, & ictus extrancos, solidum atq; inexpugnabilem faciat? Cum enim constat ex ossibus, & neruis, & uisceribus, & sanguine, quid horum potest esse tam firmum, ut fragilitatem repellat, ac mortem? Vt homo indissolubilis sit ante id tempus, quod illi putant oportuisse constitui, ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia sunt omnia, quæ uideri, ac tangi possunt. Superest, ut aliquid ex cœlo petant, quoniam in terra nihil est, quod nõ sit infirmum. Cũ ergo sic homo formandus esset à Deo, ut mortalis esset aliquando, & res ipsa exigebat, ut terreno, & fragili corpore fingeretur. Necesse est igitur, ut mortem recipiat quandolibet, quoniam corporalis est. Corpus enim quodlibet solubile & mortale est. Stultissimi ergo sunt, qui de morte immatura queruntur, quoniam naturæ conditio locum illi facit. Ita cõsequens erit, ut morbis quoq; subiectus sit. Neq; enim patitur natura, ut abesse posit infirmitas ab eo corpore, quod idcirco non solidum, firmumq; natum est, ut aliquando soluendum sit. Sed putemus fieri posse, quemadmodum uolunt, ut homines ea conditione nascantur, ne quis morbo, mortiq; subiectus sit, nisi peracto ætatis suæ spatio, ad ultimam processerit senectutem. Nõ igitur uident, si ita sit constitutum, quid sequatur. Hominem utiq; nisi certo tempore, mori nullo modo posse, sed si prohiberi ab altero uictu potest, mori poterit. Res igitur exigit, ut homini, qui ante certum diem mori non potest, ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit. Si opus

cibo

cibo non erit, iam non homo ille, sed deus fiet. Ergo (ut superius dixi) qui de fragilitate hominis queruntur, id potissimum queruntur, quòd non immortales, & sempiterni sint nati. Nemo enim nisi senex mori debet. Nempe ideo mori debet, quia deus non est. Atqui mortalitas non potest cum immortalitate coniungi. Si enim mortalis est in senectute, immortalis esse in adolescentia non potest. Nec est ab eo conditio mortis aliena, qui quãdoq; moriturus est, nec ulla immortalitas est, cui sit terminus constitutus. Ita fit, ut & immortalitas exclusa in perpetuum, & ad tempus recepta mortalitas, hominem constituat in ea conditione, ut sit in qualibet ætate mortalis. Quadrat igitur necessitas undiq;, nec debuisse aliter fieri, nec fas fuisse. Sed isti rationem sequentium non uident, quia semel errauerunt in ipsa summa. Exclusa enim de rebus humanis diuina prouidentia, necessario sequebatur, ut omnia sua sponte sint nata. Hinc inuenerunt illas minutorum seminum plagas, & concursiones fortuitas, quæ rerum originem non uidebant. In quas se angustias cum coniecissent, iam cogebat eos necessitas existimare, animas eum corporibus nasci, & item cum corporibus extingui. Assumpserunt enim, nihil fieri mente diuina: quod ipsum non aliter probare poterant, quàm se ostenderent esse aliqua, in quibus uiderentur prouidẽtiæ ratio claudicare. Reprehenderũt igitur ea, in quibus uel maxime diuinitatem suam prouidẽtia mirabiliter expressit: ut illa, quæ retuli de morbis & immatura morte, cum deberent cogitare his assumptis, quæ necessario sequerentur. Sequuntur autem illa, quæ dixi, si morbum non reciperet, neq; tectis, neq; uestibus indigeret. Quid enim uentos, aut hymbres, aut frigora metueret, quorum uis in eo est, ut morbos afferant? Idcirco enim accepit sapientiam, ut aduersus nocentia fragilitatem suam muniat. Sequitur necessario, ut quoniam retinendæ rationis causa morbos capit, etiam mortem semper accipiat, quia is, ad quem morbus

morbus non uenit, firmus sit necesse est. Infirmitas autem habet in se mortis conditionem. Firmitas uero ubi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors, quæ sequitur senectutẽ. Præterea si mors certæ constituta esset ætati, fieret homo insolentißimus, & humanitate omni careret. Nã ferè iura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & cõscientia fragilitatis oriuntur. Deniq; imbecilliora, & timidiora quæq; animalia cõgregantur, ut quoniam uiribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur. Fortiora uero solitudines appetunt, quoniam robore, uiribusq; confidunt. Homo quoq;, si eodem modo haberet, ad propulsanda pericula suppetẽs robur, nec ullius alterius auxilio indigeret, quæ societas esset, quæ reuerentia inter se, quis ordo, quæue ratio, quæ humanitas? aut quid esset tetrius homine, quid efferatius, quid immanius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine uiuere, societatem appetit, ut uita communis & ornatior fiat & tutior. Vide igitur omnem hominis rationẽ in eo maxime stare, quòd nudus, fragilisq; nascitur, quòd morbis afficitur, quòd immatura morte mulctatur. Quæ si homini detrahantur, rationem quoq;, ac sapientiam detrahi necesse est. Sed nimis diu de rebus apertis disputo: cũ sit liquidum, nihil sine prouidentia nec factum esse unquam, nec fieri potuisse. De cuius operibus uniuersis si nũc libeat disputare per ordinem, infinita materia est. Sed ego de uno corpore hominis tantum institui dicere, ut in eo diuinæ prouidentiæ potestatem quanta fuerit, ostendam, his duntaxat in rebus, quæ sunt comprehensibiles, & apertæ. Nã illa, quæ sunt animæ, nec subijci oculis, nec cõprehendi queunt. Nunc de ipso uase hominis loquimur, quod uidemus.

IN CAPVT IIII.

Cui esset constituta natura. Matura reposuimus ex fide vetusti codicis. Affectauit enim ἐναντιώσεως gratiam, in immatura & matura. Quicquid enim suo tempore venit, maturum est.

Quando-

Quandolibet. Cõposite dixit, pro quocunq; tẽpore, & hoc noue, Ab altero victu. Consentiebant quidem exemplaria, sed nõ video, quid sibi velit alter victus. Suspicor legendum ab altore victu.
Quid esset deterius homine? Ex fide vetusti codicis reposui, quid esset tetrius: sequitur enim, quid efferatius. Tetrũ enim vocamus triste & inhumanum.

De differentia creationis animalium brutorum, & hominis secundum corpus. Caput. V.

IN principio cũ deus fingeret animalia, noluit ea in rotundã formæ speciem conglobare, atq; colligere, ut & moueri ad ambulandum, et flectere se in quamlibet partẽ facile possent, sed ex ipsa corporis summa produxit caput. Itẽ produxit membra quædã longius, quæ uocãtur pedes, ut alternis motibus solo fixa perducerent animal, quô mens tulisset, aut quô petẽdi abi necessitas prouocasset. Ex ipso autem uasculo corporis quatuor fecit extantia, bina posterius, quæ sunt in omnibus pedes. Item bina capiti & collo proxima, quæ uarios animantibus usus præbẽt. In pecudibus enim ac feris, sunt pedes posterioribus similes. In homine autẽ manus, quæ non ad ambulandũ, sed ad faciendum, operandũq; sunt natæ. Est & tertium genus, in quo priora illa neq; pedes neq; manus sunt, sed alæ, in quibus pennæ per ordinẽ fixæ, uolandi exhibent usum. Ita una fictio diuersas species, & usus habet. Atq; ut ipsam corporis crassitudinẽ firmiter comprehenderet, maioribus, & breuibus ossibus inuicẽ colligatis, quasi carinam cõpegit, quã nos dicimus spinã. Eãq; noluit ex uno, perpetuoq; osse formare, ne gradiendi, flectendiq; se facultatem animal non haberet. Ex eius parte quasi media, costas, id est transuersa, & plana ossa porrexit in diuersum, quibus clemẽter curuatis, & in se, uelut in circulum penè conductis, interna uiscera contegantur: ut ea, quæ mollia, & minus ualida fieri opus erat,

illius

illius solidæ cratis amplexu possent esse munita. In summo uerò constructionis eius, quam similem nauis carinæ diximus, caput collocauit, in quo esset regimen totius animantis. Datúq; illi hoc nomen est, ut quidem Varro ad Ciceronem scribit, quod hinc cæpiant initium sensus ac nerui. Ea uero, quæ diximus de corpore uel ambulandi, uel faciendi, uel uolandi causa esse producta, neq; nimium longis propter celerē mobilitatē, neq; nimium breuibus propter firmitatē, sed & paucis, & magnis ossibus constare uoluit. Aut enim bina sunt, ut in homine, aut quaterna, ut in quadrupede: quæ tamen nō fecit solida, ne in gradiendo pigritia & grauitas retardaret, sed cauata, & ad uigorem corporis conseruandum medullis intrinsecus plena: eaq; rursus non æqualiter porrecta finiuit, sed summas eorū partes crassioribus nodis conglobauit: ut et substringi neruis facilius, & uerti tutius possent. Vnde sunt uertibula nominata. Eos nodos firmiter solidatos leui quodam operculo texit, quod dicitur carthilago: scilicet ut sine attritu, & sine sensu doloris aliquo flecterentur: eosdē tamē nō in unum modum formauit. Alios enim fecit simplices, & in orbē rotundos, in his duntaxat articulis, in quibus moueri membra in omnes partes oportebat, ut in scapulis, quoniam manus utrolibet agitari, & contorqueri necessarium est. Alios autem latos et æquales, & in unā partē rotundos, & in his uticq; locis, ubi tantummodo curuari membra oportebat, ut in genibus, & in cubitis, & in manibus ipsis. Nam sicut manus ex loco, unde oriuntur à corpore, ubiq; uersus moueri speciosum simul et utile fuit, sic profecto si hoc idem etiam in cubitis accideret, & superuacuus esset huiusmodi motus, & turpis. Iā enim manus amissa dignitate, quā nunc habet, mobilitate nimia promuscidis similis uideretur: essetq; homo plane anguimanus. Quod genus in illa immanissima belua mirabiliter effectum est. Deus enim, qui prouidentiam & potestatē suam multarū rerum mirabili uarietate

uoluit

uoluit ostendere, quoniam caput eius animalis non tam longe porrexerat, ut terram posset ore contingere, quod erat futurum horribile atq; tetrum, & quia os ipsum profusis dentibus sic amaucrat, ut etiã si cõtingeret, pascendi tamẽ faultatẽ dentes adimerent, produxit inter eos à summa fronte flexibile membrum, quo tenere quidlibet posset, ut rationem uictus capiendi, uel dentium prominens magnitudo, uel ceruicis breuitas nõ impediret.

IN CAPVT V.

Item bina capiti & collo proxima.) Brachia ni fallor intelligit.
Vnde oriuntur à corpore.) à corpore non erat in vetusto codice, & redundat. Quis enim nescit manus oriri à corpore?
Vbiq; versus.) Et hoc noue dictum, pro quoq; versum.
Promuscidis.) Aldina æditio habebat proboscidis. Is est nasus elephanti, quo sibi prẽdit, ac porrigit cibũ, quando tibias nõ potest flectere ad pastum.
Anguimanus, quoniam anguis circumagit corpus in omnem partem. Ita dixit anguimanus, vt Ouidius dixit anguipedes. Nam inueniuntur angues anserinis pedibus. Autor Plinius.
Immanissima belua.) De elephanto loquitur. Eadem Aristoteles, ac Plinius.

Contra Epicurum, qui ex atomis fortuito concurrentibus compactum, facribatumq; hominem disputauit. Caput. VI.

NON possum hoc loco teneri, quo minus Epicuri stultitiam rursum coarguam. Illius enim sunt omnia, quæ deliirat Lucretius. Qui ut ostenderet animalia nõ artificio aliquo diuinæ mentis, sed ut solet fortuito esse nata, dixit in principio mundi alias quasdam innumerabiles animantes miranda specie & magnitudine fuisse natas, sed eas permanere non potuisse, quòd illas aut sumendi cibi facultas, aut coëundi, generandiq; ratio defecisset. Videlicet ut & atomis suis locum faceret, per infinitum & inane uolitantibus diuinam prouidentiam uoluit excludere.

eludere. Sed cum uideret in omnibus, quæ spirant, mirabilē prouidentiæ inesse rationem, quæ malum uanitas erat dicere fuisse animalia prodigiosa, in quibus ratio cessasset? Quoniam igitur omnia, quæ uidemus, cum ratione nata sint, id enim ipsum nascē efficere, nisi ratio non potest, manifestum est, nihil omnino rationis expers potuisse generari. At enim prouisum est in singulis quibusq; fingendis, quatenus & ministerio membrorum ad necessaria uitæ uterētur: & quatenus adiugatis corporibus elata soboles, uniuersas generatim conseruaret animantes. Nam si pe ritus architectus, cū magnū aliquod ædificium facere constituit, primo omniū cogitat, quæ summa perfecti ædificij futura sit, & ante † emētitur Aliter † cmetatur, quem locum leue pondus expectet, ubi magni operis statura sit moles, quæ columnarum interualla, qui aut ubi aquarum cadentium decursus & exitus, & receptacula: hæc inquam prius peruidet, ut quæcunq; sunt perfecto operi iam necessaria, cū ipsis fundamētis pariter ordiatur: cur Deum quisquam putet, machinandis animalibus non ante prouidisse, quæ ad uiuendū necessaria essent, q̄ ipsam uitā daret? Quæ utiq; constare non posset, nisi prius effecta essent, quibus constat. Videbat igitur Epicurus in corporibus animalium diuinæ rationis solertiam: sed ut efficeret, quod ante imprudenter assumpserat, adiecit aliud deliramētū, superiori cōgruens. Dixit enim, neq; oculos ad uidendū esse natos, neq; aures ad audiendū, neq; pedes ad ambulandū, quoniā membra hæc prius nata sunt, quam esset usus uidendi, & audiendi, & ambulandi: sed horum omnium officia ex natis extitisse. Vereor ne huiusmodi portēta deridicula refutare, non minus ineptum esse uideatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus: ne se ille nimis argutum putet. Quid ais Epicure? Non sunt ad uidendum oculi nati. Cur igitur uident? Postea, inquit, usus eorum apparuit. Videndi ergo caussa nati sunt: siquidem nihil possunt aliud, quàm uidere. Item

membra cætera cuius rei causſa nata ſint, ipſe uſus oſtendit. Qui utiq; nullo modo poſſet exiſtere, niſi eſſent membra omnia tam ordinate, tam prouidenter effecta, ut uſum poſſent habere. Quid enim, ſi dicas aues non ad uolandum eſſe natas, neq; feras ad ſæuiendum, neq; piſces ad natandum, neq; homines ad ſapiendum, cum appareat ei naturæ officioq; ſeruire animãtes ad quod eſt quæq; generata? Sed uidelicet qui ſummã ueritatis amiſit, ſemper erret neceſſe eſt. Si enim non prouidentia, ſed fortuitis atomorũ concurſionibus naſcuntur omnia, cur nunq̃ fortuito accidit ſic coire illa principia, ut efficerent animal eiuſmodi, quod naribus potius audiret, odoraretur oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullũ genus poſitionis inexpertũ relinquunt, oportuit eiuſmodi quotidie monſtra gencrari, in quibus membrorũ ordo præpoſterus, & uſus longe diuerſus exiſteret. Cũ uero uniuerſa gencra, & uniuerſa quoq; membra, leges ſuas, & ordines, & uſus ſibi attributos tueantur, certũ eſt, nihil fortuito eſſe factum, quoniã diuinæ rationis diſpoſitio perpetua ſeruatur. Verũ alias refellemus Epicurũ, nũc de prouidentia, ut cœpimus, diſſeramus.

IN CAPVT VI.

Quod malum vanitatis. Sic habebat & Aldina æditio ſed mendoſe. Ex vetuſto codice reſtitui, quæ malum vanitas. Malum enim hic interiectionis vim obtinet: Vt in illo Terentiano, qui malum alij. Hoc non aduertens Lector mutauit ſcripturam.

Nõ minus ineptum eſſe videatur, Sermo videtur imperfectus, niſi addas, quàm dicere, aut ſimile quippiam.

De Dei prouidentia circa vniuerſalẽ hominis fabricam. Cap. VII.

DEus igitur ſolidamenta corporis, quæ oſſa dicuntur, nodata, & adiũcta inuicẽ neruis alligauit, atq; cõſtrinxit: quibus mens ſi excurrere aut reſiſtere uelit, tanq̃ retinaculis utretur: & quidem nullo labore, nulloq; conatu, ſed uel minimo nutu totius corporis molem temperaret ac flecteret. Hæc autem uiſceribus

uiscéribus operuit,ut quemq; locum decebat,utq; solida ossa conclusa tegerent. Item uiscéribus ipsis uenas admiscuit quasi riuos per corpus omne diuisos,per quas discurrens humor & sanguis uniuersa mẽbra succis uitalibus irrigaret: & ea uiscera formata in eum modum,qui unicuiq; generi ac loco aptus fuit,superiecta pelle contexit. Quam uel sola pulchritudine decorauit,uel setis adoperuit,uel squamis muniuit,uel plumis insignibus adornauit. Illud uero commentũ dei mirabile,quod una dispositio, & unus habitus innumerabiles animantium præferat uarietates. Nã in omnibus ferè quæ spirant,eadem series,& ordo membrorum est. Primum enim caput, & huic annexa ceruix. Item collo pectus adiunctum,& ex eo prominẽtes armi,adhærens pectori uenter. Item uentri subnexa genitalia. Vltimo loco femora pedesq;. Nec solum membra suum tenorem,ac situm in omnibus seruant, sed etiam partes membrorum. Nam in uno capite ipso certã sedem possident aures,certã oculi,nares item,os quoq;,& in eo dentes & lingua. Quæ omnia cum sint eadem in cunctis animantibus, tamen infinita, & multiplex diuersitas figurarum est, quod ea, quæ dixi,aut productiora,aut contradictiora liniamentis uariè differentibus comprehensa sunt. Quid illud? nonne diuinum, quod in tanta uiuentiũ multitudine unumquodq; animal in suo genere est,et specie pulcherrimũ est? Vt si quid uicissim de altero in alterum transferatur,nihil impeditius ad utilitatem,nihil deformius ad aspectum uideri necesse sit. Vt si elephanto ceruicem prolixam tribuas,aut camelo breuem, uel si serpentibus pedes, aut pilos addas,in quibus porrecti æqualiter corporis lõgitudo nihil aliud exhibeat,nisi ut maculis terga distincti,et squamarũ leuitate suffulti,in lubricos tractus sinuosis flexibus laberentur: in quadrupedibus autem idem opifex contextũ spinæ à summo capite deductũ,longius extra corpus eduxit, & acuminauit in caudam: ut obscœnæ corporis partes,uel propter fœditatẽ tegerentur,

rentur,uel propter teneritudinẽ munirentur:ut animalia quædã minuta & nocentia, motu eius arcerentur à corpore. Quod membrum si detrahas,imperfectũ fit animal,ac debile. Vbi autẽ ratio & manus est,tam nõ est id necessarium,quàm indumentũ pilorum. Adeò in suo quæq; genere aptißime congruunt,ut neq; nudo quadrupede, neq; homine tecto excogitari quicq̃ turpius poßit. Cum tamen ipsa nuditas hominum mire ad pulchritudinẽ ualeat,non tamen etiam capiti congrucbat. Quanta enim in eo futura deformitas esset, ex caluitio apparet. Texit ergo illud pilo. Et quia in summo futurũ erat,quasi summum ædificij almẽ ornauit. Qui ornatus non est in orbem coactus, aut in figuram pilei teres factus, ne quibusdam partibus nudis esset informis: sed alibi effusus,alibi retractus,pro cuiuslibet loci decẽtia. Frons ergo uallata per circuitum, & à temporibus effusi ante aures capilli,& earum summæ partes in coronæ modũ cinctæ,& occipitium omne contectũ,speciem miri decoris ostentat. Iam barbe ratio,incredibile est,quantũ conferat ad dignoscendam corporũ maturitatem,uel ad differentiam sexus,uel ad decorem uirilitatis,ac roboris:ut uideatur omnino, non constatura fuisse totius corporis ratio,si quicquam aliter esset effectum.

IN CAPVT VII.

Hæc autem uisceribus.) Viscera dixit ipsam carnem.

Aut in figuram pilei teres factus.) Tametsi dissentiunt exemplaria tamen legendum arbitror pili,priore producta: globus rotundus est,hasta teres. Pilum autem hastæ Romanæ genus.

De forma hominis, & omnium membrorum habitudine, sed specialiter de auribus & oculis. Cap. VIII.

NVnc rationem totius hominis ostendam, singulorumq; membrorũ,quæ in corpore aperta, aut etiã operta sunt, utilitates,& habitus explicabo. Cum igitur statuisset Deus ex omnibus

omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cætera uniuersa terrena: hunc ad cœli contemplationem rigidũ erexit, bipedemq; constituit, scilicet ut eadem spectaret, unde illi origo est. Illa uero depressit ad terrã, ut quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecta, uentri, pabuloq; seruirẽt. Hominis itaq; solius recta ratio, & sublimis status & uultus Deo patri communis ac proximus, originem suam, fictoremq; testatur. Eius prope diuina mens, quia non tantum animantium, quæ sunt in terra, sed etiam sui corporis est sortita dominatum, in summo capite collocata, tanq̃ in arce sublimis speculatur omnia, & cõtuetur. Hanc eius aulã deus nõ obductã porrectãq; formauit, ut in mutis animalibus, sed orbi, & globo similem, quòd orbis rotunditas perfectæ rationis est, ac figuræ. Eo igitur mens, & ignis illis diuinus tanq̃ cœlo tegitur. Cuius cum summum fastigium naturali ueste texisset, priorem partem quæ dicitur facies, necessarijs membrorũ ministerijs et instruxit pariter, & ornauit. Ac primum oculorum orbes concauis foraminibus conclusit: à quo foratu frontem nominatam Varro existimauit: et eos neq; minus neq; amplius, quàm duos esse uoluit: quòd ad speciem nullus est perfectior numerus, quàm duorum: sicut & aures duas, quarum duplicitas incredibile est, quantam pulchritudinem præ se ferat, quòd tum pars utraq; similitudine ornata est, tũ ut uenientes altrinsecus uoces facilius colligantur. Nam & forma ipsa mirandum in modũ ficta, quod earum foramina uoluit esse nuda, & inobsepta, quod & minus decorũ, & minus utile fuisset: quoniam simplicium cauernarum angustias præteruolare uox posset, et spergi, nisi perceptã per cauos sinus, & repercussu retentam, foramina ipsa conuecherent, illis similia uasculis, quibus impositis, solent augustiora uasa compleri. Eas igitur aures, quibus est inditũ nomẽ à uocibus hauriendis. Vnde Vergilius. Vocemq; his auribus hausi: aut quia uocẽ ipsam Græcã

ἀκοήν uocant, ab auditu, per immutationem literæ, aures uelut audes sunt nominatæ, uoluit deus artifex mollibus pelliculis informare, quæ pulchritudinem demerent, pendulæ, atq; flaccentes: neq; duris, ac solidis ossibus, ne ad usum inhabiles essent, immobiles, ac rigentes, sed quod esset horũ medium excogitauit, ut eas carthilago mollior alligaret, & haberent aptam simul, & flexibilem firmitatem. In his audiendi tantum officium constitutum est, sicut in oculis uidendi. Quorũ præcipue inexplicabilis est, ac mira subtilitas: quia eorum orbes gemmarum similitudinem præferentes, ab ea parte, qua uidendum fuit, membranis perlucentibus texit: ut imagines rerũ contra positarũ tanq̃ in speculo refulgentes, ad sensum intimum penetrarent. Per eas igitur membranas, sensus ille, qui dicitur mens, ea, quæ sunt foris, transpicit: ne forte existimes, aut imaginum incursione nos cernere (ut philosophi dixerunt) quoniã uidendi officium in eo debet esse, quod uidet, non in eo, quod uidetur: aut intentione aëris cum acie, aut effusione radiorum: quoniam si ita esset, tardius, quàm oculis aduertimus, uideremus: donec intentus aër cum acie, aut effusi radij ad id, quod uidendũ esset, peruenirẽt. Quum autẽ uideamus eodem momento temporis, plerunq; uero aliud agentes, nihilominus tamen uniuersa, quæ cõtra sunt posita, intueamur, uerius, & manifestius est, mentem esse, quæ per oculos ea, quæ sunt opposita, transpiciat, quasi per fenestras lucẽte uitro, aut speculari lapide obductas. Et idcirco mens, & uoluntas, ex oculis sæpe dignoscitur. Quod quidem ut refelleret Lucretius, ineptissimo usus est argumento. Si enim mens, inquit, per oculos uidet, erutis & effossis oculis magis uideret: quoniam cuulsæ cum postibus fores, plus inferunt luminis, quàm si fuerint obductæ. Nimirum ipsi, uel potius Epicuro, qui cum docuit, effossi oculi erant, ne uiderent effossos orbes, & ruptas oculorum fibras, & fluentẽ per uenas sanguinẽ, et crescẽtes ex uulneribus carnes, et obductas ad

ultimum

ultimũ cicatrices, nihil posse lucis admittere. Nisi forte auribus oculos similes nasci uolebant, ut non tam oculis, q̃ foraminibus cerneremus, quo nihil ad speciem fœdius, ad uisum inutilius fieri potest. Quantulũ enim uidere possemus, si mens ab intimis penetralibus capitis, per exiguas cauernarũ riuulas attenderet: ut si quis uellet transpicere per cicutam, non plus profecto cernat, q̃ cicutæ ipsius capacitas comprehẽdat. Itaq; ad uidendũ membris potius in orbem conglobatis opus fuit, ut uisus in latum sparge retur, et quæ in primori facie adhæreret, ut liberè possint omnia contueri. Ergo ineffabilis diuinæ prouidentiæ uirtus fecit duos simillimos orbes: eosq; ita deuinxit, ut nõ in totum conuerti, sed moueri tamẽ, ac flecti cum modo possent. Orbes autem ipsos, humoris puri, ac liquidi plenos esse uolunt, in quorũ media parte scintillæ luminũ concluſæ tenerẽtur, quas pupillas nuncupamus: in quibus puris ac subtilibus cernendi sensus ac ratio cõtinetur. Per eos igitur orbes se ipsam mens intendit, ut uideat, miraq; ratione in unum miscetur, & coniungitur amborum luminũ uisus.

IN CAPVT VIII.

Vt eadem spectet.) Refragantibus exemplaribus legendũ arbitror eodem, vt aduerbio respondeat aduerbium, vnde.

Quia vocem.) Aut quia voce, reposui ex fide vetustissimi codicis, reddit enim geminam etymologiæ rationem.

Contra eos, qui sensus falsos esse contendunt. Caput. IX.

Libet hoc loco illorum reprehendere uanitatem, qui dum uolunt ostẽdere sensus falsos esse, multa colligũt, in quibus oculi fallantur: inter quæ illud est, quod furiosis, & ebrijs omnia duplicia uideantur. Quasi uero eius erroris obscura sit causa. Ideo enim fit, quia duo sunt oculi. Sed quomodo id fiat, accipe. Visus oculorum intentione animi constat. Itaq; quoniam mens, ut supra dictum est, oculis tanq̃ fenestris utitur, non tantum hoc

ebrijs,aut insanis accidit, sed etiã sanis,ac sobrijs. Nã si aliquid nimis prope admoueas,duplex uidebitur.Certum est enim interuallum ac spatiũ,quo acies oculorũ coit. Itẽ si retrorsum auoces animũ,quasi ad cogitandũ,& intentionem mentis relaxes, cum acies oculi utriusq; deducitur,tũc singuli uidere incipiunt separatim.Si animũ rursus intenderis,aciemq; direxeris,coit in unũ quicquid duplex uidebatur. Quid ergo mirum,si mens ueneno, ac potentia uini dissoluta, dirigere se non potest ad uidendum, sicut ne pedes quidem ad ambulandũ, neruis stupescentibus debiles:aut si uis furoris in cerebrum sæuiens,concordiã disiungit oculorũ? Quod adeò uerum est,ut luscis hominibus si aut insani aut ebrij fiant,nullo pacto possit accidere, ut aliquid duplex uidcant.Quare si ratio apparet,cur illi falluntur,manifestũ est,nõ esse falsos sensus,qui aut nõ falluntur,si sint puri & integri:aut si falluntur,mens tamen nõ fallitur,quæ illorum nouit errorem.

Ad oculorum fabricam redit,& omniũ membrorum habitudinem, sed speciliter quæ vsque ad ventrem per cutem apparent. Caput. X.

SEd nos ad dei opera reuertamur.Vt igitur oculi munitiores essent ab iniuria, eos ciliorum tegminibus occuluit, unde oculos dictos esse Varroni placet. Nã & ipsæ palpebræ,quibus mobilitas inest,palpitatio uocabulũ tribuit,pilis in ordine stantibus uallatæ,septum oculis decentissimũ præbent.Quarũ motus assiduus, incomprehensibili celeritate concurrens, & uidendi tenorem nõ impedit,& reficit obtutum.Acies enim,id est,membrana illa perlucens,quam siccari,& obarescere nõ oportet,nisi humore assiduo tersa, pure niteat,obsoleuit. Quid ipsa superciliorum fastigia pilis breuibus adornata,nonne quasi aggeribus & munimentũ oculis,ne quid superne incidat, & speciem simul

præstant

præstant? Ex quorũ confinio nasus exoriens, & ueluti æquali porrectus iugo, utranq; aciem simul & discernit, & munit. Inferius quoq; genarũ nõ indecens tumor in similitudinẽ collium leniter exurgens ab omni parte oculos efficit tutiores: prouisumq; est ab artifice summo, ut si quis forte uehemẽtior ictus extiterit, eminentibus repellatur. Nasi uero pars superior usq; ad medium solida formata est. Inferior autem carthilagine adhærct molli, ita ut ad usum digitorũ possit esse tractabilis. In hoc autẽ quamuis simplici membro tria sunt officia constituta, unum ducendi spiritus, alterum capiendi odoris, tertium ut per eius cauernas purgamenta cerebri defluant: quas ipsas deus quàm mirabili, quàm diuina ratione molitus est, ut tamen hiatus ipse nasi, oris speciem non deformaret. Quod erat plane futurũ, si simplex foramẽ pateret. At id uelut pariete per mediũ ducto inter sepsit atq; diuisit, fecitq; ipsa duplicitate pulcherrimum. Ex quo intelligitur, quantum dualis numerus una, & simplici compage solidatus, ad rerum ualeat perfectionem. Nam cum sit corpus unũ tamen totum ex simplicibus membris constare nõ poterat, nisi ut essent partes uel dextræ uel sinistræ. Itaq; ut pedes duo, & itẽ manus, nõ tantum ad utilitatem aliquam usumq;, uel gradiendi, uel faciendi ualent: sed & habitum, decoremq; admirabilem conferunt: sic & in capite, quod totius diuini operis quasi culmen est, & auditus in duas aures, & uisus in duas acies, & odoratio in duas nares à summo artifice diuisa est: quia cerebrum, in quo sentiendi ratio est, quamuis sit unum, tamen in duas partes membrana intercueniente discretum est: sed & cor, quod sapientiæ domicilium uidetur, licet sit unum, duos tamen intrinsecus sinus habet, quibus fontes uiui sanguinis cõtinentur, septo intercedẽte diuisi: ut sicut in ipso mundo summa rerũ uel de simplici duplex uel de duplici simplex, & gubernat, & continet totum, ita in corpore, de duobus uniuersa compacta, indissociabilem præten-

derent

derent unitatem. Oris quoq; species, & rictus ex transuerso patefactus, quàm utilis, quàm decens sit, enarrari non potest, cuius usus in duobus constat officijs, sumendi uictus, & eloquendi. Lingua intus inclusa, quæ uocē motibus suis in uerba discernit, & est interpres animi. Nec tamen sola potest per se eloquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi adiuta uel offensione dentium, uel compressione labiorū, dentes tamen plus conferunt ad loquendum. Nam & infantes non ante incipiunt fari, quàm dentes habuerint, & senes amissis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam reuoluti denuo esse uideantur. Sed hæc ad hominem solum pertinent, aut ad aues, in quibus acuminata & uibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuū flexiones, & sonorū uarios modos exprimit. Habet præterea et aliud officium, quo in omnibus, sed tamen solo in mutis utitur, quod contritos, & cōmolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos ui sua deprimit, & transmittit ad uentrem. Itaq; Varro à ligādo cibo putat linguæ nomen impositum. Bestias & potu adiuuat. Protenta enim, cauataq; hauriunt aquam, eamq; comprehēsam linguæ sinu, ne tarditate ac mora defluat ad palatum, celeri mobilitate complodunt. Hæc itaq; palati concauo tanq̄ testitudine tegitur, eamq; dentium ordine sepiens deus, quasi muro circumuallauit. Dentes autem ipsos ne nudi ac restricti magis horrori, quàm ornamento essent, gingiuis mollibus, quæ à gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honestauit. Quorum durities sicut in molari lapide maior est, & asperior, quàm in cæteris ossibus, ut ad cōterendos cibos pabulumq; sufficerent. Labra ipsa, quæ quasi ante cohærebant, quàm decenter intercidit, quorum superius sub ipsa medietate narium, lacuna quadā leui quasi ualle signauit, inferius honestatis gratia foras molliter explicauit. Nam quod attinet ad saporem capiendum, fallitur quisquis hunc sensum palato inesse arbitratur. Linguæ est enim,

est enim, qua sapores sentiuntur, nec tamẽ tota. Nã partes eius quæ sunt ab utroq; latere teneriores, saporem subtilissimis sensibus trahũt. Et cũ neq; ex cibo quicq̃, neq; ex potione minuatur, tamen inenarrabili modo penetrat ad sensum sapor, eadem ratione, qua nihil de quacunq; materia odoris decerpit. Cætera q̃ decora sint, uix exprimi potest. Deductũ clemẽter à genis mentũ & ita inferius conclusum, ut acumen eius extremum signare uideatur, leuiter impressa diuisio. Rigidum ac teres collũ, scapulæ uelut mollibus iugis à ceruice demissæ, ualida et substricta neruis ad fortitudinem brachia, insignibus toris extentum lacertorum ingens robur, utilis ac decens flexura cubitorũ. Quid dicam de manibus, rationis ac sapientiæ ministris? Quas solertissimus artifex plano ac modice concauo sinu fictas, ut si quid tenendũ sit, apte possit insidere, in digitos terminauit, in quibus difficile est expedire, utrum ne species an utilitas maior sit. Nã & numerus perfectus ac plenus, & ordo ac gradus decentissimus, & articulorum parium curuatura flexibilis, & forma unguium rotũda, cõcauis tegminibus digitorũ fastigia cõprehendens atq; firmãs, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatũ. Illud uero ad usum miris modis habile, quod unus à cæteris separatus, cum ipsa manu oritur, & in diuersum maturius finditur: qui se uclut obuium cæteris præbens, omnem tenendi faciendiq; rationem uel solus, uel præcipue possidet, tanq̃ rector omnium, atq; moderator. Vnde etiam pollicis nomen cæpit, quòd ui & potestate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non ut alij ternos, sed unus ad manus carnem nectitur pulchritudinis gratia. Si enim fuisset tribus articulis, & ipse discretus, fœda & indecora species ademisset manibus honestatem. Nam pectoris latitudo sublimis, & exposita oculis, mirabilem præ se fert habitus sui dignitatem. Cuius hæc causa est, quòd uidetur hominem solum deus ueluti supinum formasse. Nam fere

nullum

nullum animal iacere in tergum potest. Mutas autem animantes quasi alterno latere iacentes finxisse, atq; ad terrā compressisse. Idcirco illis angustum pectus, & ab aspectu remotum, & ad terram uersus abiectum: hominis autem patēs, & erectum, quia plenum rationis à cœlo datæ, humile aut indecens esse non debuit. Papillæ quoq; leuiter eminentes, & fuscioribus, ac paruis orbibus coronatæ, nonnihil addunt uenustatis, fœminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad solum decus, ne informe pectus, & quasi mutilum uideretur. Huic subdita est planicies uentris, quā mediam ferè umbilicus nō indecenti nota signat, ad hoc factus, ut per eum fœtus, dum est in utero, nutriatur.

IN CAPVT X.

Quo in omnibus, sed tamen solo in mutis vtitur. Vetus exemplar habebat, quo in hominibus, nō tamen solo in mutis vtitur. Hanc puto germanam fuisse scripturam. Nam si placet vulgata lectio, superest præpositio in, quo in omnibus, sed tamē solo, mutis vtitur. Lingua vtitur officio colligēdi cibos, in omnibus mutis animantibus, sed hoc solo, quum in homine geminum præbeat vsum.

De viscеribus, & intestinis, vsq; ad membra genitalia. Cap. XI.

SEquitur necessario, ut de internis quoq; uisceribus dicere incipiam, quibus nō pulchritudo, quia sunt abdita, sed utilitas incredibilis attributa est. Quoniā opus fuerat, ut terrenum hoc corpus succo aliquo, de cibis ac potibus aleretur, sicut terra ipsa hymbribus ac pruinis, prouidentissimus artifex in medio eius receptaculum cibis fecit, quibus cōcoctis & liquefactis, uitales succos mēbris omnibus partiret. Sed cū homo cōstet ex corpore, et anima, illud quod supra dixi receptaculū, soli corpori præstat alimentū, animæ uero aliam sedē dedit. Fecit enim genus quoddā uiscerū molle & rarū, quod pulmonē uocamus, in quod spiritus reciproca uicissitudine commearet, cumq; non in uteri modum finxit, ne effunderetur spiritus, aut inflaret semel. Idcoq; ne plenū

Aldino codex habet: ne effnnderet simul spūs, aut inflaret insimul. quidem uiscus effecit, sed inflabile, atq; aëris capax, ut paulatim spiritū reciperet, dum uitalis nētus per illam spargitur raritatē, & eundem rursus paulatim redderet, dū se ex illo explicat. Ipsa enim uicissitudo flandi, & spirandi, respirandiq; tractus, uitam sustentat in corpore. Quoniā ergo duo sunt in homine receptacula, unum aëris, quod alit animam, alterum ciborum, quod alit corpus, ut flecti ceruix, ac moueri facile possit, duas esse per collū fistulas necesse est, cibalem ac spiritalem, quarū superior ab ore ad uentrem ferat, inferior à naribus ad pulmonem. Quarū ratio & natura diuersa est. Ille enim, qui est ab ore transitus, mollis effectus est, & qui semper clausus cohæreat sibi, sicut os ipsum, quoniam cibus & potus dimota & patefacta gula, quia corporales sunt, spatium sibi transmeàndi faciunt. Spiritus contrà, quē est incorporalis ac tenuis, quia spatium sibi facere non poterat, accepit uiam patentē, quæ uocatur gurgulio. Is cōstat ex ossibus flexuosis ac mollibus, quasi ex anulis in cicutæ modum inuicem cōpactis & cohærentibus, patetq; semper hic transitus. Nullam enim requiem meandi habere spiritus potest. Qui quia semper commeat, demissa utiliter de cerebro membri portione, cui uuæ nomen est, uelut occursu quodam refrenatur, ne aut teneritudinē domicilij cū impetu ueniens, attracta pestilenti aura corrumpat aut totā nocendi uiolentiā internis receptaculis perferat. Ideoq; & nares breuiter sunt apertæ, quæ idcirco sic nominantur, quia per eas uel odor, uel spiritus nare non desinit. Tamen hæc fistula spiritalis non tantum ad nares, uerum quoq; ad os iter patet in extremis palati regionibus, ubi se folles fauciū spectantes uuam tollere incipiunt in tumorē. Cuius rei causa & ratio nō obscura est. Loquendi enim facultatē non haberemus, si sicut gulæ iter ad os tantum, ita gurgulio ad nares tantum pateret. Aperuit igitur uiam uoci diuina solertia ex illa fistula spiritali, ut posset lingua

ministerio

ministerio suo fungi,& uocis ipsius inoffensum tenorẽ,pulsibus suis in uerba concidere. Qui meatus si aliquo modo interceptus sit,mutum faciat necesse est. Errat enim profecto quisquis aliam causam putat,cur homines muti sint. Nõ enim,ut uulgo creditur uinctam gerunt linguam,sed hi uocalem illum spiritũ per nares quasi mugientes profundũt,quòd uoci transitus ad os aut nullus omnino est,aut non sic patens,ut plenam uocem possit emittere. Quod plerunq; natura fit, aliquando & casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus,uocem non transmittat ad linguam: faciatq; de loquẽtibus mutos. Quod cũ acciderit,auditum quoq; obstrui necesse est,ut quia uocẽ emittere nõ potest,ne admittere quidem possit. Loquendi ergo causa patefactus est hic meatus. Illud quoq; præstat,ut in lauacris celebrandis,quia nares calorẽ ferre nõ possunt,aër feruens ore ducatur. Itẽ si forte spiramenta nariũ frigoris pituita præcluserit,per os aurã trahere possimus ne obstructa meandi facultate,spiritus stranguletur. Cibi uero in aluum recepti, & cum potus humore permixti, cum iam calore percocti fuerint,eorũ succus inenarrabili modo per mẽbra diffusus, irrigat uniuersum corpus,& uegetat. Intestinorum quoq; multiplices spiræ ac longitudo in se conuoluta, & uno tamen substricta uinculo,quàm mirificũ dei opus est. Nã ubi maceratos ex se cibos aluus emiserit,paulatim per illos internorũ anfractus extruduntur,ut quicquid ipsis ineat succi,quo corpus alitur,membris omnibus diuidatur. Et tamen ne qui forte obhæreant,atq; resistant, quod fieri poterat propter ipsorũ uoluminũ flexiones in se sæpe redeuntes,& fieri sine pernicie nõ poterat, obleuit ea intrinseca craßiore suco, ut purgamenta illa uentris ad exitus suos facilius per lubricũ niterẽtur. Illa quoq; ratio subtilissima est,quòd uesica,cuius usum uolucres nõ habẽt,cũ sit ab intestinis separata,nec ullã habeat fistulã, qua ex illis urinã trahat, completur tamen,& humore distenditur. Id quomodo fiat, non est difficile

difficile peruidere. Inteſtinorũ enim partes, quæ ab aluo cibum, potũq; ſuſcipiunt, patentiores ſunt, q̃ cæteræ ſpiræ, & multo tenuiores. Hæ ueſicã circũplectuntur, & cõtinent, ad quas partes cũ potus & cibus mixta peruenerint, ſimum quidẽ craſsius fit, & tranſmeat. Humor autẽ omnis per illam teneritudinẽ percolatur, eumq; ueſica, cuius æque tenuis, ſubtiliſq; membrana eſt, abſorbet, et colligit, ut foras, qua natura exitũ patefecit, emittat.

IN CAPVT XI.

Oppleuit ea intrinſecus. Conſentiebat lectio in vulgaris exemplaribus, ſed in exemplari manu deſcripto, comperi veram lectionem obleuit, ſententia eadem apud Ariſtotelem & Plinium.

De membris conceptionis, & ipſius cõceptus phyſica ratione. Ca. XII.

DE utero quoq;, & conceptione (quoniam de internis loquimur) dici neceſſe eſt: ne quid præteriſſe uideamur. Quæ quanq̃ in operto latent, ſenſus tamẽ, et intelligentiã latere non poſſunt. Vena in maribus, quæ ſemen continet, duplex eſt: paulo interior, quàm illud humoris obſcœni receptaculũ. Sicut enim renes duo ſunt, itemq; teſtes, ita & uenæ ſeminales duæ, in una tantum compage cohærentes, quod uidemus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt. Sed illa exterior, maſculinũ cõtinet ſemen, ſiniſterior fœmininũ: & omnino in toto corpore pars dextra maſculina eſt, ſiniſtra uero fœminina. Ipſum ſemen quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni cœrpore ad uenã genitalẽ confluere, ibiq; concreſcere. Sed hoc humana mens quomodo fiat, non poteſt cõprehendere. Item in fœminis uterus in duas ſe diuidit partes, quæ in diuerſum diffuſæ ac reflexæ, circumplicantur, ſicut arietis cornua. Quæ pars in dextram retorquetur, maſculina eſt, quæ in ſiniſtrã, fœminina. Conceptũ igitur Varro & Ariſtoteles ſic fieri arbitrantur: Aiunt non tantũ maribus ineſſe ſemẽ, uerum & fœminis, & inde plerunq; matribus

ſimiles

similes procreari, sed earum semen sanguinẽ esse purgatũ. Quod si recte cũ uirili mixtum sit, utraq; cõcreta, & simul coagulata informari. Et primum quidẽ cor hominis confingi, quòd in eo sit & uita hominis, & sapientia. Deniq; totũ opus quadragesimo die consummari. Ex abortionibus hæc fortasse collecta sunt. In auium tamen fœtibus primum oculos fingi dubium nõ est, quod in ouis sæpe deprehendimus. Vnde fieri nõ posse arbitror, quin fictio à capite sumat exordiũ. Similitudines autẽ in corporibus filiorum sic fieri putãt: Cum semina inter se permixta coaleſcũt si uirile superauerit, patri similem prouenire, seu marem, seu fœminam. Si muliebre prævaluerit, progeniẽ cuiusq; sexus ad imaginem respondere maternam. Id autem prævalet è duobus, quod fuerit uberius. Alterũ enim quodãmodo amplectitur, ac includit. Hinc plerunq; fieri solet, ut unius tantum liniamẽta prætendat. Si uero æqua fuerit ex pari semente permixtio, figuras quoque misceri, ut soboles illa communis aut neutrum referre uideatur, quia totum ex altero non habet: aut utrunq;, quia partem de singulis mutuata est: nã in corporibus animalium uidemus aut confundi parentum colores, ac fieri tertium neutri generantium similem, aut utriusq; sic exprimi, ut discoloribus mẽbris per omne corpus concors mixtura uarietur. Dispares quoq; naturæ hoc modo fieri putãtur, cum forte in leuam uteri partem masculinæ stirpis semen inciderit, marem quidẽ gigni opinatio est. Sed quia sit in fœminina parte cõceptus, aliquid in se habere fœmineum, supra, quàm decus uirile patiatur: uel formã insignẽ, uel nimium candorẽ, uel corporis leuitatem, uel artus delicatos, uel staturam breuem, uel uocem gracilem, uel animum imbecillem, uel ex his plura. Item si in dextram partẽ semẽ fœminini sexus influxerit, fœminam quidem procreari: sed quoniam in masculina parte concepta sit, habere in se aliquid uirilitatis, ultra, quàm sexus ratio permittat: aut ualida membra, aut immoderatam longitudinem,

dinem, aut fuscum colorem, aut hispidam faciem, aut uultum indecorum, aut uocem robustam, aut animum audacem, aut ex his plura. Si uero masculinum in dexterã, fœmininum in sinistram peruenerit, utroq; fœtus recte prouenire, ut et fœminis per omnia naturæ suæ decus constet, & maribus tam mente, quàm corpore robur uirile seruetur. Illud uero ipsum quàm mirabile constitutum à deo, quod ad conseruationẽ generum singulorũ duos sexus maris & fœminæ machinatus est, quibus inter se per uoluptatis illecebras copulatis, suaæßiua soboles pareretur, ne omne genus uiuentiũ cõditio mortalitatis extingueret. Sed plus roboris maribus attributũ est, ut facilius ad patientiã iugi maritalis fœminæ cogerentur. Vir itaq; nominatus est, quòd maior in coitus est, q̃ in fœmina, & hinc uirtus nomen accepit. Itẽ mulier (ut Varro interpretatur) à mollicie est dicta, immutata & detracta litera, uelut mollier. Cui suscepto fœtu, cũ partus appropinquare iã cœpit, turgescẽtes mammæ dulcibus succis distẽduntur, & ad nutrimẽta nascẽtis fontibus lactis fœcundũ pectus exuberat: nec enim decebat aliud, q̃ ut sapiẽs animal à corde alimoniã duceret. Idq; ipsum solertißime cõparatum est, ut candens, ac pinguis humor tenecitudinẽ noui corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos dẽtibus instruatur, & uiribus roboretur. Sed reddeamus ad propositũ, ut cætera, quæ restãt, breuiter explicemus.

Contra illos, qui per voluptatẽ membris genitalibus abutuntur, & subditorũ membrorum forma. Cap. XIII.

Poteram nunc ego ipsorum quoq; genitalium membrorũ mirificam rationem tibi exponere, nisi me pudor ab huiusmodi sermone reuocaret. Itaq; à nobis indumento uerecundiæ, quæ sunt pudenda, uelentur. Quod ad hanc rem pertinet, queri satis est, homines impios ac prophanos summũ nefas admittere,

qui diuinũ, & admirabile dei opus, ad propagandã succeſsionẽ inexcogitabili ratione prouiſum & effectũ, uel ad turpiſsimos quæſtus, uel ad obſcœnæ libidinis pudenda opera conuertunt, ut iam nihil aliud ex re ſanctiſsima petãt, quàm inanem, & ſterilẽ uoluptatem. Quid reliquæ corporis partes, num carent ratione aut pulchritudine. Conglobata in nates caro, quàm ſedendi officio apta, & eadem firmior, q̃ in cæteris membris, ne premente corporis mole, oſsibus cederet. Item fœminum deducta, & latioribus toris ualida longitudo, quo facilius onus corporis ſuſtineret, quam paulatim deficientem, in anguſtum genua determinãt, quorũ decentes nodi flexurã pedibus ad gradiendũ ſedendumq; aptiſsimã præbent. Item crura nõ æquali modo ducta, ne indecẽs habitudo deformaret pedes, ſed teretibus ſuris clementer extantibus, ſenſimq; tenuatis, & firma ſunt, & ornata. In plantis uero eadem quidẽ, ſed tamẽ longe diſpar, q̃ in manibus ratio eſt. Quæ quoniã totius operis quaſi fundamẽta ſunt, mirificus eas artifex nõ rotunda ſpecie, ne homo ſtare nõ poſſet, aut alijs ad ſtandum pedibus indigeret, ſicut quadrupedes: ſed porrectiores, lõgioreſq; formauit, ut ſtabile corpus efficerent planicie ſua. Vnde illis inditum nomen eſt. Digiti æque totidem quot in manibus, ſpeciem magis, quàm uſum præferẽtes. Ideoq; & iũcti, & breues, & gradatim compoſiti. Quorum quidem maximus, quoniã illum ſicut in manu diſcerni à cæteris opus non erat, ita in ordinẽ redactus eſt, ut tamen ab alijs magnitudine, ac modico interuallo diſtare uideatur. Hæc eorum ſpecioſa germanitas, non leui adiumento niſum pedum firmat. Concitari enim ad curſum non poſſumus, niſi digitis in humum preſsis, ſoloq; nitẽtibus, impetum ſaltumq; capiamus. Explicaſſe uideor omnia, quorum ratio intelligi poteſt. Nunc ad ea uenio, quæ uel dubia, uel obſcura ſunt.

Quòd de multis, quæ ſunt in corpore, ratio ſciri nequit. Cap. XIIII.

MVlta esse constat in corpore, quorum uim, rationemq; perspicere nemo, nisi qui fecit, potest. An aliquis enarrare se putat posse, quid utilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua circumnectitur aluus, ac tegitur? Quid renũ gemina similitudo? Quos ait Varro ita dictos, quòd riui ab his obscœni humoris oriantur, quod est longe secus, quia spinæ altrinsecus supini cohærẽt, & sunt ab intestinis separati. Quid splen? quid iecur? quid uiscera, quæ quasi ex conturbato sanguine uidentur esse cõcreta? Quid fellis amarissimus liquor? Quid globus cordis, qui unus sanguinis fons est? Nisi forte illis credendũ putabimus, qui affectum iracundiæ in felle cõstitutum putant, pauoris in corde, lætitiæ in splene. Ipsius autem iecoris officium uolunt esse, ut cibos in aluo cõcoquat amplexu & calefactu suo, quidã libidines rerum uenerearum in iecore cõtineri arbitrantur. Primum ista perspicere acumẽ humani sensus non potest, quia horũ officia in operto latẽt, nec usus suos patefacta demonstrant. Nã si ita esset, fortasse placidiora quæq; animalia uel nihil fellis omnino, uel minus haberẽt, quàm feræ, timidiora plus cordis, salaciora plus iecoris, lasciuiora plus splenis habuissent. Sicut igitur nos sentimus audire auribus, oculis cernere naribus odorari, ita profecto sentiremus nos felle irasci, iecore cupere, splene gaudere. Cum autem unde affectus isti ueniant, minime sentiamus, fieri non potest, ut aliunde ueniant, & aliud uiscera illa, quàm suspicamur, efficiant. Nec tamẽ conuincere possumus, falsa illos, qui hæc disputant, dicere. Sed omnia, quæ ad motus animi, animæq; pertineant, tam obscura, altæq; rationis esse arbitror, ut supra hominem sit, ea liquido peruidere. Id tamen certum, et indubitatum esse debet, res tot, tanta uiscerum genera unum & idem habere officium, ut animam contineant in corpore. Sed quid proprie singulis muneris sit iniunctum, quis scire nisi artifex potest, cui soli opus suum notum est.

De obscura vocis ratione. Cap. XV.

DE uoce autem quam rationem reddere possumus? Grammatici quidem ac philosophi uocē esse definiunt, aërem spiritu uerberatum, unde uerba sunt nuncupata, quod perspicue falsum est. Nō enim uox extra os gignitur, sed intra, & ideo uerisimilior est illa sentētia, stipatū spiritum cū obstantia fauciū fuerit illisus, sonū uocis exprimere: ueluti cum in patentē cicutā labroq; subiectam dimittimus spiritum, & is cicutæ concauo reperaëssus, ac reuolutus à fundo, dum descendentem occurſu suo reddit, ad exitum nitens sonum gignit, & in uocālē spiritum resiliens per se uentus animatur. Quod quidem an uerum sit, deus artifex uiderit. Videtur enim non ab ore, sed ab intimo pectore uox oriri. Deniq; ore clauso, ex naribus emittitur sonus, qualis potest. Prætcrea ex maximo spiritu quo anhelamus, uox non efficitur, & leui, & non coartato spiritu quoticns uolumus, efficitur. Non est igitur comprehensum quomodo fiat, aut quid sit omnino. Nec mē nunc in academiæ sentētiam delabi putes, quia nō omnia sunt incomprehensibilia. Vt enim fatendum est, multa nesciri, quæ uoluit deus intelligentiam hominis excedere, sic tamen multa esse, quæ possint & sensibus percipi, & ratione comprehendi. Sed erit nobis cōtra philosophos integra disputatio. Conficiamus igitur spatium, quō nunc decurrimus.

Vbi sit mentis sedes, & qua ratione corpori cōiungatur. Ca. XVI.

MEntis quoq; rationem incomprehensibilem esse quis nesciat, nisi qui omnino illā non habet, cum ipsa mens quo loco sit, aut cuiusmodi, nesciatur? Varia ergo à philosophis de natura eius ac loco disputata sunt. At ego non dissimulabo, quid ipse sentiam, nō quia sic esse affirmem (quod est insipientis in re dubia facere) sed ut exposita rei difficultate, intelligas, quanta

quanta sit diuinorũ operum magnitudo. Quidam sedem mentis in pectore esse uoluerunt, quod si ita est, quanto tandẽ miraculo dignum est, rem in obscuro, ac tenebroso habitaculo sitam, in tanta rationis atq; intelligentiæ luce uersari: tum quòd ad eam sensus ex omni corporis parte cõueniunt, ut in qualibet regione membrorũ præsens esse uideatur. Alij sedem eius in cerebro esse dixerunt, & sane argumentis probabilibus usi sunt, oportuisse scilicet quod totius corporis regimen haberet, potius in summo tanq̃ in arce corporis habitare, nec quicq̃ esse sublimius, quàm id, quod uniuersum ratione moderetur, sicut ipse mũdi dominus & rector in summo est. Deinde quòd sensus omnis, id est, audiendi, & uidendi, & odorandi ministra membra in capite sunt locata, quorum omnium uiæ nõ ad pectus, sed ad cerebrum ferant. Alioquin necesse esset nos tardius sentire, donec sentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus usq; descenderet. Hi uero aut nõ multum, aut fortasse non errant. Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tanq̃ in cœlo Deus. Sed quando in aliqua sit cogitatione, commeare ad pectus, & quasi ad secretum aliquod penetrale secedere, ut consilium tanq̃ ex thesauro recondito eliciat ac proferat. Ideoq; cũ intenti ad cogitandum sumus, & cum mens occupata in altum se abdiderit, neq; audire quæ circũsonant, neq; uidere quæ obstãt solemus. Id uero siue ita est, admirandum profecto est, quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat. Sin autem nõ, hoc tamẽ nihilominus admirandum est, quod diuina nescio qua ratione fiat, ut ita esse uideatur. An potest aliquis nõ admirari, quòd sensus ille unus atq; cœlestis, qui mens, uel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis est, ut ne tum quidem, cũ sopitus est, conquiescat, tantæ celeritatis, ut uno temporis puncto cœlũ omne collustret, si uelit, maria peruolet, terras et urbes peragret. Omnia denicq; quæ libuerit, quãuis longe, lateq; summota sint, in

conſpectu ſibi ipſe conſtituat. Et miratur aliquis, ſi diuina mens dei per uniuerſas mundi partes intẽta diſcurrit, & omnia regit omnia moderatur, ubiq; præſens, ubiq; diffuſa: cum tanta ſit uis ac poteſtas mentis humanæ, intra mortale corpus incluſæ, ut nec ſeptis quidem grauis huius, ac pigri corporis, cui illigata eſt, coërceri ullo pacto poſſit, quo minus ſibi liberam uagandi facultatem quietis impatiens largiatur. Siue igitur in capite mens habitat, ſiue in pectore, poteſt ne aliquis comprehẽdere, quæ uis rationis efficiat, ut ſenſus ille incomprehenſibilis, aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo ſanguine bipartito, qui eſt incluſus in corde: ac nõ ex eo ipſo colligat, quanta ſit ei poteſtas, quod animus ſeipſum non uidet, aut qualis, aut ubi ſit, nec ſi uideat, tamẽ perſpiccre poſſit, quo pacto rei corporali incorporalis adiũcta ſit: ſiue etiã mentis locus nullus eſt, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrit, quod & fieri poteſt, & à Xenocrate Platonis diſcipulo diſputatum eſt. Siquidem ſenſus in qualibet parte corporis præſto eſt, nec quid ſit mens ipſa, nec qualis, intelligi poteſt, cum ſit natura tam ſubtilis, ac tenuis, ut ſolidis uiſceribus infuſa uiuo & quaſi ardenti ſenſu membris omnibus miſceatur. Illud autem caue, ne unquàm ſimile ueri putaueris, quod Ariſtoxenus dixit: Mentẽ omnino nullam eſſe, ſed quaſi harmoniam in fidibus ex conſtructione corporis, & compagibus uiſcerum uim ſentiendi exiſtere. Muſici enim intenſionem concentúmque neruorum in integros modos ſine ulla offenſione conſonantium harmoniam uocant. Volunt igitur animũ ſimili ratione conſtare in homine qua concors modulatio conſtat in fidibus: ſcilicet ut ſingularũ corporis partiũ firma coniunctio, membrorumq; omnium conſentiens in unum uigor, motũ illum ſenſibilem faciat, animumq; concinnet, ſicut nerui bene intenti conſpirantem ſonum. Et ſicut in fidibus cum aliquid aut interceptũ, aut relaxatum eſt, omnis canẽdi ratio turbatur & ſoluitur, ita in corpore cũ pars aliqua membrorũ

membrorũ duxerit uitiũ, destrui uniuersa, corruptisq; omnibus, atq; turbatis, occidere sensum, eamq; mortem uocari. Verum ille si quicq̃ mẽtis habuisset, nunq̃ harmoniam de fidibus ad hominẽ transtulisset. Nõ enim cancre sua sponte fides possunt, ut sit ulla in his comparatio, ac similitudo uiuentis. Animus autem sua sponte & cogitat, & mouetur. Quod si quid in nobis harmoniæ simile esset, ictu moueretur externo, sicut nerui manibus, qui sine tactu artificis, pulsúq; digitorum, muti, atq; inertes iacent. Sed nimirum pulsandus ille manu fuit, ut aliquando sentiret, quia mens eius ex membris male compacta torpebat.

Quòd anima sit æterna, & quid sit secundum philosophorum varias opiniones. Cap. XVII.

Superest de anima dicere, quanquam percipi ratio eius, & natura non possit. Nec ideo tamen immortalẽ esse animam nõ intelligimus, quoniã quicquid uiget, mouetur q; per se semper, nec uideri aut tangi potest, æternum sit necesse est. Quid autem sit anima, nondum inter philosophos conuenit, nec unq̃ fortasse conueniet. Et alij sanguinem esse dixerunt, alij ignem, alij uentũ, unde anima uel animus nomẽ æpit, quod græce uẽtus ἄνεμος dicitur, nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid uidetur. Nõ enim si anima sanguine, aut per uulnus effuso, aut febriũ calore cõsumpto uidetur extingui, continuo in materia sanguinis animæ ratio ponenda est: ueluti si ueniat in quæstionẽ: Lumen quo utimur quid sit, & respondeatur oleum esse, quoniam cõsumpto illo lumen extinguitur, cum sint utiq; diuersa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergo anima similis esse lumini, quæ nõ ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alitur, ut lumen oleo. Qui autem ignem putauerunt, hoc usi sunt argumẽto, quòd præsente anima corpus caleat, recedente frigescat. Sed ignis & indiget

sensu,& uidetur,& tactu comburit. Anima uero & sensu aucta est,& uideri non potest, & non adurit. Vnde apparet animam nescio quid esse deo simile. At illi,qui uentũ putant,hoc fallũtur, quòd ex aëre spiritum ducentes, uiuere uidcamur. Varro itaq; definit: Anima est aër conceptus ore,defcruefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. Hæc apertißime falsa sunt. Neq; enim tam obscuram nobis huiusmodi rerum dico esse rationem,ut ne hoc quidem intelligamus,quid uerum esse possit. An si mihi quispiam dixerit,æneum esse cœlum,aut uitreum,aut (ut Empedocles ait) aërem glaciatum, statim ne assentiar,quia cœlũ ex qua materia sit,ignorem? Sicut enim hoc nescio,ita illud scio. Anima ergo non est aër ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quàm concipi aër ore possit. Non enim post partũ insinuatur in corpus (ut quibusdam philosophis uidetur) sed post conceptum protinus,cum fœtum in utero necessitas diuina formauit,quia adeò uiuit intra uiscera genetricis,ut & incremento augeatur,& crebris pulsibus gestiat emicare. Denig; abortum fieri necesse est,si fuerit animal intus extinctum. Cæteræ definitionis partes eò spectant, ut illis nouem mensibus, quibus in utero fuimus,mortui fuisse uideamur. Nulla exgo ex his tribus uera sententia est. Nec tamẽ in tantum eos falsos esse dicendum est,qui hæc senserunt,ut omnino nihil dixerint. Nam & sanguine simul & calore,& spiritu uiuimus. Sed cum constet anima in corpore,his omnibus adunatis, non expressernnt proprie,quid esset,quia tam non potest exprimi, quàm uideri.

Vtrum animus & anima sint idem. Caput. XVIII.

SEquitur alia,et ipsa inextricabilis quæstio. Idẽ ne sit animus & anima,an uero aliud sit illud,quo uiuimus,aliud autem quo sentimus et sapimus. Nõ desunt argumẽta in utranq; partẽ.

Qui

Qui enim unum esse dicũt, hanc rationem sequuntur, quòd neq; uiui sine sensu possit, nec sentiri sine uita, idcoq; esse non posse diuersum id, quod non potest separari, sed quicquid est illud, & uiuendi officium, & sentiendi habere rationẽ. Idcirco animum & animam indifferenter appellant duo Epicurei poëtæ. Qui autem dicunt esse diuersa, sic argumentãtur, ex eo posse intelligi aliud esse mentẽ, aliud animã, quia incolumi anima mens possit extingui, quod accidere soleat insanis. Item quod anima morte sopiatur, animus somno. Et quidem sic, ut non tantũ quid faciat, aut ubi sit, ignoret, sed etiam rerum falsarum contemplatione fallatur, quod quomodo ipsum fiat, nõ potest perui deri, cur fiat potest. Nã requiescere nullo pacto possumus, nisi mens uisionũ imaginibus occupata teneatur. Latet autẽ mens oppressa somno tanq̃ ignis obducto cinere sopitus, quem si paululum cõmoueris rursus ardescit, & quasi euigilat. Auocatur ergo simulachris, donec mẽbra sopore irrigata uegetentur. Corpus enim uigilante sensu, licet iaceat immobile, tamen non est quietum, quia flagrat in eo sensus & uibrat ut flamma, et artus omnes ad se astrictos tenet. Sed postq̃ mens ad complendas imagines ab intẽtione est traducta, tunc demum corpus omne resoluitur in quietem. Traducitur autem mens cogitatione cæca, cum cogentibus tenebris secum tantummodo esse cœperit, dum intẽta est in ea, de quibus cogitat, repente somnus obrepit, & in species proximas sensi ipsa cogitatio declinat. Sic ea, quæ sibi ante oculos posuerat, uidere quoq; incipit. Deinde procedit ultcrius, & sibi auocamẽta inuenit, ne saluberrimam quietem corporis interrumpat. Nam ut mens per diem ueris uisionibus auocatur, ne obdormiat, ita falsis, ne excitetur. Nam si nullas imagines cernat, aut uigilare illã necesse est, aut perpetua morte sopiri. Dormiendi ergo causa tributa est à deo ratio somniandi, & quidem in commune uniuersis animantibus. Sed illud homini præcipuum, quod eam eam

rationem

ration em deus quietis causa darct, facultatē sibi reliquit docendi homin em futura per somnium. Nam & historiæ sæpe testantur extitiss e somnia, quorum præsens, & admirabilis fuerit euentus & resp onsa uatum nostrorum ex parte somnijs constiterunt. Quare neq; semper uera sunt, neq; semper falsa, Vergilio teste, qui dua s portas uoluit esse somniorum. Sed quæ falsa sunt, dormiendi causa uidentur, quæ uera, immittuntur à deo, ut imminens bonum aut malum hac reuelatione discamus.

De origine animæ. Caput. XIX.

ILlud quoq; in quæstionem uenire potest: Vtrum ne anima ex patre, an potius ex matre, an uero ex utroq; generetur. Sed ego id neo iure ab ancipiti uindico, nihil enim ex his tribus uerum est, quia neq; ex utroq;, neq; ex alterutro seruntur animæ. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroq;. De animis anima non potest, quia ex re tenui & incomprehensibili nihil potest decedere. Itaq; serendarum animarum ratio uni ac soli deo subiacet. Deniq; cœlesti summo omnes semine oriundi. Omnibus ille idem pater est (ut ait Lucretius.) Nam de mortalibus non potest quicq̄ nisi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudisse, aut inspirasse animam de sua nullo modo sentit, nec si sentiat, quando tamen, aut quomodo id fiat, habet animo comprehensum. Ex quo apparet, non à parentibus dari animas, sed ab uno, eodemq; omniū deo patre, qui legem, rationemq; nascendi tenet solus, siquidem solus efficit: nam terreni parentis nihil est, nisi ut humorem corporis, in quo est materia nascendi, cum sensu uoluptatis emittat, uel recipiat, & citra hoc etiā opus humoris istius homo resistit nec amplius quicq̄ potest, ideo nasci sibi filios optant, quia non ipsi faciunt. Cætera iam dei sunt opera scilicet cōceptus ipse, & corporis informatio, & inspiratio animæ, et partus incolumis, & quæcunq; deinceps ad hominem conseruandum ualent, illius munus

munus est, quod spiramus, quod uiuimus, quod uigemus. Nam præterq̃ quod ipsius beneficio incolumes sumus corpore, et quod victum nobis ex uarijs rebus subministrat, sapientiam quoq; homini tribuit, quam terrenus pater nullo modo dare potest. Ideoq; & de sapientibus stulti, & de stultis sapientes sæpe nascantur, quod quidam fato ac syderibus assignant. Sed non est nũc locus de fato disserendi. Hoc dicere satis est, quod etiam si astra efficientiam rerum continent, nihilominus omnia à Deo fieri, qui astra ipsa fecit, & ordinauit. Inepti ergo, qui hanc potestatem deo detrahunt, & operi eius attribuunt. Hoc igitur dei munere cœlesti, atq; præclaro an utamur, in nostra uoluit esse potestate. Hoc enim concesso, ipsum hominem uirtutis sacramento religauit, quo uitam posset adipisci. Dedit ei, & constituit aduersariũ, nequissimum & fallacissimum spiritum, cum quo in hac terrestri uita sine ulla securitatis requie dimicaret. Cur autem dominus hunc uexatorem generi hominum cõstituit, breuiter exponam.

Cur deus dederit spiritum tentatorem. Caput. XX.

Ante omnia diuersitatem uoluit esse, ideóque uulgo non aperuit ueritatem, sed eam paucissimis reuelauit, quæ diuersitas omne arcanum mundi continet. Hæc est enim, quæ fidat uirtutem, quæ scilicet sine ipsa non modo esse, sed ne apparere quidem posset, quia uirtus esse non poterit, nisi fuerit compar aliquis, in quo superãdo uim suam uel exerceat, uel ostendat. Nã ut victoria constare sine certamine non potest, sic nec uirtus quidem ipsa sine hoste. Ita quoniam uirtutẽ dedit homini, statuit ei è contrario inimicum, ne uirtus otio torpens, naturam suam perderet. Cuius omnis ratio in eo est, ut cõcussa, & labefactata firmetur, nec aliter ad summum fastigium possit uenire, nisi prudenti manu semper agitata, se ad salutem suam dimicandi tenore fundauerit.

fundauerit. Noluit enim deus hominẽ ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere peruenire. Daturus ergo uirtutẽ, dedit hostem prius, qui animis hominum cupiditates, & uitia immitteret, qui esset autor errorum, malorumq; omnium machinator, ut quoniam deus hominem ad uitam uocat, ille contrà ut rapiat & traducat ad mortem. Hic est, qui aut inducit, aut decipit eos, qui ueritati student, aut si dolo, & studijs non quieuerit, uirilem gerit animam, qua sublimium uigorem labefactare conetur, infanda dictu, & execrabilia moliens, uexat, interficit, & tamen ut prosternit multos, sic à multis uictus, prostratusq; discedit. Magna est enim uis hominis, magna ratio, magnũ sacramentũ. A quo si quis non defecerit, nec fidem suam, deuotionemq; prodiderit, hic beatus, hic denique (ut breuiter finiam) similis Deo sit necesse est. Errat enim, quisquis hominem carne metitur. Nam hoc corpusculum, quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo, neq; tangi, neq; aspici, neq; cõprehendi potest, quia latet intra hoc, quod uidetur. Qui si delicatus magis, ac tener in hac uita fuerit, quàm ratio eius exposcit, si uirtute contempta, desyderijs se carnis addixerit, cadet, & in terram prematur. Sin autem (ut debet) statum suum, quem rectum recte sortitus est, prompte, cõstanterq; defenderit, si terræ, quam calcare ac uincere debet, non seruierit, uitam merebitur sempiternam.

Operis conclusio, & veritatem superari non posse. Cap. XXI.

HAEC ad te Demetriane interim paucis, & obscurius fortasse, quàm decuit, pro rerũ, ac temporis necessitate peroraui, quibus contentus esse debebis, plura & meliora laturus, si nobis indulgentia cœlitus uenerit, tunc & ego te ad ueræ philosophiæ doctrinam & planius, & ucrius cohortabor. Statui enim q̃ multa potero, literis tradere, quæ ad uitæ beatæ statum spectent.

spectent: & quidem contra philosophos, quoniã sunt ad perturbandam ueritatẽ perniciosi & graues. Incredibilis est enim uis eloquentiæ, & argumentandi disserendiq; subtilitas quemuis facile deceperit: quos partim nostris armis, partim uero ex ipsorũ inter se concertatione sumptis reuincemus, ut appareat eos induxisse potius errorem, q̃ sustulisse. Fortasse mireris, quòd tantũ facinus audeam. Paticmur ne igitur extingui, aut opprimi ueritatem. Ego uero libentius uel sub hoc onere defecerim. Nã si M. Tullius, eloquentiæ ipsius unicum exemplar, ab indoctis, & ineloquentibus, quia tamẽ pro uero nitebantur, sæpe superatus est: cur desperemus ueritatẽ ipsam contra fallacem, captiosamq; facundiam, sua propria ui, & claritate ualituram? Illi quidem sese patronos ueritatis profiteri solent. Sed quis potest aut eam rem defendere, quam non didicit, aut illustrare apud alios, quam ipse non nouit? Magnũ uideor polliceri, sed cœlesti opus est munere, ut nobis facultas ac tempus ad proposita persequẽda tribuatur. Quod si uita est optãda sapiẽti, profecto nullã aliã ob causſam uiuere optauerim, quàm ut aliquid efficiam, quod uita dignũ sit, & quod utilitatem legentibus, & si non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ riuus est, ad uiuendum tamen afferat, quod est maxime necessarium. Quo perfecto, satis me uixisse arbitrabor, & officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœleste direxerit.

FINIS.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI LIBRI ACEPHALI EPITOME.

NAM

NAM si iustitia est ueri Dei cultus: quid enim tam iustum ad æquitatẽ, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quàm Deum cognoscere ut parentem, uenerari ut dominum, eiusq; legi, aut præceptis obtemperare? Nescierũt ergo iustitiam philosophi: quia nec ipsum Deum agnouerunt: & ideo refelli potuerũt à Carneade: cuius hæc fuit disputatio, nullum esse ius naturale. Itaq; omnes animantes ipsa ducẽte natura commoda sua defendere: & ideo iustitiã, si alienis utilitatibus consulet, suas negliget, stultitiam esse dicendã. Quod si omnes populi, penes quos sit imperium: ipsiq; Rhomani, qui orbem totũ possedêre, iustitiam sequi uelint: ac suum cuiq; restituere, quod ui & armis occuparunt, ad casas & egestatem reuertentur. Quod si fecerint, iustos dicemus quidem: sed tamẽ stultos iudicare necesse est, qui ut alijs prosint, sibi nocere contendant. Deinde si reperiat aliquis hominẽ, qui aut aurũ pro aurichalco aut argentũ pro plumbo uendat per errorem, atq; id emerendæ necessitas cogat, utrum dissimulabit: & emet paruo, an potius indicabit? iustus utiq; dicetur: quia non fefellit: sed idem stultus, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnũ: sed facile de damno est. Quid, si uita eius in periculũ ueniet, ut eũ aliquando necesse sit aut occidere, aut mori, quid faciet? Potest hoc euenire, ut naufragio facto inueniat aliquem imbecillẽ tabulo inhærentẽ: aut uicto exercitu fugiens, reperiat aliquem uulneratũ equo insidentem: utrum ne aut illũ tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipse posset euadere? Si uolet iustus esse, non faciet: sed idem stultus iudicabitur, qui dum alterius uitæ parcit, suam perdet. Si faciet quidem, sapiens uidebitur, quia sibi consulet: sed & idem malus, quia nocebit. Acuta ista sane, sed respondere ad ea facile possumus. Imitatio enim nominũ facit, ut sic esse uideatur. Nam & iustitia imaginẽ habet

habet stultitiæ,non tamen est stultitia.Et malitia imaginem sapientiæ,non tamen sapientia est.Sed sicut malitia ista in conseruandis utilitatibus suis intelligens redargui uidetur,quia non sapientia,sed calliditas,& astutia est:ita & iustitia nõ debet stultitia,sed innocentia nominari:quia necesse est iustũ esse sapientẽ & eum,qui sit stultus,iniustũ.Nam neq; ratio,neq; natura ipsa permittit,ut is,qui iustus est,sapiens nõ sit,quoniam iustus nihil utiq; facit,nisi quod rectũ,& bonũ est:prauum et malũ semper fugit. Quis autem discernere bonũ & malũ, prauum & rectũ poterit,nisi qui sapiẽs fuerit?Stultus autẽ male facit: quia bonũ & malũ quid sit ignorat:ideo peccat,quia non potest praua & recta discernere.Itaq; neq; stulto iustitiã, neq; iniusto sapientiã cõuenire. Ergo stultus nõ est,qui nec tabula naufragũ,nec equo saucium deiecerit:quia se abstinuit à nocendo, quod est peccatũ: peccatũ autem uitare sapientis est. Sed ut stultus prima facie uideatur,illa res efficit, quod extingui animam cum corpore existimant.Idcirco omne commodũ ad hanc uitã referunt. Si enim post mortẽ nihil est,utiq; stulte facit, qui alterius animæ parcit cũ dispendio suæ:& qui alterius lucro magis,quàm suo cõsulet: si mors animam delet,danda est opera,quò iustius commodiusq; uiuamus.Si autem uita post mortẽ supereſt æterna & beata,hãc utiq; corporalem cũ omnibus terræ bonis iustus,ac sapiens contemnet:quia sciet,quale à deo sit præmiũ recepturus. Teneamus igitur innocentiam,teneamus iustitiam, subeamus imaginẽ stultitiæ,ut ueram sapientiam tenere possimus. Et si hominibus uidetur inceptum,ac stultũ torqueri,& mori uelle: cũ libere liceat abire sine noxa: nos tamen omni uirtute,omniq; patientia fidẽ deo exhibere nitamur.Non mors terreat,nec dolor frangat,quo minus uigor animi, & constantia inconcussa seruetur. Stultos notent,dummodo ipsi stultissimi sint,& cæci,& hebetes,& pecudibus æquales: qui non intelligunt esse mortiferum, relicto

Deo

Deo uiuo prosternere se, atq; adorare terrena: qui nesciunt ex illis æternam pœnam manere, qui figmenta insensibilia fuerint uenerati: & eos, qui nec tormenta, nec mortem pro cultu, & honore ueri dei recusauerint, uitã perpetuam cõsecuturos. Hæc est fidelissima, hæc est uera sapientia, hæc perfecta iustitia. Nihil ad nos attinet, quid iudicent stulti, quid homunculi sentiant. Nos iudicium dei expectare debemus, ut eos postmodũ, qui de nobis iudicauerint, iudicemus. Dixi de iustitia, quid esset: sequitur, ut ostendam, quid sit uerũ sacrificium dei: quis iustissimus ritus colendi: ne quis arbitretur aut uictimas, aut odores, aut dona præsentia desyderari à Deo: à quo si fames, si sitis, si algor, si omnium rerum terrenarũ cupiditas abest: non ergo utitur his omnibus, quæ templis, alijsq; fictilibus inferuntur: sed sicut corporalibus corporale, sic utiq; incorporalibus incorporale sacrificium necessarium est. Illis quæ in usum tribuit homini deus, ipse non indiget. Est omnis terra sub potestate ipsius: non indiget templo, cuius domicilium mundus est: nõ indiget simulachro, qui est & oculis, & mente incomprehensibilis: non indiget terrenis luminibus, qui solem cũ cæteris astris in usum hominibus potuit accendere. Quid igitur ab homine desyderat deus, nisi cultũ mẽtis, qui est purus & sanctus? Nam illa, quæ digitis fiunt, aut extra hominẽ sunt, hoc sacrificium uerum nõ est: nec quod ex arca, sed quod ex corde profertur: nõ quod manu, sed quod mẽte libatur. Hæc acceptabilis uictima est, quam de se ipso animus immolat. Nam quid hostiæ, quid thura, quid uestes, quid aurum, quid argentum, quid preciosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola ergo iustitia est, quam Deus expetit. In hac sacrificium, in hac dei cultus est: de quo nunc mihi disserendum est, docendumq;, in quibus operibus iustitiam necesse sit contineri.

DVas esse humanæ uitæ uias, nec philosophis ignotũ fuit, nec poẽtis: sed eas utiq; diuerso modo induxerunt philo-

sophi

sophi. Alterã industriæ, alterã inertiæ esse uoluere: sed hoc minus recte, cum eas ad solius uitæ commoda retulerũt: melius poëtæ, qui alteram iustorũ, alteram impiorum esse dixerunt. Sed in co peccant, quòd eas nõ in hac uita, sed apud inferos esse aiunt. Nos utiq; rectius, qui alterã uitæ, alterã mortis, & hic tamẽ has uias esse dicimus. Sed illa dexterior, qua iusti sunt gradientes, non in Elysium ferre, sed in cœlũ. Immortales enim fiunt. Sinisterior ad tartarũ. Aeternis enim cruciatibus addicũtur iniusti. Venerãda est à nobis iustitiæ uia, quæ ducit ad uitã. Primũ autem iustitiæ officium est, deum cognoscere, ut parentẽ: eumq; metuere ut dominum: diligere ut patrem. Is est enim, qui nos genuit, qui uitali spiritu animauit, qui alit, qui saluos facit. Habet in nos nõ modo ut pater, uerumetiam ut dominus licentiã uerberandi, & uitæ, ac neãs potestatẽ: unde illi ab homine duplex honos, id est amor cũ timore debetur. Secundũ iustitiæ officiũ est, hominẽ agnoscere uelut fratrem. Si enim idem deus fecit, & uniuersos ad iustitiam, & ad uitam æternam pari conditione generauit, fraterna utiq; necessitudine cohæremus: quam qui nõ agnoscit, iniustus est. Sed origo huius mali, quo societas inter se hominũ, quo necessitudinis uinculũ dissoluitur, est, quod ab ignorãtia ueri dei nascitur. Qui enim fontem illum benignitatis ignorat, bonus esse nullo modo potest. Inde est, quod ex eo tempore, quo multi dij consecrari ab hominibus, coliq; cœperũt, fugata est (sicut poëtæ aiunt) iustitia: sic direptum est omne fœdus, direpta societas iuris humani: cum sibi quisq; consulere, ius in uiribus computare, nocere inuicem, fraudibus aggredi, dolis circunscribere, commodo aliorũ incommodis adaugere, nõ cognatis, non liberis, nec parẽtibus parcere: ad necem hominũ pocula temperare, obsidere cũ ferro uias, mari infestare: libidini autem, quo furor duxerit, frena laxare: nihil deniq; sancti habere, quod cupiditas infanda non uiolaret. Cum hæc fierẽt, tũ leges sibi homines cõdiderũt pro utilitate cõmuni,

ut se interim tutos ab iniurijs facerẽt. Sed metus legũ nõ scelera cõprimebat, sed licentiã submouebat. Poterãt enim leges delicta punire, conscientiam munire nõ poterant. Itaq; quæ antè palam fiebant, clam fieri cœperũt. Circumscribi etiã iura, siquidem ipsi præsides legũ præmijs muneribusq; corrupti, uel in remunerationem malorũ, uel perniciem iustorum sententias uenditabant. His accedebant dissensiones & bella, & mutuæ deprædationes, & oppressis legibus sæuiẽdi potestas licẽter assumpta. In hoc statu cũ essent humanæ res, misertus est nostri deus. Reuelauit se nobis & ostendit, ut in ipso religionẽ, fidem, castitatem, misericordiam disceremus: legemq; diuinã, quæ humana cũ cœlestibus copulat, tradente ipso domino sumeremus: qua lege uniuersi, quibus irretiti sumus, errores cũ uanis & impijs superstitionibus tollerẽtur. Quid enim homini debeamus, eadem illa lex præscribit, quæ docet, quicquid homini præstiteris, Deo præstare. Sed radix iustitiæ & omne fundamentum æquitatis est illud: Vide ut ne facias ulli, quod pati nolis, sed alterius animum de tuo metieris: si acerbum est iniuriam ferre, & qui eam fecerit, uidetur iniustus: transfer in alterius personã, quod in te sentis, & in tuam, quod de altero iudicas: & intelliges tam te iniuste facere, si alteri noceas, quam alterum, si tibi. Hæc si mente uoluemus, innocentiam tenebimus, in qua iustitia uelut in primo gradu consistit. Primus est enim nõ nocere proximo, sed officiose prodesse. Et sicut in rudibus agris prius quam serere inapias, euulsis sentibus, & omnium stirpium radicibus amputatis, arua purganda, sic de animis prius uitia detrahenda: & tunc demum uirtutes inserendæ, de quibus seminatæ per uerbũ dei fruges immortalitatis oriãtur. Tres affectus uel (ut ita dicam) tres furiæ sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes ciunt: & interdum cogunt ita delinquere, ut nec famæ, nec periculi sui respectum, aut curam habere permittant. Ira, quæ uindictam cupit: Auaritia, quæ desyderat opes: Libido,

quæ

quæ appetit uoluptates. His uitijs resistendum est, hæ eruendæ sunt, ut uirtutes seri possint. Hos affectus Stoicâ amputandos, Peripatetica temperandos putant. Neutri eorum recte: quia neq; detrahi possunt, siquidem natura insiti habent certâ magnamq; rationem: neq; minui, quoniam si mala sunt, carendum est etiam temperatis, & mediocribus: si bona, integris ad utendũ est. Nos ucro neq; detrahendos, neq; minuendos esse diamus. Non enim per se mala sunt, quæ Deus homini ration abiliter inseruit: sed cum sint utiq; natura bona, quoniam ad tuendam uitam sunt attributa, male utendo fiant mala: sicut si fortissime pro patria dimices, bonum est: si contra patriam, malum. Sic & affectus si ad usus bonos habeas, uirtutes erunt: si ad malos, uitia dicentur. Ira igitur ad coertionem peccatorum, id est ad regendam subiectorum disciplinã data est à Deo: ut metus licentiam cõprimat, & compescat audaciam. Et qui terminos eius ignorat, ira scitur paribus, aut fortioribus. Inde ad immania facinora prosilitur: inde ad cædes, inde ad bella cõsurgitur. Cupiditas ad desyderanda & cõquirenda uitæ necessaria tributa est. Sed qui nesciunt fines eius, insatiabiliter opes congere nituntur. Hinc uenena, hinc circunscriptiones, hinc falsa testimonia, hinc omnium fraudum genera erupere. Libidinis autem affectus ad procreandos filios insitus, & innatus est: sed qui limites eius animo non tenent, hi utuntur ea ad solam uoluptatem. Inde illicitæ nuptiæ, inde adulteria & stupra, inde omnes corruptelæ oriũtur. Redigẽdi ergo sunt isti affectus intra fines suos, & in uiam rectam redigendi: in qua etsi sunt uehementes, culpam tamen habere non possunt.

Cohibenda est ira, cũ patimur iniuriam: & ut malũ cõprimatur, quod ex certamine impẽdet, & duas maximas uirtutes, innocentiã & patientiã tencamus. Auaritia frangitur, cũ habemus, quod satis est. Quis enim furor est in his cõgerẽdis laborare, quæ aut latrocinio, aut furore, aut proscriptione, aut

morte ad alios facile sit peruenire? Libido extra legitimũ torũ nõ euagetur, sed creandis liberis seruiat. Appetentia enim nimia uoluptatis, & periculum parit, & insaniam generat, & (quod est maxime cauendum) mortem inarrit æternam. Nihil est enim tam inuisum deo, quàm mens incesta, & animus impurus. Nec hac sola uoluptate abstinẽdũ sibi putet, quæ capitur ex fœminei corporis copulatione, sed & cæteris uoluptatibus sensuum reliquorum: quia & ipsæ sunt uitiosæ, & eiusdem uirtutis est, eas cõtemnere. Oculorũ uoluptas percipitur ex rerũ pulchritudine: aurium de uocibus canoris, & suasionibus. Narium de odore iucundo, saporis de cibis dulcioribus: quibus omnibus uirtus repugnare fortiter debet, ne his illecebris irretitus animus, à cœlestibus ad terrena, ab æternis ad tẽporalia, à uita immortali ad perpetuam pœnã deprimatur. In saporis, & odoris uoluptate hoc periculum est, quod trahere ad luxuriam poterit. Qui enim fuerit his deditus, aut nõ habebit ullam rem familiarẽ: aut si habuerit, assumet, & aget postmodum uitã detestabilẽ. Qui autem rapitur auditu (ut taceam de cantibus, qui sensus ita sæpe deliniunt, ut etiã status mentis furore perturbetur compositis certis orationibus, numerosisq; carminibus, aut argutis disputationibus) ad impios cultus facile traducitur. Inde est, quod scriptis cœlestibus, quia uidentur incompta, nõ facile creditur: quia aut ipsi sunt diserti, aut diserta legere uolũt: nõ quærũt uera, sed dubia: imò illis hæc uidentur uerissima esse, quæ auribus blandiũtur: ita respuunt ueritatẽ, dũ sermonis uarietate capiũtur. Voluptas uero quæ spectat ad usum, multiformis est. Nã quæ rapitur ex rerũ preciosarũ pulchritudine, auaritiã cõdat: quæ aliena esse debet à sapiente, atq; iusto. Quæ autem capitur de specie mulierum, in alteram rapit uoluptatem, de qua iam superius locuti sumus.

Superest de spectaculis dicere: quæ quoniam potẽtia sunt ad corrumpendos animos, uitãda sapientibus, & cauẽda sunt totaliter:

totaliter: quod ad celebrandos deorum honores inuenta memorantur. Nã munerũ æditiones Saturno factæ sunt. Scena Liberi patris est: ludi uero Circenses Neptuno dicati putantur: ut iam qui spectat, uel interest, relicto dei cultu ad prophanos ritus transisse uideatur. Sed ego de re malo dicere, quàm de origine. Quid tam horribile, tam tetrum, quàm hominis trucidatio? Ideo seuerissimis legibus hæc uita nostra multatur. Ideo bella execrabilia sunt: inuenta tamen consuetudo quatenus homicidiũ sine bello, ac sine legibus faciant, & hoc ut scelus uindicent. Quod si interesse homicidio, sceleris conscientia est, & eodem facinore spectator obstrictus est, quo & amissor: ergo & his gladiatorũ sceleribus non minus cruore perfunditur, qui spectat, quàm ille, qui facit, nec potest esse immunis à sanguine, qui uoluit effundi: aut uideri non interfecisse, qui interfectori & fauet, & præmiũ postulauit. Quid Scena? Num sanctior? in qua comœdia de stupris & amoribus, Tragœdia de incestis, et paricidijs fabulatur. Histrionici etiã impudici gestus, quibus infames fœminas imitantur, libidines quas saltando exprimunt, docent: an nõ minus corruptela disciplinarũ est? in quo fiunt per imaginem quæ non sunt, ut fiant sine pudore quæ uera sunt. Spectãt hæc adolescẽtes quorũ lubrica ætas, quæ frenari, ac regi debet, ad uitia et peccata his imaginibus eruditur. Circus non innocentior æstimatur, sed maior hic furor est: siquidem mentes spectantium tanta ferũtur insania, ut nõ modo in conuitia, sed etiam in rixas, nec nõ & in prælia, & contentiones sæpe cõsurgant. Fugienda igitur omnia spectacula, ut tranquillũ mentis statũ tenere posimus. Renunciandum noxijs uoluptatibus, ne deliniti suauitate pestifera, in mortis laqueos incidamus. Placet sola uirtus, cuius merces immortalis est, cũ uicerit uoluptatẽ. Suppositis autẽ affectibus, & perdomitis uoluptatibus, facilis in comprimendis cæteris labor est ei, qui sit Dei ueritatisq; sectator: non maledicet unquàm,

qui expectabit à Deo benedictionẽ. Hic uitabit,ne deũ ludibrio habeat:sed ne iurabit quidem,ne quando uel necessitate,uel consuetudine in periuriũ cadat. Nihil subdole,nihil dissimulanter loquetur:neq; abnegabit quod spoponderit: neq; promittet quod facere nõ posit:nõ inuidebit cuiq;,qui de suo contentus: nec detrahet,aut male alteri uolet,in quem forsitan beneficia dei proniora sunt. Nõ furabitur,nec omnino quicq; concupiscet alienũ: non dabit in usura pecuniã. Hoc est enim de alienis malis lucra captare:nec tamen negabit,siquidẽ necessitas cogit mutuari. Nõ erit asper in filium,nec in seruum: meminerit,quòd ipse patrem habeat,ac dominũ. Ita cum his aget, quemadmodum secum agi uellet. Munera superabundantia non recipiet à tenuioribus:nec enim iustum est augeri patrimonia locupletum per damna miserorum. Vetus præceptũ est non occidere:quod sic accipi debet, non tanq; iubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis iubetur,manus abstinere: nec iussione interposita, nec uerbo licebit periculũ inferre,nec infantẽ necare,aut exponere, nec seipsum uoluntaria morte damnare. Item nõ adulterare: sed hoc præcepto nõ solum corrumpere alienũ matrimoniũ prohibetur,quod etiam cõmuni gentium iure damnatur,uerumetiam prostitutis corporibus abstinere. Supra leges lex enim Dei est: ea quoq;,quæ pro licitis habentur,uetat, ut iustitiam consumet. Eiusdem legis est,falsum testimoniũ non dicere: quod & ipsum latius patet,si mendaciũ nocet ei,contra quẽ dicitur,& fallit eũ apud quem dicitur. Nunq; igitur mẽtiendum est:quia mendaciũ semper aut fallit,aut nocet. Non est uir iustus,qui nõ sine noxa uitioso sermone mẽtitur. Hinc uero nec adulari licet: pernitiosa est enim,ac deceptrix adulatio: sed ubiq; custodiat ueritatẽ,quæ licet ad præsens sit insuauis,tamen cum fructus eius,atq; utilitas apparuerit,non odium pariet (ut ait poëta) sed gratiam.

Dixi

Dixi de ijs, quæ uetantur: dicã nunc breuiter quæ iubẽtur. Innocentiæ proxima est misericordia. Illa enim malum nõ facit, & hæc bonũ operatur. Illa inchoat iustitiã, hæc cõplet. Nam cũ imbecallior sit hominũ natura, q̃ cæterarũ animantium, quas deus & instructas ad inferendã, & munitas ad uim repellendam figurauit, affectũ nobis misericordiæ dedit, ut omne præsidium uitæ nostræ in mutuis auxilijs poneremus. Si enim facti ab uno deo, & orti ab uno homine consanguinitatis iure sociamur, omnẽ igitur hominẽ diligere debemus. Itaq; non tantũ inferre iniuriã nõ oportet, sed ne illatam quidẽ uindicare, ut sit in nobis perfecta innocentia. Ideo iubet nos deus etiã pro inimicis precẽ facere semper. Ergo animal cõmune, atq; consors esse debemus: ut nos inuicẽ præstãdis, recipiẽdisq; auxilijs muniamus. In multis etiam casibus, & incõmodis fragilitas nostra subiecta est. Speres tibi accidere, quod alteri accidit. Ita demũ exaberis ad opem ferendã, si sumpseris eius animũ, qui opem tũc in malis constitutus implorat. Si quis uictu indiget, impartiamus. Si quis à potentiori iniuriã sustinet, cruamus. Pateat domiciliũ nostrũ uel peregrinis, uel indigentibus tecto. Pupillis defensio, uiduis tuta nostra nõ desit. Redimere ab hoste captiuos magnanimi est opus. Aegros pauperes uisitare, ac fouere inopes, aut pauperes (si obierint) nõ patiamur insepultos iacere. Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ: quæ si quis perfecerit, uerũ, & acceptũ sacrificium deo immolabit. Hæc litabilior uictima est apud deum, qui nõ pecudũ sanguine, sed hominis pietate placatur: quẽ Deus (quia iustus est) sua & ipsum lege sua & cõditione persequitur: misereatur ei, quẽ uiderit misericordẽ: inexorabilis est ei, quẽ precantibus cernit immitem. Ergo ut hæc omnia, quæ deo placẽt, facere poßimus, contẽnenda est pecunia, & ad cœlestes referenda thesauros: ubi fur nõ effodiet, nec rubigo cõsumet, nec tyrannus eripiet: sed nobis ad æternam opulentiam deo custode seruetur.

Fides quoq; magna iustitiæ pars est, quæ maxime à nobis, qui nomen fidei gerimus, conseruanda est, præcipue in religione: quia Deus prior est, & potentior q̃ homo. Etsi est gloriosum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id est pro homine suscipere mortẽ: & qui hoc fecerit, diuturnã memoriã, laudẽq; cõsequitur: quanto magis pro Deo, qui potest æternã uitã pro tẽporali morte præstare? Itaq; cũ incidерit huiusmodi necessitas ut discedere à Deo, atq; ad ritus gentiũ transire cogamur, nullus nos metus, nullus terror inflectat, quo minus traditã nobis fidẽ custodiamus. Deus sit ante oculos, sit in corde: cuius interno auxilio dolor uiscerũ, & adhibita corpori tormenta superẽtur. Nihil tũc aliquid, quàm uitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facile, & si dissipãdi, aut urendi artus fuerint, tolerabimus quæ in nos tyrãnicæ dominationis amẽtia molietur. Postremo ipsam mortẽ non inuiti, aut timidi, sed libenter, & interriti subire nitamur: ut qui scimus, quali apud Deum gloria sumus functuri, triumphato sæculo, ad promissa uenientes. Quibus bonis quanta beatitudine breuia hæc pœnarũ mala, & huius uitæ damna pensemus. Quod si facultas huius gloriæ deerit, habebit fides etiam in pace meredẽ. Teneatur ergo in omnibus uitæ officijs, teneatur in matrimonio. Non enim satis est, si alieno toro, aut lupanari abstineas: qui habet coniugẽ, nihil quærat extrinsecus, sed contentus ea sola, carnẽ castiget. Inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim deo est proinde atq; incestu, qui abiecto iugo uel in liberã, uel in seruã peregrina uoluptate luxuriat. Sed sicut fœmina castitatis uinculis obligata est, & ne aliud cõcupiscat: ita uir eadem lege teneatur, qua deus & uiro uxorẽ unius corporis cõpage solidauit. Ideo præcepit nõ dimitti uxorẽ, nisi crimine adulterij deuictã: & nunq̃ cõiugalis fœderis uinculũ, nisi ruperit, resoluatur. Illud quoq; ad consummandã pudicitiã iungitur, ut nõ modo peccatũ absit, uerumetiã cogitatio. Pollui enim mentem,

mentem, quamuis in ani cupiditate, manifestum est. Itaq; iustum hominem qui scit se, nec facere oportere, nec uelle. Purganda est igitur cõscientia, quã deus peruidet, qui falli nõ potest. Euacuetur omni labe pectus, ut templũ dei esse possit: quod nõ auri, nec eboris nitor, sed fidei, & castitatis fulgor illustrat. Sed enim hæc omnia difficilia sunt homini, nec patitur cõditio fragilitatis naturæ esse quenq; sine macula. Vltimum ergo remediũ illud est, ut cõfugiamus ad pœnitentiã, quæ nõ minimũ locũ inter urtutes habet, quia sui correctio est: ut cum forte aut re, aut uerbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, aut nos deliquisse fateamur, oremusq; à Deo uentã, quam pro sua misericordia nõ negabit, nisi perseuerabimus in errore. Magnũ est pœnitẽtiæ auxiliũ, magnũ solatium. Illa est uulnerum, peccatorumq; sanatio, illa spes, illa portus salutis: quã qui tollit, uiam uitæ sibi amputat: quia nemo esse tam iustus potest, ut nunquam sit ei pœnitentia necessaria. Nos uero & si nullum sit peccatum, confiteri tamen debemus: & pro debitis nostris identidem deprecari, gratias agere etiam in malis. Hoc enim semper obsequium domino deferamus.

HVmilitas enim tam chara, & amabilis Deo est, ut cum angelis suscipiat peccatorẽ confitentem: quem in regnis cœlestibus faciat pro humilitate sublimari. Hæc sunt, quæ debet cultor dei exhibere. Hæ sunt uictimæ, hoc sacrificium placabile. Hic uerus est cultus, cũ homo mentis suæ pignora in aram Dei cõfert: summa illa maiestas hoc cultore lætatur. Hunc ut filium suscipit sibi, quia donũ immortalitatis impartitur: de qua nunc mihi disserendũ est, & arguenda est persuasio corũ, qui extingui animas cũ corporibus putauerunt: qui, quia nec deum sciebant, nec arcanũ mũdi perspicere poterãt, ne hominis quidẽ, animæq; rationẽ cõprehenderunt. Quomodo enim possent sapientia prouidere, qui scientiã nullo modo habebãt? Negantes ergo prouidentiam, utiq; Deum, qui fons, & caput eius est, negauerunt:

sequebatur,

sequebatur,ut ea,quæ sunt,aut semper fuisse dicerent,aut sponte sua esse nata,aut minutorum seminum conglobatione concreta. Semper fuisse dici non potest,quia quicquid est, esse sine aliquo initio nō potest. Sua sponte autem nihil nasci potest,quia nulla est sine ratione natura. Semina enim principalia quomodo esse potuerunt,cum & semina exordijs oriantur,& uicißim res ex seminibus? Nullum igitur semē est,quod originē non habeat. Sic factum est,ut cū putarent mundum nulla prouidētia factum,ne hominē quidem putarēt aliqua ratione generari. Quod si nulla esset in fingēdo homine ratio uersata,mortalē igitur animā esse posse. Alij uero ex aduerso,& deum esse unum,& ab eo mundū & hominē esse factum,et animas immortales existimauere. Sed cum ea senserunt,ij tamen diuini operis,atq; consilij,nec causas, nec rationes,nec exitus perspexerunt:ut omne ueritatis arcanū consummarent,atq; ueluti fine concluderēt. Sed quod illi facere nō potuerūt,quia ueritatē perpetuo nō tenebāt: nobis faciendū est,qui eam cognouimus deo annunciante. Consyderemus igitur quæ ratio fuerit huius tanti, tamq; immensi operis fabricandi. Fecit Deus mundum, sicut Plato existimauit: sed cur fecit,non ostēdit,quia bonus,inquit,& inuidēs nulli fecit, quæ bona sunt. Atqui uidemus in rerum natura & bona esse, & mala. Potest ergo existere peruersus aliquis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus,& Platoni respondere,imò quia malus est,fecit,quæ mala sunt. Quomodo illū redarguet? si quæ bona sunt,deus fecit,unde igitur tanta mala cruperunt? quæ plerunq; etiam bonis præualent? in materia,inquit,continebantur. Bona igitur & mala,aut nihil fecit deus,si bona tantum fecit, æterniora sunt mala, quæ facta nō sunt,quàm bona,quæ habuerunt exordium. Finē igitur habebunt,quæ aliquando cœperunt,et permanebūt, quæ semper fuerunt. Mala igitur potiora sunt. Si autem potiora nō possunt esse,nec æterniora quidē possunt. Ergo aut utraq; semper fuerūt,

& deus

& deus ociosus: aut utraq; ex uno fonte fluxerũt. Est enim conueniens, ut deus omnia fecerit potius, q̃ nihil: ergo secundum sententiam Platonis, ideo Deus & bonus est, quia bona facit: & malus, quia mala. Quod si fieri nõ potest, apparet nõ ideo factũ esse mundum, quia mundus bonus est: quoniam enim cõplexus est bona & mala, nec fecit propter se quicq̃, sed propter aliud. Domus enim ædificatur non ad hoc solum, ut sit domus, sed ut suscipiat, & tueatur habitantem. Item nauis fabricatur non ad hoc, ut nauis uideatur, sed ut in ea possint homines nauigare. Vasa autẽ fiunt, non ut uasa sint solum, sed ut capiant quæ sunt usui necessaria. Sic & mundum Deus ad usum aliquẽ fecerit necesse est. Stoici autẽ causa hominũ factũ esse: & recte. Homines enim fruuntur his omnibus bonis, quæ mundus in se cõtinet. Sed ipsi homines cur facti sint, et quid in illis habeat illa fabricatrix prouidentia, non explicant. Immortales esse animas idem Plato affirmat: sed cur, aut quando, aut quomodo, aut per quem immortalitatem assequantur, aut quid nam tantum illud mysterium, cur ij, qui sunt immortales futuri, prius mortales nascantur: deinde decurso tẽporis uitæ spatio, atq; abiectis fragilium corporũ exuuijs, ad æternam illam beatitudinem transferantur, nõ comprehendit. Deniq; nec iudicium Dei, nec discrimen iusti, & iniusti explicauit, sed animas, quæ se scelcribus immiserint, putauit hactenus condemnari, ut in pecudibus renascantur, & ita peccatorum suorum luere pœnas, donec rursus ad figuras hominũ reuertantur. Et hoc fieri semper, nec citra finem transmeandi ludum mihi nescio quem inducit somnio similem, cui nec ratio ulla, nec Dei gubernatio, nec consilium aliquod inesse uideatur.

Dicam nunc quæ sit illa sententia, quam nec ij quidem, qui uera dixerunt, collatis in unum causis, atq; fictionibus connectere potuerunt. Factus à Deo mundus, ut homines nascerentur. Nascuntur autẽ homines, ut deum patrem agnoscant, ut colant,

colant,in quo iustitia est. Colunt,ut mercedē immortalitatis acci piant. Accipiunt immortalitatem, ut in æternum Deo seruiant. Vides ne quemadmodum sibi cōnexa sint,& prima cum medijs & media cū extremis? Inspiciātur singula, & uideamus,utrum ne illis ratio quoq; subsistat: fecit ergo deus mundū propter ho minem. Hoc quī nō uidet,nō multum distat à pecude. Quis cœlū suspicit nisi homo? Quis solem? Quis astra? Quis opera dei mi ratur,nisi homo? Quis colit terram? Quis ex ea fructum capit? Quis nauigat mare? Quis pisces? Quis uolatilia? Quis quadru pedes habet in potestate,nisi homo? Cuncta igitur propter ho minem deus fecit: quia usui hominum cuncta cessere. Recte ergo uiderunt philosophi: sed illud,quod sequitur,non uiderunt,quod ipsum hominem propter se fecerit. Erat enim cōsequens,& ne cessarium,& pium,ut cum hominis causa tantam operā molitus sit,cū tantum illi honoris,tantū illi potestatis tribuerit,ut domi netur mundo: homo agnosceret dominū tantorum beneficiorum authorē,qui fecit mundū propter ipsum,& ei cultū & honorē debitū redderet. Hic Plato aberrauit,hic perdidit,quam primum arripuerat,ueritatē: cum de cultu eius dei,quē conditorem rerū, ac parentem fatebatur,obticuit: nec intellexit hominem deo po testatis uinculis esse religatum,unde ipsa religio nominatur. Et hoc est solū,propter quod immortales animæ fiant. Sensit tamē æternas esse,sed nō per gradus ad eam sententiā descendit. Am putatis enim medijs,inuidit totius rei ueritatē,quasi per abruptū aliquod præcipitiū: nec ulterius progressus est, quoniā casu ad eam,nō ratione peruenerat. Colendus est igitur deus,ut per reli gionem,quæ eadem iustitia est,accipiat homo à Deo immortali tatem: nec est ullum aliud præmiū piæ mentis: quæ si est inuisi bilis, nō potest ab inuisibili deo nisi inuisibili mercede donari. Plurimis uero argumentis colligi potest, æternas esse animas. Plato ait,quod per scipsum mouetur, neq; principiū, neq; finem posse

posse habere. Animum autē hominis per se semper moueri: quia sit ad cogitandū mobilis, ad inueniendū solers, ad percipiendum facilis, ad discendū capax: ut qui præterita teneat, præsentia cōprehendat, futura prospiciat: multarumq; rerum & artiū scientiam complectatur, immortalem esse: siquidem nihil habeat in se terreni pōderis labe concretū. Præterea ex uirtute, an uoluptate intelligitur æternitas animæ? uoluptas omnis communis animantibus, uirtus solius est hominis. Illa uitiosa est, hæc honesta. Illa secundū naturā, hæc aduersa naturæ, nisi anima immortalis est: uirtus enim pro fide, pro iustitia, nec egestatē timet, nec exilium metuit, nec carcerē perhorresat, nec dolorē reformidat, nec mortē recusat: quæ quia natura cōtraria sunt, aut stultitia est uirtus, si & commoda impedit, & uitæ nocet. Aut si stultitia nō est, ergo anima immortalis est: & ideo præsentia bona contemnit: quia sunt alia potiora, quæ post dissolutionē sui corporis assequatur. Illud autem maximū argumentū immortalitatis, quo deum solus homo agnoscit. In mutis nulla suspitio religionis, quia terrena prospiciunt. Homo ideo rectus cœlū aspicit, ut Deū quærat. An potest ergo esse mortalis, qui immortalem desyderat? Nō potest esse solubilis, qui cū deo & uultu, & mente cōmunis est. Deniq; cœlesti elemēto, quod est ignis, homo solus utitur. Si enim lex per ignem, uita per lucem, apparet cū, qui usum ignis habet, nō esse mortalem: quoniam id illi proximū, id familiare est, sine quo nō potest nec lux, nec uita cōstare. Sed quid argumentis colligimus æternas esse animas, cū habeamus testimonia diuina? Id enim sacræ literæ, ac uoces prophetarū docēt. Quod si cui parū uidetur legat carmina Sibyllarū, Apollinis quoq; Milesij responsa consyderet: ut intelligat deliraſſe Democritū, & Epicurum, & Diagarchum: qui soli omnū mortaliū, quod est euidens, negauerūt. Confirmata immortalitate, supereſt dicere, à quo ei tribuatur: cū certa, & cōstituta diuinitus tēpora cōpleri cœperint: et interitū

& con-

& consummationem rerum fieri necesse est, ut innouetur à deo mundus. Id uero tempore in proximo est, quantũ de numero annorum, deq; signis, quæ prædicta sunt à philosophis, colligi potest. Sed cũ sint innumerabilia, quæ de fine seculi, & cõsummatione temporũ dicta sunt, ea ipsa, quæ dicũtur, nuda ponẽda sunt quoniã (ut testimonijs utamur) immensum est: si quis illa desyderat, aut nobis minus credit, adeat ad sacrariũ cœlestiũ literarũ, quarũ fide instructior, errare philosophos sentiat, qui uel æternũ esse hunc mundũ, uel infinita esse annorum millia putauerũt, ex quo fuerit instructus. Nõdum enim sex millia cõpleta sunt, quo numero consummato, tũ demum malum omne tolletur: ut regnet sola iustitia: quod quatenus euenturum sit, paucis explicabo.

HAEC à prophetis, & à uatibus futura dicuntur: cũ cœperit mũdo finis ultimus propinquare, malitia inualescet omnia uitiorũ, & fraudũ genera crebrescent. Iustitia interibit: fides, pax, misericordia, pudor, ueritas non erit. Vis, & audacia præualebit. Nemo quicq̃ habebit, nisi male partum, manuq; defensum. Siqui erunt boni, prædæ, ac ludibrio habebuntur. Nemo pietatẽ parentibus exhibebit. Nemo infantis, aut senis miserebitur. Auaritia, libido uniuersa corrũpet. Erũt cædes, & sanguinis effusiones. Erunt bella nõ modo externa & finitima, uerumetiã intestina. Ciuitates inter se belligerabũt. Omnis sexus, & omnis ætas arma tractabunt. Nõ imperij dignitas conseruabitur. Non militiæ disciplina, sed more latrocinij depredatio, & uastatio fiet. Regnũ multiplicabitur, & decem uiri occupabũt orbem, & patientur, & uorabunt: & existet longe potentior, ac nequior, qui tribus deletis, Asiam poßidebit, cæteris in potestate sua redactis, & abscißis: uorabit omnem terram, leges nouas statuet, ueteres abrogabit. Rempublicam suam faciet, nomẽ imperij, sedemq; mutabit. Tunc erit tempus infandum, & execrabile, quo nemini libeat uiuere. Deniq; in eum statum res cadet, ut omnes

uiuos

uiuos lamentatio, mortuos gratulatio sequatur. Ciuitates & oppida intercidũt, modo ferro et igni, modo terræ motibus crebris, modo aquarũ inundatione, modo pestilẽtia et fame. Terra nihil feret, aut rigoribus nimijs, aut caloribus sterilis. Aqua omnis partim mutabitur in cruorẽ, partim in amaritudine uitiabitur: ut nihil sit nec ad cibos utile, nec ad potũ salubre. His malis accident prodigia hominibus ad timorẽ. Cometæ crebro apparebũt. Sol perpetuo squalore fuscabitur. Lunã color sanguinis obumbrabit, nec amissæ lucis damna reparabit. Stellæ omnes decidẽt, nec temporibus sua ratio cõstabit, hyeme ac æstate confusis. Tũc & annus, & mensis, & dies brcuiabitur. Et hanc esse mundi senectutem, & defectionẽ Trismegistus elocutus est: quæ cum uenerit, adesse tempus sciendũ est, quo deus ad commutandũ seculũ reuertatur. Inter hæc autem mala surget rex impius non modo generi hominũ, sed etiã deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni cõteret, cruciabit, uexabit, interimet. Tũc etiã lachryma & luctus, & gemitus perpetes, & ad Deum cassæ preces: nulla requies ad formidinem, aut somnus ad quietẽ. Dies cladem, nox metus augebit semper. Sic orbis terrarũ penè ad solitudinẽ hominum redigetur. Tunc impius iustos homines, ac deditos Deo, duobus & quadraginta mẽsibus persequetur, & se coli iubebit, ut deũ. Se enim dicet esse deum, cũ sit Antichristus: qui ut aduersari ei possit, accipiet potestatẽ mirabilia faciendi: ut ignis descendat de cœlo, ut sol desistat a cursu, ut imago, quam posuerit, loquatur. Quibus prodigijs alliciet multos, ut adorẽt eũ, signũq; eius in manu, aut frõte suscipiant. Et qui nõ adorauerit, signũq; susceperit, exquisitis cruciatibus morietur. Ita fere duas partes exterminabit, tertia in desertas solitudines fugiet. Sed ille proteruia implicabili furens, adducet exercitũ, & obsidebit montem, quo iusti cõfugerint. Qui cũ se uiderint circunsessos, implorabũt auxilium dei uoce magna: & audiet eos Deus, & immittet eis

liberã-

liberatorem. Tunc cœlũ intempesta nocte patefiet, & descendet Christus in uirtute magna: & antecedet eum claritas ignea, & uirtus inæstimabilis angelorum: & extinguetur omnis illa multitudo impiorum, & torrẽtes sanguinis current, & ipse ductor effugiet: atq; exercitu sæpe reparato, quartũ prælium faciet, quo captus cum cæteris tyrannis tradetur exustioni. Sed & ipse draconum princeps, author & machinator malorũ, catenis igneis alligatus, custodiæ dabitur: ut pacem mũdus accipiat, ut uexatis seculis terra requiescat. Pace igitur parta, cõpressoq; omni malo rex ille iustus & uictor, iudicium magnum de uiuis & mortuis faciet super terram: & uiuentibus quidem iustis, tradet in seruitutem gentes uniuersas. Mortuos autem ad æternam uitam suscitabit: & in terra cum his ipse regnabit, & condet sanctam ciuitatem. Et erit regnũ iustorũ mille annis. Per idẽ tẽpus stellæ candidiores erunt: & claritas solis augebitur: & luna nõ patietur diminutionem. Tunc descendet a Deo pluuia benedictionis matutina, & uespertina: & omnẽ frugem terra sine labore hominũ procreabit. Stillabunt mella de rupibus: lactis, & uini fontes exuberabunt. Bestiæ depositа feritate mansuescent. Lupus inter pecudes errabit innoxius. Vitulus cum leone pascetur. Columba cum accipitre congregabitur. Serpens uirus non habebit. Nullũ animal uiuet ex sanguine. Omnibus enim Deus copiosum, atq; innocentem uictum dabit. Peractis uero mille annis, ac resoluto dæmonum principe, rebellabũt gentes aduersus iustos: & uenient innumerabilis multitudo ad expugnandã, delendamq; sanctorũ gentem. Cõcutiet enim à fundamentis suis terram, & corruent ciuitates: & pluet super impios ignem cũ sulfure, & grandinem, & ardebũt, & se inuicem trucidabunt. Iusti uero pauliſper sub terra latebũt, donec perditio fiat gentium: & exibunt post dies tertium, & uidebunt campos cadaueribus opertos. Tunc fient terræmotus: & scindent se montes, & subsident in latitudinem

uallis profundæ: & congerentur in ea corpora mortuorum, & uocabitur nomẽ eius πολυάνδριον. Post hæc renouabit mundũ & transformabit iustos in figurã angelorũ, ut immortalitatis ueste donati, seruiant Deo in sempiternum. Tunc enim impij resurgent nõ ad uitã, sed ad pœnam: eisq; secunda resurrectione facta, deum excitabit, ut ad perpetua tormenta damnet, æternis ignibus traditi merita pro sceleribus suis soluant. Hæc omnia uera, omnium consona administratione prædicta, cum eadem Trismegistus, eadem Hydaspes, eadem Sibyllæ concinerint, dubitari nõ potest. Curæ, spes omnes uitæ ac salutis, in sola religione Dei sint posita. Itaq; nisi homo susceperit, quem Deus ad liberationem misit, qui missus est, nisi summum deum per eum cognouerit, mandata eius, legesq; seruauerit, in eas incidet pœnas, de quibus locuti sumus. Proinde fragilia contẽnenda sunt, ut solidæ consequamur. Spernenda terrena, ut cœlestibus oneremur. Temporalia fugienda, ut ad æterna ueniamus. Eruditat se quisque ad iustitiam, firmet ad continentiam, præparet ad agonem, instruat ad uirtutem: ut si forte aduersarius indixerit bellũ, nulla ui, nullo terrore, nullis cruciatibus à recto, et bono diuellatur. Non se substernat insensibilibus figmentis, sed uerum, & solum deum rectus cognoscat. Abijciat uoluptates, quarum illecebris anima sublimis deprimitur in terram. Teneat innocentiam, prosit quamplurimis. Incorruptibiles sibi thesauros bonis operibus acquirat, ut posśit, Deo iudice, pro uirtutis suæ meritis, uel coronam fidei, uel præmium immortalitatis adipisci.

DIVINARVM INSTITUtionum Epitomes finis.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI PHOENIX.



Est locus in primo felix oriēte remotus,
Qua patet æterni ianua celsa poli:
Nec tamen æstiuos hyemisq; propinquus ad ortus
Sed qua sol uerno fundit ab axe diē
Illic planicies tractus diffundit apertos
Nec tumulus crescit, nec cauus ullus hiat.
Sed nostros montes, quorum iuga celsa putantur,
Per bis sex ulnas eminet ille locus.
Hic Solis nemus est, & consitus arbore multa
Lucus, perpetuæ frondis honore uiret.
Cum Phaëthonthæis flagrasset ab ignibus axis,
Ille locus flammis inuiolatus erat.
Et cum diluuium mersisset fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperauit aquas.
Non huc exangues morbi, non ægra senectus,
Nec mors crudelis, nec metus asper adit.
Nec scelus infandum, nec opum uesana cupido,
Aut Mars, aut ardens cædis amore furor.
Luctus acerbus abest, & egestas obsita pannis,
Et curæ insomnes, & uiolenta fames.
Non ibi tempestas, nec uis furit horrida uenti,
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla super campos tendit sua uellera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.

Sed

Sed fons in medio est, quem uiuum nomine dicunt,
Perspicuus, lenis, dulcibus uber aquis.
Qui semel erumpens per singula tempora mensum,
Duodecies undis irrigat omne nemus.
Hic genus arborum procero stipite surgens,
Non lapsura solo mitia poma gerit.
Hoc nemus, hos lucos auis incolit unica Phœnix,
Vnica, sed uiuit morte refecta sua.
Paret, & obsequitur Phœbo memoranda satelles,
Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea cum primum surgens aurora rubescit,
Cum primum rosea sydera luce fugat.
Ter quater illa pias immergit corpus in undas,
Ter quater è uiuo gurgite libat aquam,
Tollitur, ac summo consedit in arboris altæ
Vertice, quæ totum despicit una nemus.
Et conuersa nouos Phœbi nascentis ad ortus
Expectat radios, & iubar exoriens.
Atq; ubi sol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura leuis:
Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
Et mira luccm uoce ciere nouam.
Quam nec Iulææ uoces, nec tibia possit
Musica Cyrrhæis assimilare modis.
Sed neq; olor moriens imitari posse putatur:
Nec Cyllenææ fila canora lyræ.
Postquàm Phœbus equos in aperta refudit Olympi:
Atq; orbem totum protulit usq; meam:
Illa ter alarum repetito uerbere plaudit,
Non errabilibus nocte dieq; sonis.

Atq; eadem celeres etiam discriminat horas:
Igniferumq; caput ter uenerata, silet.
Antistes nemorum, & luci uenerandа sacerdos,
Et sola arcanis conscia Phœbe tuis.
Quæ postquàm uitæ iam mille peregerit annos,
Ac se reddiderint tempora longa grauem:
Vt reparet lassum spatijs urgentibus æuum,
Assueti nemoris, dulce aubile fugit.
Cumq; renascendi studio loca sancta reliquit:
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæua uolatus,
Phœnicis nomen cui dedit ipsa uetus.
Secretosq; petit deserta per auia lucos:
Hic ubi per saltus sylua remota latet.
Tum legit aëreo sublimem uertice palmam:
Quæ gratum Phœnix ex aue nomen habet.
Quam nec dente nocens animal perrumpere possit
Lubricus aut serpens, aut auis ulla rapax.
Tum uentos claudit pendentibus Æolus antris,
Ne uiolent flabris aëra purpureum.
Neu concreta Noto nubes per inania cœli
Summoueat radios solis, & obsit aui.
Construit inde sibi seu nidum, siue sepulchrum:
Nam perit, ut uiuat: se tamen ipsa creat.
Colligit hinc succos, & odores diuite sylua:
Quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs.
Quos aut Pigmææ gentes, aut India carpit,
Aut molli generat terra Sabæa sinu.
Cinama dehinc, auramq; procul spirantis amomi
Congerit, & misto balsama cum folio.

Non

Non casiæ mitis, nec olentis uimen Achanti,
Nec thuris lachrymæ, guttaq; pinguis abest.
His addit teneras nardi pubentis aristas:
Et sociat myrrhæ pascua grata nimis.
Protinus in strato corpus mutabile nido,
Vitaliq; toro membra quieta locat.
Ore dehinc succos membris circumq;, supraq;
Inijcit, exequijs immoritura suis.
Tunc inter uarios animam commendat odores:
Depositi tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum
Aestuat, & flammas parturit ipse calor.
Aërioq; procul de lumine concipit ignem:
Flagrat, & ambustum soluitur in cinerem.
Hos uelut in massam cineres in morte coactos
Conflat, & effectum seminis instar habet.
Hinc animal primum sine membris fertur oriri:
Sed fertur uermis, lacteus esse color.
Creuit in immensum subito cum tempore certo:
Secq; oui teretis colligit in speciem.
Inde reformatur, qualis fuit ante figura:
Et Phœnix ruptis pullulat exuuijs.
Ac uelut agrestes, cum filo ad saxa tenentur,
Mutari pennæ papilione solent.
Non illi cibus est nostro concessus in orbe,
Nec cuiquam implumem pascere cura subest.
Ambrosios libat cœlesti nectare rores,
Stellifero teneri qui cecidêre polo.
Hos legit, his medijs alitur in odoribus ales,
Donec maturam proferat effigiem.

Aſt ubi primæua cœpit florere iuuenta,
Euolat ad primas iam reditura domos.
Ante tamen, proprio quicquid de corpore reſtat,
Oſſaq; uel cineres, exuuiaſq; ſuas,
Vnguine balſameo, myrrhaq; & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.
Quam pedibus geſtans contendit ſolis ad ortus,
Inq; ara reſidens ponit in æde ſacra.
Mirandam ſeſe præſtat, præbetq; uidenti:
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.
Principio color eſt, qualis ſub ſydere cœli,
Mitia quem croceo punica grana legunt.
Qualis ineſt foliis, quæ fert agreſte papauer,
Cum pendens ueſtit ſole rubente polus.
Hoc humeri, pectuſq; decens uclamine fulgent:
Hoc caput, hoc ceruix, ſummaq; terga nitent.
Caudaq; porrigitur fuluo diſtincta metallo,
In cuius maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, iris
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.
Albicat inſignis miſta uiridante ſmaragdo,
Et puro cornu gemmea cuſpis hiat.
Ingentes oculos credas, geminoſq; hyacinthos:
Quorum de medio lucida flamma micat.
Æquatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens uerticis alta decus.
Crura tegunt ſquamæ flauo diſtincta metallo:
Aſt ungues roſeus pingit honore color.
Effigies inter Pauonis miſta figuram
Cernitur, & miſtam Phaſidis inter auem.

Magnis

Magnicíem,terris Arabum quæ gignitur ales,
Vix æquare potest:seu fera,seu sit auis.
Non tamen est tarda,ut uolucres,quæ corpore magno
Incessus pigros pergraue pondus habent.
Sed leuis & uelox regali plena decore,
Talis in aspectu se exhibet usq; hominum.
Conuenit Aegyptus tanti ad miracula uisus,
Et raram uolucrem turba salutat ouans.
Protinus insculpunt sacrato in marmore formam,
Et signant titulo remq; diemq; nouo.
Contrahit in cœtum sese genus omne uolantum:
Nec prædæ memor est ulla,nec ulla metus.
Alituum stipata choro uolat illa per altum:
Turbaq; prosequitur munere læta pio.
Sed postquàm puri peruenit ad æthcris auras,
Mox redit ista,suis conditur ille locis.
Hæc fortunatæ sortis fatiq; uolucris,
Cui de se nasci præstitit ipse deus.
Fœmina,ucl mas hæc,uel neutrum sit mage,felix,
Felix,quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est,sola est in morte uoluptas:
Vt possit nasci,hæc appetit ante mori.
Ipsa sibi proles,suus est pater,& suus hæres,
Nutrix ipsa sui,semper alumna sibi.
Ipsa quidem sed non eadem,quia & ipsa,nec ipsa est,
Aeternam uitam mortis adepta bono.

L. COELII LACTANTII FIRMIANI CARMEN DE PASSIONE DOMINI.



Visquis ades, medijque subis in limina templi,
Siste parum, insontemq; tuo pro crimine passum
Respice me: me conde animo, me in pectore serua.
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc ueni, pacis promissæ interpres, & ampla
Communis culpæ uenia: hic clarissima ab alto
Reddita lux terris, hic alma salutis imago:
Hic tibi sum requies, uia recta, redemptio uera:
Vexillumq; dei, signum & memorabile fari.
Te propter, uitamq; tuam sum uirginis aluum
Ingressus: sum factus homo, atq; horrentia passus
Funera: nec requiem terrarum in finibus usquam
Inueni, sed ubiq; minas, sed ubiq; labores.
Horrida prima mihi in terris magalia Iudæ
Hospitia in partu, sociæq; fuêre parenti.
Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
Arida in angustis præsepibus herba cubile.
In Pharijs primos uixi regionibus annos.
Herodis regno profugus: reliquosq; reuersus
Iudæam semper iciunia, semper & ipsam
Pauperiem extremam, & rerum inferiora secutus:
Semper egens monitis humana salubribus almæ

Ingenia

Ingenia ad ſtudium probitatis aperta ſalubri
Plurima doctrinæ inſungens miracula: quare
Impia Hieruſalem rabidis exercita curis
Inuidiæ, ſæuiſq; odijs, & cæca furore,
Inſonti eſt pœnis letalibus auſa cruentam
In cruce terribili mortem mihi quærere, quæ ſi
Latius ipſe uelim diſtinguere, ſiq; per omnes
Ire iuuet gemitus, mecum & ſentire dolores:
Collige conſilia, inſidiaſue, meiq; nefandum
Sanguinis innocui precium, & ſimulata clientis
Oſcula, & inſultus, & ſæuæ iurgia turbæ:
Verbera præterea, & promptas ad crimina linguas.
Fige animo & teſtes, & cæci infandæ Pilati
Iudicia, ingentemq; humeros, & feſſa prementem
Terga crucem, atq; graues horrenda ad funera greſſus.
Nunc me, nunc uero deſertum extrema ſecutum
Supplicia, & dulci procul à genitrice leuatum
Vertice aduſq; pedes me luſtra: en aſpice crines
Sanguine concretos, & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpinisq; caput crudelibus hauſtum:
Vndiq; diua pluens uiuum ſuper ora cruorem.
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictasq; genas, arentem ſuſpice linguam
Felle uenenatam, & pallentes funere uultus.
Cerne manus clauis fixas, tractosq; lacertos,
Atq; ingens lateri uulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum feſſosq; pedes, artusq; cruentos.
Flecte genu, lignumq; crucis uenerabile adora
Flebilis: innocuo terramq; cruore madentem
Ore petens humili, lachrymis ſuffunde ſubortis:
Et me nonnunquam deuoto in corde, meosq;

Per me-

Fer monitus: sectare meæ uestigia uitæ,
Ipsaq; supplicia inspiciens, mortemq; seueram,
Corporis innumeros memorans, animiq; dolores.
Disce aduersa pati, & propriæ inuigilare saluti.
Hæc monimenta tibi, si quando in mente iuuabit
Volucre, siqua fides animo tibi ferre meorum,
Debita si pietas, & gratia digna laborum
Surget, erunt ueræ stimuli uirtutis, eruntq;
Hostis in insidias clypei, quibus acer in omni
Tutus eris, uictorq; feres certamine palmam,
Hæc monimenta tuos si labilis orbis amicos
Auertent seusus, fugiente docoris ab umbra
Mundani efficient, ne spe captatus inani,
Mobilis ocaduis fortunæ fidere rebus
Auseris, aut uitæ sperare fugacibus annis.
Sed te nimirum, sic ista caduca uidentem,
Secula, & exutum patriæ melioris amore
Orbis opes, rerumq; usus, & uota priorum,
Moribus extollens sacris, uitæq; beatæ
Spe, duras inter pœnas, te rore fouebunt
Cœlesti, pactiq; boni dulcedine pascent:
Purpuream donec post ultima fata relicto
Corpore, sublimes animam reuocabit ad auras.
Gratia magna tibi tunc omnem exuta laborem,
Angelicos tunc læta choros, acies q; beatas
Sanctorum inspiciens, æternæ pacis amœna,
Perpetuo felix mecum regnabit in aula.

L. COELII

L. COELII LACTANTII FIRMIANI DE RESVRRECTIONIS DOMINICAE DIE.



Alue festa dies toto uenerabilis æuo,
Qua Deus infernũ uicit, & astra tenet.
Tempora florigero rutilant distincta sereno,
Et maiore poli lumine porta patet.
Altius igniuomum solem cœli orbita ducit,
Qui uagus oceanas exit, & intrat aquas.
Armatus radijs elementa liquentia lustrans
Hac in nocte breui tendit in orbe diem.
Splendida syncero producunt æthera uultu,
Lætitiamq; suam sydera clara probant.
Terra ferax uario fundit munuscula cultu,
Cum bene uernarit, reddit & annus opes.
Mollia purpureum pingunt uiolaria campum:
Prata uirent herbis, & micat herba comis.
Paulatim subeunt stellantia lumina florum,
Floribus arridēt gramina cuncta suis.
Semine depositō late seges exilit aruis,
Spondens agricolæ uincere posse famem.
Caudice deserto lachrymat sua gaudia palmes:
Vnde merum tribuat, dat modo uitis aquam.
Cortice de matris tenera lanugine surgens,
Præparat ad partum turgida gemma sinum.

Subq;

Subq; hyemis tempus foliorum crine refuso,
Iam reparat uiridans frondea tecta nemus.
Mista salix, abies, corylus, siler, ulmus, acer, nux,
Plaudit quaeq; suis arbor amœna comis.
Constructura fauos apis hinc aluearia linquens,
Floribus instrepitans poplite mella rapit.
Ad cantus reuocatur auis, quæ carmine clauso,
Pigrior hyberno frigore muta fuit.
Hinc Philomela suis attemperat organa cannis,
Fitq; repercusso dulcior aura melo.
Eæ renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum domino dona rediisse suo.
Nanq; triumphanti post tristia tartara Christo,
Vndiq; fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat:
Datq; creatori cuncta creata precem.
Mobilitas anni, mensum, lux alma dierum,
Horarum splendor, stridula cuncta fauent.
Hinc tibi sylua comis, plaudit quoq; campus aristis:
Hinc grates tacito palmite uitis agit.
Hinc tibi nunc auium resonant uirgulta susurro:
Has inter nimio passer amore canit.
Christe salus rerum, bone conditor, atq; redemptor,
Vnica progenies ex deitate patris.
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
Verbum subsistens, & patris ore potens.
Aequalis, concors, socius, cum patre coæuus,
Quo sumpsit mundus principe principium.

Aethera

Aethera suspendis, sola congeris, æquora fundis,
Quæq; locis habitant, quæ moderata uigent.
Qui genus humanum cernens mersum esse profundo,
Vt hominem eriperes, es quoq; factus homo.
Nec nostro tantum uoluisti e corpore nasci,
Sed caro, quæ nasci pertulit atq; mori.
Funeris exequias patris nouus author, & orbis,
Intra mortis iter dando salutis opem.
Tristia cessarunt infernæ uincula legis,
Expauitq; chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ,
Aeternæ noctis pallia crassa cadunt.
Solicitam sed redde fidem precor alma potestas:
Tertia lux redijt, surge sepulte meus.
Non decet ut uili tumulo tua membra tegantur:
Non precium mundi uilia saxa premant.
Indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo,
Vt tegat inclusum rupe uetante lapis.
Linteа tolle precor, sudaria linque sepulchro,
Tu satis es nobis, & sine te nihil est.
Solue catenatas inferni carceris umbras,
Et reuoca sursum quicquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, uideant ut secula lumen:
Redde diem, qui nos te moriente, fugit.
Sed plane implesti remeans pie uictor olympum,
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens,
Qui raperet semper fit tua præda deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis:
Et sequitur liber, quo suus author abis.

Euomit

Euomit absorptam pauide fera bellua plebem,
Et de fauce lupi subtrahit agnus oues.
Hinc tumulum repetens post tartara carne resumpta,
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.
Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit iste:
Et quos mors peterat, hos noua uita tenet.
Rex sacer eœ tui radiat pars magna trophœi,
Cum puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atq; uetus uitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas uestis quoq; candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.
Additur hac felix concors mercede sacerdos,
Qui dare uult domino dupla talenta suo.
Ad meliora trahens gentili errore uagantes,
Bestia ne raperet, munit ouile dei.
Quos prius Eua nocens infecerat, hos modo reddit
Ecclesiæ pastor ubere lacte sinu.

FINIS.